

S. Z.
N.

1.610

2710

2710
XXII - \$

1.616

Fr. Alfonsi A Castro,
ZAMORENSIS, ORDI
NIS MINORVM, REGVLA.
ris Obseruantiae Prouinciae sancti Iacobi:
De iusta Hæreticorum punitione
Libri tres.

Opus hoc nunc postremo ab Authore re-
. cognitum, & multis in locis auctum
& locupletatum.



ANTVERPIÆ
In ædibus Viduæ & Hæredum Ioan. Stelsii.
M. D. LXVIII.
Cum Priuilegio Regio.

Regia Maiestas permisit
ut libri Alfonsi à Castro, De iusta hæretico-
rum Punitione, impunè imprimerentur &
liberè distraherentur, veluti patet in literis
ab eadē Maiestate concessis & subsignatis

BAVE

In uitissimo, atq; Chri-

STIANISSIMO CAROLO HVIVS NOMinis quinto Cæsari semper augusto, Hispaniarum Regi Catholico eiusdem nominis primo, Frater Alfonsus à Gastro, Zamorenus, ordinis Minorum æternam optat felicitatem, perpetuamq; de hostibus victoriam.



V M mecum ipse cogito, Christianissime Cæsar, & ad hoc miserabile seculum mente in, atq; animum refero, non possum non ingemiscere, & à gemitu cordis rugire, videns tot talesq; hæreticos hoc seculo prodisse, qui plurimum negotii viris doctis, atq; adeò toti Ecclesiæ facebunt, ut nunquam tam multos, aut tam truculentos Ecclesiæ perpessa fuerit hostes. Tanta enim est istorum nocendi cupiditas, ut nihil sit à summo usq; deorsum, cui detrahere non conentur. Nec enim Deo, nec Virgini eius matrī, nec Apostolis, aut Euangelistis, nec reliquis sanctis, nec toti deniq; militanti Ecclesiæ, quæ Christi est unica sponsa, parcere volunt: sed contra eorum quenq; impudenti temeritate oblatrant, & dente canino illum mordere nituntur. Hoc autē non leui animo, aut negligenti, & ignavo sunt facere aggressi: sed tanquam rabidi, & famelici canes omnia tentarunt, nullumq; nō mouerunt lapidem, ut quod mente conceperant scelus, opere perpetrarent. Vix enim illum est tam turpe, aut execrandum, aut pestiferum, abominabileq; dogma ab antiquis hæreticis probatum, quod, & si longissima obliuione sepultum, isti hæretici non sint suscitare conati, si inde telum aliquod se capturos sperarunt, quo Ecclesiæ Catholicæ, aut summo illius praesidi utrumq; incommodare possent. Primatum Petri negant, omnibus Christianis sacerdotia sine discriminine tribuunt. Sacerdotes oēs pares Episcopis faciunt. Antiquas omnes Ecclesiæ ceremonias ab ipsis Apostolis traditas, & ad hoc usq; seculū seruatas tollunt: & nouas quasdam ab illis excogitata;

EPYSTOLA.

inuenient. Sacraenta Ecclesiæ minuant, quo pauciores peccatorum antidota illa retineat. Ut autem nihil utile se Ecclesiæ detraxisse persuaderent, sacramentorum virtutem, atq; potentiam negantes venenum veneno addiderunt. Totius cleri cœlibatū tollunt. Vota omnia Deo facta violare docent. Omnem monachatus religionem ab Ecclesia reiiciunt. Omnes laudes, quas voce, aut missis instrumentis Ecclesia in templis Deo dicari, statim horas Deo cantare solebat, & suis templis procul relegarūt. Hic deniq; unus eorum omnium scopus fuit, vt totum Ecclesiæ ordinem a Christo ipso salvatore nostro institutum, & ab eius Apostolis ad hoc usque seculum obseruatum euertere possent, & nouam quandam nobis fingerent Ecclesiam, talem, ac tam male institutam, tamq; deformem, vt tu Christianissime Imperator pro tua prudenter, & bonitate, non patereris talem esse ullā quamlibet rempublicam tibi subiectam. Quod autem tam anxie optauerunt, Deo permittente, & demone illorum patre improbe solicitante, magna ex parte (proh dolor) assequuti sunt. Nam virulentum eoru dogma, quod, Paulus teste, vt cancer serpit, tam saeue, atq; potenter grassatū est, vt vix illa sit iam Christiani nominis prouincia, cuius pars aliqua non sit hac peste infecta. Ut autem his tam truculentis, & mortis auidis hostibus occurreretur, multi viri Catholici, & docti ex toto orbe Christiano se operosuerunt pro muro Ecclesiæ, qui verbo & scripto contra mortiferas eorum doctrinas acerrime pugnarunt. Scripsit primus omnium vir doctissimus Ioannes Echius multa contra illos volumina, qui etiam cum ipso huius factionis principe Luthero primus etiam publice disputauit. Scripsere deinde Ioannes Faber Viennensis Episcopus, Gaspar Sagerus ordinis Minorum, Joannes Cochleus, Conradus Kolin Vlmensis, Ionnes Deitembergius, Conradus Vuimpinenensis, Hieronymus Enser, Ioannes Mensingus, aliiq; multi Germani scripsisse feruntur, quos nec nomine noui. Neq; soli Germani, apud quos primum haec pestis est orta, contra hos haereticos scripserunt. Sed ex omni natione, quae Christum agnoscent ab illo nomen accepit, multi viri doctissimi cateruatum contra hos perniciosissimos Ecclesiæ hostes plurima

EPISTOLA.

risma, & varia volumina ædiderunt, quibus multa dexteritate ab huiusmodi perduellionum impetu furioso Ecclesiam Catholicam propugnare defendere, atque dilatare conati sunt. In Germania siquidem inferiori, quæ superiori proxima est, Iacobus Latomus, Albertus Pighius, Iacobus Hochstratenfis ordinis prædicatorum, & alij multi scripsere, quorum omnium catalogum texere, fastidiosum esset. In Anglia scripsit primus ipse Rex Henricus huius nominis octauus, qui si recte sibi consuluisse, à recta, quam tunc agnoscebat, fide nunquam defecisset. Post Regem scripsit Ioannes Fischerus tunc Rosensis Episcopus, & postea. S. R. E. presbyter Cardinalis: vir sanctitate perinde ac doctrina clarissimus, dignus certè, qui inter sanctos martyres recensetur, quem senio confectum scimus pro fide Catholica libenti, & alacri animo ceruicem gladio supposuisse. In Gallia, quamuis ipse non Gallus, Iodocus Clithoeus Neoportuensis multa volumina contra recentes hæreticos scripsit. Post illum Hieronymus ab Hanges, Nicholaus Grandis ordinis minorum in commentariis quæ ædidit super epistolam ad Roma. & super epistolam ad Hebræos, alijque multi scripsere. In Italia primus, quem sciam, scripsit Silvester de Prierio Magister sacri Palatij. Post istum Ambrosius Catharinus Senensis, ambo ex ordine prædicatorum, Albertus Pius olim Carporum comes. Ex Hispanis, eò quod nationi huic satis bene alioqui profectum erat, & cautum, pauci haec tenus, doctissimi tamen, contra hos hæreticos scripserunt. Dominicus Soto ex ordine prædicatorum, qui cathedralm Theologię in insigni Salmanticensi gymnaſio, ante multos annos perpetuo regendam suscepit, in Tridentino concilio, quo ex mandato tuæ Cæsareæ maiestatis nunc agit, opus insigne de natura, & gratia contra hos recentes hæreticos ædit. Andreas de Vega ordinis minorum, vir trium linguarum peritus, in hoc etiam concilio Tridentino ad quod ex mandato Serenissimi Philippi tuæ Cæsareæ Maiestatis primogeniti simu! mecum fuit destinatus, librum de fide iustificante multa doctrina refertum aduersus Lutheranos ædit. Ego denique istorum om-

EPISTOLA.

niam minimus magnum quoddam opus ante aliquot annos ædidi, in quo omnes hæreses, quæ à Christi Saluatoris nostri in cœlos ascensione ad hoc vsque seculum Ecclesiam inuaserunt, congesi contra illas omnes singulatim disputans, illarumque omnium primos Duces, atque parentes prodens: vt vel si omnibus paulam facerem, recentes hæreticos à fecibus olim ab Ecclesia reiectis suas hæreses hauiisse. Verum & si ab his omnibus, aliisque multis doctissimis viris tam dextrè pugnatum sit, vt planè, & aperte de his Ecclesiæ hostibus triumphauerint, nunquam tamen his resipuerunt, aut insanire desierunt. Quoniam tanta est illorum obstinata impudentia, & impudens obstinatio, vt quamvis aperte victi nunquam tamen cedere voluerint, immo potius duriores inde effecti, & in sua sententia pertinaciores insaniam suam indies auerunt, tam nouas, tamque diuersas quotidie inducendo doctrinas, vt nihil aliud illos excogitare meritò credamus, quam quomodo eorum quilibet plus possit Ecclesiæ nocere. Nam & si inter illos sæpe (vt solenne semper fuit hæreticis) de doctrina non conueniat, adeò vt plus alter eorum ab altero disret, quam uterque illos rum ab Ecclesia: de hac tamen re inter eos omnes conuenit, & hæc amicitia inter eos inenundæ potissima causa, & partæ amicitia fortissimum vinculum, si summo Ecclesiæ præsidi simul omnes detrahant, illius potestatem eneruent, illius mandatis reluctentur. Ipsi sunt veræ serpentes illi; quos Deus per Hieremiam Prophetam minatus est se nobis missurum, quibus (vt ille ait) non est incantatio. Nam furor istis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis, & benefici incantantis sapienter. Cum itaque re ipsa mihi iam bene compertum esset, nihil istis blanda prodeesse fomenta, necessarium esse censui acerbioribus vti medicaminibus, vt iam non verbis: sed fustibus, & flagellis, & gladiis contra illos ageretur, vt poena illos facheret sapientes, qui benignitate illis exhibita abutentes in sua haec tenus perfiditer insipientia, & vexatio daret illis intellectu, quem nimia mansuetudo præstare non potuit.

Hanc

Hier. 8.

EPISTOLA.

Hanc tamen vexationem hæretici formidantes, vt se ab illa eripere valerent astutia serpentina docuerunt illicitam esse hæreticorum punitionem, tyrannosque potius quam Reges esse dixerūt eos, qui hæreticos puniunt, aut pœnis, & cruciatibus illos ad fidem tenendam cogunt. Hac enim via putarunt Christianorū Principum animos ab ipsorum punitione deterrere, & prorsus reuocare: vt vel sic impetrata, aut potius extorta impunitate liberius quotquot vellent, possent verbis, & scripturis hæreses docere. Hæc igitur causa ego motus de pœnis, quæ hæreticis merito debentur longo tractatu in hoc opere disserere statui, vt Principes Christiani de hæreticorum punitione bene persuasi, nullam illarum pœnarum, quas iura contra hæreticos decernunt prætermitti patiantur, quin illam pertinacibus quibuscumque hæreticis, & obstinatiis instigere iubeant: vt pœnarum metu illi coercentur ne similes nouitates, & insanias effutire audeant, & sic tandem à suis erroribus resipiscant. Et si forte illi (quod Deus pro sua clementia, auertere dignetur) Pharaonem imitantes tanquam malleatoris incus indurati fuerint: alii tamen (vt credere par est) alieno periculo sapientiores erunt. Hoc autem opus, quod iam Deo aurore, ad umbilicum vsq; perduxī, tibi soli, Christianissime Cæsar, merito dicandum esse censui, qui tam feruentem habes fidei Catholicæ zelum à maioribus tuis veluti hereditario iure deriuatū: vt pro fide tuenda, aut propaganda nullos vñquam recusaueris quamlibet duros, & immensos subire labores. Nam ab eo tempore quo primum Imperatorum celsitudo Christi se subdidit humilitati, & ab illo nomen accepit, nullus vñquā fuit Imperator (absit precor verbo adulatio[n]is suspicio) qui pro Christianæ religionis tutela, & dilatatione tot, tantisq; se obiecerit laboribus, etiā si Carolus ille verè Magnus, cui tu & sanguine, & patrimonio, & dignitate & nomine succidis, inter eos recenseatur. Plures enim, quam ille prouincias pro religione tuenda penetraſti, multo pluries maris pericula ob eandem causam nō solum tentasti, sed subiisti. Hostibus Christianæ religionis multo fortioribus occurſisti, quam ille vñquam fecit. Per tot varios casus, & per tot rerum discrimina pro Christianæ religionis tus

EPISTOLA.

tela intrepidus peruagasti , vt Herculem illum , quem
poetæ monstrorum domitorem finxerunt multis para-
sangis antecedere mihi videaris : præsertim quum tu ad
domanda ea monstra , quæ animas trucidare solent , il-
los pertuleris labores , quos pro domandis illis , quæ
solis corporibus nocere poterant , Herculem tolerasse
Gentiles falso dixerunt.

Hoc solum in te , & tuis meritis desyderari posse
consydero , vt gestorum tuorum parem scriptorem ha-
beres , qui digna factis tuis referre valeret , & illorum
gloriam posteris suauissime decantaret . Talem , in-
quam , qualem immerito habuerunt Achilles , & Ulis-
ses : aut talem certè scriptorem , qualem Alexander
ille cognomento magnus ad sui corporis imaginem
expiimendam elegit pictorem . Iustum quippe es-
set , vt tantorum gestorum tuorum imago non ni-
si ab eloquentissimo Poëta , aut Oratore depingeretur.
Omitto hic Turcam potentissimum , atque ferociissi-
mum Christiani nominis hostem à te apud Viennam
gloriose fugatum , & Tunetum à te sub feruentissimis
solis ardoribus expugnatum , & à manibus Barbarosæ
potentissimi tyranni ereptum , aliasque multas de Tur-
cis , & Sarracenis terra , & mati per Duces tuos habitas
victorias.

Ea solum , quæ pro hæreticorum reductione , vt eos
ad resipiscientiam , aut alliceres , aut cogeres , patienti-
sime tolerasti , tot , ac tanta sunt , vt immortalem per il-
la sis iam apud posteros gloriam assecutus , & perpetuam
à Deo sis tandem accepturus coronam . Sæpe enim reli-
cta Christianissima Imperatrice coniuge tua , quæ tibi
charissima erat , relicto etiam Hispaniarum potentissimo
regno , quod ipsa coniuge , & filiis multo charius esse
oporebat , per horrendas matis tempestates , & asperri-
ma montium itinera Germaniam adiisti , vt magnam il-
lius partem , quæ ab ecclesiæ unitate se subtraxerat , eidem
reconciliares . Quia in re illum verum pastorem optime
expresisti , atq; effigiasisti , qui non aginta nouē oves , quas
pascendas suscepserat , in deserto reliquit , vt centesimam ,
quæ perierat , inueniret . Sæpisime pro dissidiis religionis
componēdis , quæ plurima vbiq; in Germania scatebant ,
Comitia ,

EPISTOLA.

Comitia, quæ nunc Dietam vocant, ex tota illa inclita natione celebrasti: bis, aut ter Vuormatiæ, bis etiam Augustæ, totidem Ratisponæ, & nescio an pluries Spiræ. In his omnibus vere Christianum agens Imperatorem, aliquando illos arguisti: sæpè, iuxta Pauli consilium, obsecrasti, aliquando cum maxima modestia corripuisti, sperans, ut aliquando Deus illis pœnitentiam daret, & sic illi refipiscerent à laquis diaboli, à quo captivi tenebatur. Tam modestum quidem te illis tribuisti, vt multis visus fueris nonnihil tuæ Imperiali celitudini pro illis recuperandis detraxisse. Sed qui hoc tibi, Christianissime Cæsar, exprobrabant, non attendebant quanta sint toleranda, vt errabunda ouis inueniatur, & ad gregem, vnde ne scia discesserat, reducatur. Verum hi, pro quibus tu illorum saluti consulere optans tot, tantaque percessus es, vt nihil, quod Christianum Principem deceret, omisisse videaris, beneficium non agnouerunt: sed benignitate tua abutentes in peius quotidie profecerunt. Nam qui antea solam Ecclesiæ potestatem negabant, & solum illius iugum, quod diu anteā portauerant, à se excusserant postmodum ad tantam rebellionem proruperunt, vt tibi ipsi de illis optime meritò, & cui se firmissimo sacramento ad obedientiam obstrinxerat, tam impudenter pro multis aliis rebus, & pro Christiana potissimum religione multi ex illis rebellarunt, vt nō sint veriti aduersus tuam Imperiale Maiestatem exercitum cogere, & te ad publicum certamen prouocare. Hanc autem tantam ferocissimæ gentis rebellionem, tanta prudentia, & fortitudine repressisti, vt gloriosum de illis omnibus sis assequutus sine sanguine Triumphum. Illa enim semper apud omnes fuit gloriosior, & celebrior habita victoria, quæ fuit minus cruenta. Optimæ igitur perpetuaque laude dignam, inuictissimè Cæsar, adeptus es nunc de hostibus victoriæ, qui primis huius rebellionis Ducibus vi, & armis captis, reliquos omnes, vt præteritæ coniurationis veniam supplices peterent, & iussioni tuæ humiles pareret, sine sanguinis effusione coegisti. Reliquum est, vt illos omnes ad gregem Dominicum vnde discesserant, redire, & iugum Ecclesiasticæ obedientiæ, quod diu ante reiecerant, subire cogas: & pœnis vrgentibus illos in suscep-

EPISTOLA.

pta semel fide perpetuò contineas, prout Hispanos gen-
eem non minus liberam, atque ferocem in tua obediens-
tia, & vera fide Catholica hactenus seruasti. Precor tamen Cæfaream Maiestatem tuam, vt hęc non ideo à me
dicta esse putas, vt meis adhortationibus te quasi nolen-
tem trahere velim: sed vt vltro currenti calcaria addam.
Vt autem hoc, quod optamus, facile præstare posis, no-
bis omnibus incumbit Deum precibus solicitare, vt te
diu in columem seruet, tuisque sanctis conatibus, vt hac
etenus fecit, semper faueat. Vale Christianissime

Cæsar, &c, vt meum hunc laborem boni consu-
las, oro. Ex tua Salmantica, decima octaua
die Octobris. Anno Domini.

M. D. XLVII.

Index Capitulorum

OMNIVM RERVM, QVÆ IN
tribus huius operis libris
pertractantur.

CAPITVL A PRIMI LIBRI.

Cap.1. Quid sit hæresis	folio.3.
Cap.2. De malitia hæresis quanta sit	9.
Cap.3. De differentia inter propositionem hæreticam & erroneam & temerariam & scandalosam & alias simili- lis notæ propositiones	11.
Cap.4. De multipli ci via per quam conuincī potest, ali- quam propositionem esse hæreticam	16
Cap.5. Quis potest de hæresi iudicare, & sententiam, cui omnes teneantur obedire, ferre	23
Cap.6. An Papa possit alicui committere potestatem cen- sendi de fide, ita ut ea quæ à legato Papæ fuerint circa fidem definita, sint ab omnibus pro vera fide tenen- da.	29
Cap.7. Quis sit dicendus hæreticus	37
Cap.8. De solutione quorundam dubiorum, quæ ex di- ctis in præcedenti capitulo oriuntur	46
Cap.9. Quid sit pertinacia & quis sit pertinax censendus ut per hoc merito hæreticus possit censeri	49
Cap.10. Qualis debeat esse legitima admonitio, ut qui illam contemplerit, sit merito pertinax censendus	55
Cap.11. De protestatione fidei ante assertionem hæresis ab aliquo facta, an valeat ab hæreseos nota illum li- berare	60
Cap.12. De blasphemis an sint hæretici censendi	63
Cap.13. De sortilegis & auguribus aliisq; diuinatoribus, an sint hæretici censendi	67
Cap.14. De Magis an sint hæretici dicendi, & velut tales puniendi	71
Cap.15. De maleficiis an sint hæretici dicendi & velut ta- les puniendi	77
Cap.16. De lamiis & strigis, an sint hæretice censende.	83
Cap.17.	

I N D E X.

- Cap. 17. De credentibus, receptatoribus, fautoribus, & de-
 fensoribus hæretorum, an sint hæretici dicendi & ve-
 lut tales puniendi 90
 Cap. 18. Quod captus hæreticus non statim puniendus
 est: sed emendatio procuranda, & qualiter 95
 Cap. 19. Quod non sit publicè disputandum cum hæ-
 retico, præsertim pertinace 98
 Cap. 20. Quanvis non sit absolutè bonum cum hæretico
 disputare, est tamen bonum & sanctum contra hæreti-
 cos scribere 105
 Cap. 21. Quod hæreticus si resipuerit, est ab ecclesia mis-
 ricorditer recipiendus 110
 Cap. 22. Quod hæretici primo ad fidem redeuntes, non
 sunt omnes pariter & cum æquali misericordia recipi-
 endi 112
 Cap. 23. De apostatis, an sint etiam cum ad ecclesiam re-
 dierint benignè & cum misericordia velut cæteri hæ-
 retici recipiendi 116
 Cap. 24. Si hæreticus resipuerit: quid ab eo exigendum
 sit, antequam ad ecclesiæ communionem recipiatur.
 120.

C A P I T V L A S E: cundi libri.

- Cap. 1. Quis meritò sit dicendus hæreticus incorrigibi-
 lis. 124
 Cap. 2. Quod hæreticus relapsus meritò censetur incor-
 rigibilis, & quis sit dicendus relapsus 130
 Cap. 3. Quod iustum sit & necessarium hæreticos puni-
 re. 136
 Cap. 4. Respondetur objectionibus eorum qui pro hæ-
 reticorum impunitate contendunt 141
 Cap. 5. De hæretorum pœnis, & primo de corporalibus
 deinde de spiritualibus sigillatim tractatur, & nūc pri-
 mum de bonorum temporalium confiscatione 145
 Cap. 6. Quod hæreticus à tempore commissi criminis,
 amittit omnium bonorum suorum dominium, etiam
 ante iudicis declarationem, fiscus tamen non potest
 bona apprehendere nisi post iudicis declarationem.
 150.

Cap. 7.

I N D E X.

- Cap. 7. De secunda hæretorum pœna, quæ est priuatio
 cuiuslibet dominij super quoscunque subditos 156
 Cap. 8. Probatur manifestis rationibus iustum esse hære-
 torum pœnam de qua in præcedenti capitulo tracta-
 tum est 163
 Cap. 9. De alia hæretorum pœna quæ est infamia & de
 cæteris quæ ex illa sequuntur 167
 Cap. 10. An iustum sit ut propter hæresim patris filius Ca-
 tholicus puniatur 172
 Cap. 11. Respondetur obiectionibus quæ in principio pre-
 cedentis capituli, pro parte cōtraria propositæ sunt. 178
 Cap. 12. Quod hæretici sunt mortis supplicio puniendi,
 siue talis mors gladio, aut igne, aut alio quoquis modo
 illis inferatur 185
 Cap. 13. Respondetur obiectionibus eorum qui docent,
 hæreticos non esse morte plectendos 193
 Cap. 14. An liceat hæreticos bello oppugnare, postquam
 de illorum pertinacia atque rebellione plene consti-
 rit. 200
 Cap. 15. Quod hæretorum libri sunt comburendi. 212
 Cap. 16. Respondetur aliquibus rationibus quibus ali-
 qui probare nituntur hæretorum libros esse permit-
 tendos 220
 Cap. 17. An liceat alicui, quum hæretorum libros ha-
 bere potuerit, illos legere 225
 Cap. 18. De spiritualibus hæretorum pœnis : & prīmo
 de excommunicatione ex qua oritur altera quæ est pri-
 uatio sepulturæ 232
 Cap. 19. An hæreticus posset post mortem excommuni-
 cari. 237
 Cap. 20. Respondetur obiectionibus quæ afferri possunt
 pro his qui docent, hæreticum post mortem posse ex-
 communicari 240
 Cap. 21. An Episcopus aut quiuis alias sacerdos factus hæ-
 reticus, amittat illam ecclesiasticam potestatem, quæ à
 Theologis dicitur potestas ordinis 245
 Cap. 22. An Episcopus factus hæreticus, eo ipso amittat
 potestatem ordinis Episcopalis 251
 Cap. 23. An Episcopus effectus hæreticus sit eo ipso priua-
 tus omni potestate iurisdictionis, etiam si sit Papa. 257
 Cap. 24.

I N D E X.

- Cap. 24. Respondetur rationibus quæ obiciuntur ab his
qui contrariam tuentur opinionem 260
- Cap. 25. An is qui nouit aliquem esse in hæresim lapsum
teneatur, etiam nō requisitus, illum iudici denuntiare,
ante fratrem illius correptionem 274
- Cap. 26. An filius accusans aliquem parentum suorum de
hæresi, sit ob hoc liberandus ab his pœnis quæ propter
parentis hæresim sunt illi à iure infictæ. 281

C A P I T V L A T E R.. tij libri.

- Cap. 1. Multas esse vias docetur quibus commodè pos-
sunt hæreses impediri ne orientur, & de vna illarum
specialiter disseritur 294
- Cap. 2. De prima extrinseca hæresum causa, quæ est defe-
ctus prædicationis verbi Dei, quæ si tollatur, multæ hæ-
reses deerunt 301
- Cap. 3. De secunda causa ex qua hæreses oriuntur, quæ
est indifferens prædicatio per quoscunque sine vlo dif-
crimine & sine vlla examinatione 307
- Cap. 4. De hæresum causa, quæ est negligentia Episcopo-
rum & aliorum ecclesiæ Pastorum 315
- Cap. 5. De quarta hæresum causa, quæ est multorum Epi-
scoporum & aliorum sacerdotum indignitas 326
- Cap. 6. De quinta hæresum causa, quæ est sacræ scripture
translatio in linguam vulgarem 333
- Cap. 7. De responsionibus quorundam argumentorum,
quibus aliqui probare nituntur, bonum esse ut sacræ
literæ in linguam vulgarem transferantur 341
- Cap. 8. De ultima hæresum causa, quæ est assidua & in-
cauta in libris gentilium hominum lectio 348
- Cap. 9. De remedio contra præfatam hæresum causam.
353.

Index

Index omnium rerum

PRÆCIPVARVM QVÆ IN HIS TRI
bus Libris, de iusta Hæretorum punitione, per tra
& cantur, ordine alphabetico digestus.

- A**bsolutio à peccatis, vt recte fieri possit, duplicitem
exigit potestatem in sacerdote, vna quæ est ordinis
altera quæ est jurisdictionis. folio 246. &c. 250.
Admonendus est hæreticus, leniter & cum mansuetudi-
ne, antequam corripiatur. 46.
Admonitio qualis, & qualiter, & à quo facienda sit, vt
quis censeri possit pertinax, & per consequens hære-
ticus 54. & inde.
Admonitio quoties sit iteranda vt quis dicatur hæreti-
cus incorrigibilis, vide 124. 125. &c. 126.
Ambitio fuit multarum hæresum causa 297.
Ambrosius excommunicavit Theodosium imperato-
rem. 319
Anathema & excōmunicatio, nō sunt prorsus idē. 241
Angeli siue boni siue mali non impediti, possunt corporo
ra humana de loco ad locum mouere 87
Anima humana naturaliter loquendo, non potest nisi
corpus humanum vegetare 75
Appellare à sententia Papæ in causa fidei, an liceat ali-
cui. 58. &c. 59.
Appellare quando potest hæreticus, postquam fuerit de
hæresi admonitus. 54. &c. 55.
Apostasia non dicit speciem infidelitatis distinctam ab
hæresi. 42
Apostata verè dicitur hæreticus. 42
Apostata sponte ad fidem rediens, recipitur ad misericordiam sicut hæreticus. 117. &c. 118
Apostatarum in iure signatorū diuersitas docetur 118
Apostoli fuerunt à Christo, & non ab alio homine in-
stituti Apostoli 267
Aruſpices qui dicantur. 69.
Auaritia est multarum hæresum causa. 297
Augures qui dicantur. 69.
Bellum

INDEX.

B Ellum contra hæreticos iustè moueri potest & per totum capitulum.	200
Belli iusti multæ & variæ describuntur causæ. ibidem	
Bellum ut iustum esse posse, multa requiruntur	200
Bellare est interdictum clericis	207
Bellum contra hæreticos non potest iustè moueri: nisi prius ecclesiasticus iudex declarauerit illos esse hæreticos	63
Blasphemia quid sit, vide fol.	63
Blasphemia est duplex, vna interior, alia exterior.	64
Blasphemia & spiritus blasphemiae differunt	65
Blasphemia oris quare sic dicitur	66
Blasphemus potest esse aliquis quanvis non sit hæreticus &c. 67.	
Blasphemus quando potest & debet ab Inquisitoribus hæretorum puniri.	67.
C Anonizationis verba quibus Papa sanctū aliquem canonizat, citantur	31.
Canonizari sanctus non potest per alium quam per Papam	32
Carnis illecebræ sunt causæ multarum hæresum	298
Catechumenus antequam baptismo fluminis baptizetur potest esse hæreticus	46
Causæ futurorum effectuum, tripliciter se habent ad effectus suos	68
Chyromantici qui dicantur	69
Cogi potest quisque à superiore suo, ut faciat quod teneatur facere, non tamen ut faciat quod non tenetur	
	141.
Concilium prouinciale errare potest in fide	26
Concilia prouincialia qualem habent autoritatem	26
Concilium generale recte congregatum, non potest errare in definitionibus fidei	19. & 25
Conciliū generalis recte congregati definitio, satis est ad hæresim conuincendam	19. & 20
Concilia generalia in quibus Papa non adest: sed illius legati adsunt, quare petunt à Papa confirmationem decretorum suorum	35. & 36
Confessionem peccatorum dicere non esse de fure diuino est hæreticum	56
	Confir.

INDEX.

C onfirmationis sacramentū quid præstet suscipienti	321	
C onuersatio cum bonis hominibus multum potest proa desse : & quæ cum malis hominibus habetur, multum potest obesse	165. & 228	
C orpora humana possunt à dæmonibus de loco ad lo- cum transmutari	87. 88	
C orreptio vt profit delinquenti, debet esse mansueta	96	
C orreptio vt sit obligatoria, aliqua exiguntur	276. & 280	
C orripere hæreticum fraternaliter an teneatur testis, an: tequam illum prodat	274. 275	
C redentes hæreticorum qui dicantur	90	
C rimen publicum quod dicatur	162	
C rucifixus est Christus hora tertia vocibus, & consilio sacerdotiū Iudeorū: & hora sexta manibus militum	198	
D ebitum matrimoniale non tenetur fidelis reddere coniugi hæretico	157. sed si hæreticus conuertatur, tunc tenebitur reddere	157. & 158
Defensores hæreticorum qui dicantur in iure	94	
Defensores malorum nunquam deseunt,	95	
Defensor malorum peior est illis	148	
Dæmones naturas rerum melius quam homines cogno- scunt	70. & 78	
Dæmones nunquam gratis aliquid homini donant	72	
Dæmones aliqua promittunt hominibus, quæ minime illis præstare possunt	72	
Dæmon non potest hominē in bestiam transformare	75	
Dæmones an possint cum fœminis coire, aut hominibus succumbere, vide	89	
Depositum reddere hæretico nullus tenetur	157	
Deprehensus in hæresi quis dicatur	114	
Dialectica est s̄epe necessaria ad sacræ scripturæ intellige- tiā, & propter illi⁹ ignoratiā aliqui errauerūt in fide	354	
Disputare publice cum hæretico pertinace probatur non esse bonum multiplici ratione	98	
Disputatione occulta cum hæretico facta, laudabilis est	99	
Disputantes de rebus maximis & quæ nostrum intelle- ctum superant coram populo rudi, quamuis sint Ca- tholici, male agunt	101	
Disputare de fide quomodo intelligatur esse prohibitum laicis personis	102	

INDEX.

Diuinatio quid sit	68.59
Diuinator quis dicatur	Ibidem
Diuinationes aliquæ hæresi miscentur, & sine illius ad- miniculo exerceri non possunt	69
Diuinationes aliæ sine hæresi exercentur	70
Diuitiarum cupiditas, multos in fide errare fecit	147.148
Diuitiarum amittendarum metus, multos reuocat à per- petratione eorum crimine propter quæ sunt illis à iure priuandi	146
Diuitiarum amittendarum metu, Iudæi nolunt ad fidem Euangelij conuerti	147
Diuitiarum possessionem dicere esse vitis Ecclesiasticis il- licitam, hæresis est multorum hæreticorum	148
Doctoris alicuius quantumlibet sancti sententia, non suf- ficit sola ad conuincendum aliquam hæresim	22
Doctorum omniū sacrorū, de re ad fidē pertinēte, senten- tia sufficit sola ad cōuincendū quācunq; hæresim	22.23
Dominij effectus qui sunt	151
Dominium bonorum hæretici sine possessione habet si- scus ante hæretici condemnationem 152. & hæreticus il- lo tempore possessionem habet sine dominio	153
Dominiorum genera multa refertuntur 158. & declaran- tur in foliis sequentibus	
Dubius in fide quando fit dicendus hæreticus	39
E cclesiæ vniuersalis consensus, sine aliquo scripturæ testimonio, satis est ad hæresim conuincendam	16
Ecclesia non potest punire aliquem propter solum actum animæ interiorem	233
Ecclesiæ potestates duæ sunt, vna quæ dicitur ordinis, al- tera, quæ dicitur potestas iurisdictionis 246. & istæ duæ potestates sunt necessariæ vt quis possit aliquem sacra- mentaliter absoluere	ibidem.
Ecclesia Papam eligens, hoc ipso se ad illius obediētiām obligauit, si electus cōsentit electioni ab ea factæ	262
Eloquentia magnas vires habet ad flectendos animos hominum	351
Eloquentia bona est, si quis bene illa vtatur	354
Eloquentes homines raro bene credere testatur Hiero- nimus	153
Episcoporum Catholicorum iam defunctorum qui in qualibet	

INDEX.

- Qualibet ecclesia præcesserant catalogus olim publice
in ipsa ecclesia aut altare legi solebat** 244
**Episcopus aut sacerdos factus hæreticus, non amittit po-
testatem ordinis** 246. & per totum capitulum
**Episcopi potestates quæ ad solum ordinem spectant va-
riæ sunt** 252
**Episcopi non possunt per quodcumque peccatum amit-
tere illam potestatem ordinis quam habent circa colla-
tionem ordinis & confirmationis sacramentorum** 253
**Episcopus factus hæreticus, eo ipso amittit potestatem iu-
risdictionis** 257. & per totum capitulum
Episcopi succedunt Apostolis 254
Episcopalis potestas ex iure diuino est ibidem.
**Episcopatum diuisio iure humano introducta est ad tol-
lendas dissensiones.** 262
Episcopum qualem esse oporteat 316. per totum
**Episcoporum, & aliorum pastorum negligentia est mul-
tarum hæresum causa** 315. & per totum capi.
Episcopi quid facere teneantur 315. & fol. sequenti
**Episcopi & alijs animarum rectores, puniuntur pro pecca-
tis subditorum** 323. & 324
Episcoporum absentia multorum malorum est causa 322.
 323. & 324
**Episcoporum & aliorum sacerdotum indignitas est mul-
tarum hæresum causa** 326. & per totum capi.
Error & hæresis differunt 6
Error voluntatis & error intellectus quomodo differant
 124
Errare circa fidem contingit dupliciter 61
Errare potest aliquis sine culpa 49
**Errans per ignorantiam, licet non tenetur propter cuius-
cunque admonitionem reuocare errorem suum, tene-
tur tamen post admonitionem viros doctos consulere,
a quibus doceatur** 53
**Errans per ignorantiam, & iurans se à sua sententia non
discessurum, ob hoc solum censendus est pertinax &
hæreticus** 57
Errare non permittit Deus eum qui facit quod in se est
 306
Excommunicatio nō solum percutit excommunicatum:
 b z sed

I N D E X.

- sed ligat omnes alios fideles ne illi suffragentur 244
Excommunicatus est ipso iure qui percutit clericum hæreticum nondum degradatum 171
 Excommunicari non potest aliquis propter solum animæ interiorem actum 233
 Excommunicari non potest aliquis post mortem suam 236. & per duo capitula *integra*
 Excusatio ab hæresi duplex esse potest, vna apud Deū, altera apud homines. 60. 61
 Exempla audita aut visa multum valent ad mouendum animos aliorum 164
 Exempla regum principum ferè semper imitantur eorum subditii 166
FAutores hæreticorum qui dicantur in iure 92
 Felicitas vera vbi constituenda sit ignorauerunt philosophi, & varia fuit de hac re illorum sententia. 348
 Fides Catholica aliquādo à viris indoctis appellata est secta, nunquā tamen à viris Catholicis dicta est hæresis 4
 Fidei virtus quanta sit 9
 Fides acquisita sine doctore exterius docente, haberi non potest 47
 Fidem Catholicam non æqualiter omnes Christiani scire tenentur 50
 Fidem Catholicam suscipere nemo cogi potest 142
 Fides Catholica quare non fuerit primo prædicata per sapientes, aut reges potentes, 144
 Fides est fundamentum totius ecclesiastice structuræ 262
 Fides superat intellectus humani potentiam 302
 Filii aliquando puniuntur temporaliter pro peccato parentum: sed nunquam æternaliter 183
 Filios pro parentibus punire an sit iustum 172. 173. 174
 Filii ut in plurimum nituntur parentes suos imitari 164. & 169
 Filii hæreticorum sunt ipso iure liberi à patria potestate 160
 Filii hæreticorum tenentur subuenire parentibus hæretici extremam necessitatem patientibus 160
 Filii hæreticorum sunt ipso iure infames 169
 Filii nati ante crimen à patre commissum non subiacent poenitentiæ propter crimen patris filii infliguntur: sed hoc

I N D E X.

- hoc non est verum in criminis hæresis 288. & 289
 Filius qui commisit crimen læsæ maiestatis, si à patre offe:
 ratur iudici: mitiori pœna punietur 281
 Filius magis tenetur diligere patrē: quā pater filium 282
 Filius magis tenetur subuenire patri necessitatem patien:
 ti, quām pater filio 282
 Filius magis tenetur subuenire patri necessitatem patien:
 ti, quām proprio filio eandem necessitatem patienti.
 284. Et inde deducitur ut pater egens potius debeat pe:
 tere alimenta filio suo diuite: quām à patre diuite
 Filius accusans patrem de criminis hæresis, dignus est ut
 liberetur à pœnis: quæ illi ob crimen patris sunt à iure
 decretae 287. & 290
 Fiscus habet dominium bonorum hæretici: sine possessio:
 ne, antequam hæreticus condemnetur 158
 Fratres non censentur hæretici respectu Christianorū 279
 Furtum commitit non solum qui alienum inuito domi:
 no rapit: sed etiam qui detinet 154
 Furtiuam rem qui agnoscit ubi sit, tenetur domino quæ:
 g. renti illam indicare: sed non furem 154
Grammaticæ verè ignorantia aliquos in sacræ scri:
 pturæ interpretatione, & in fide errare fecit 334
 Gentilium scriptorum libri multa continent per quæ fi:
 des Catholica oppugnatur 348. & 349
 Gentilium librorum lectio assidua & indiscreta potest
 esse causa multarum hæresum ; 48. & per totum capitu.
 Gentilium librorum lectio prodesse potest viris Christia:
 nis & doctis, ad ipsorum gentilium confutationem 355
Hæresis Græca vox est non latina, cuius vera etymo:
 logia datur 3
 Hæresis licet sit operatio intellectus, procedit tamen ab
 electione voluntatis 4
 Hæresis diffinitio datur 5
 Hæresis non est in opere exteriori ibidem.
 Hæresis nō pendet ab assertore, ut hæresis dici debeat 8
 Hæresis suspicio oriri potest ex aliquo opere exteriori 6.7
 Hæresis omnibus vitiis viam parat 9
 Hæresis est schismate peior 11
 Hæresis multis viis conuinci potest, quæ assignantur fo:
 lio 16.17.18
Hæreses

I N D E X.

- Hæreses** variæ sunt, quarum aliquæ sunt aperte, aliæ latenter damnatae 54
Hærefis nulla diu durauit, nisi quæ Principes seculares habuit defensores 94
Hærefis iudicandæ potestatem non habet iudex secularis 117.118
Hærefis discernendæ & iudicandæ plenam potestatem habet concilium generale recte congregatum, & post illud solus Papa 25. 26
Hæreses multæ ex vna sola hærefi deriuantur 121
Hæresum causæ variæ describuntur in tertio libro per multa capitula
Hæretica propositio nullatenus in scholis defendēda est: etiam si fiat disputationis causa 101
Hæreticus est priuatus iure ecclesiasticæ sepulturæ 234
Hæreticus est ipso iure excommunicatus 232. & per totum capitulum
Hæretico nunquam reuelat Deus aliquid ecclesiæ necessarium: quod Catholicis non reuelauerit 220. & 221
Hæreticus antequam quis esse pronuntietur, oportet diligenter rem examinare 37
Hæreticus figuratur per leprosum 236
Hæreticus ut quis merito dicatur, multa requiruntur, quæ assignantur 38. & 39
Hæreticus dici non potest, qui licet baptizatus fuerit, de fide tamen Catholica à nemine fuit edoctus 47
Hæreticus est membrum ecclesiæ quamvis putridum 274
Hæreticus nullus esse potest per solam ignorantiam, sine malitia voluntatis 50
Hæreticum punire negligēs rector, reus erit apud Deum omnium peccatorum quæ ille fecerit 94
Hæreticus ad fidem redire volens est misericorditer recipiendus 110.111.112
Hæretici ad fidem redeentes, non sunt omnes cum equali misericordia recipiendi. 112.113
Hæretici sunt figurati in illis viris qui turrim Babylonis ædificare cœperunt 218. & 296
Hæreticus habens beneficium, non est ipso iure priuatus illo: & facit fructus suos quoisque priuetur illo 171.172
Hæretici significantur per zizania 198
Hæreti:

I N D E X.

- Hæreticos bello oppugnare licet 200. per totum capi.
 Hæretici significantur per Iamias 214
 Hæreticorum punitionem licita esse & necessariam pro-
 batur multis rationibus 136, 137, 138
 Hæretici sunt tanquam lupi quos verus pastor debet fu-
 gare 143. & 319
 Hæreticorum punitio constat ex sacris literis 319
 Hæreticos primi Imperatores Christiani puniuerunt
 144
 Hæretici suni falsari 146
 Hæretici omnium bonorum possessione iuste priuantur
 145. & illam ipso iure sine iudicis sententia amittunt
 150. 151. & inde sequitur: quod non possunt facere te-
 stamentum 154
 Hæretico quamvis conuicto & per sententiam ad mor-
 tem damnato, Ecclesia non negat penitentiae & Eu-
 charistiae sacramenta si ille contritionis signa ostende-
 rit 116
 Hæreticus ad fidem rediens antequam ab Ecclesia reci-
 piatur, tenetur abiurare hæresim suam 121. Tenetur
 etiam promittere & iuramento confirmare: quod
 nunquam in posterum ab unitate fidei Catholicæ re-
 cedet 107
 Hæreticos non esse puniendos qui docent, merito de il-
 lis habentur suspicio illos esse hæreticos 136
 Hæreticus est ipso iure infamis 167. & haec infamia exten-
 ditur ad filios 169
 Hæreticus non potest esse testis 170
 Hæretici pertinaces sunt morte puniendi 186. & per to-
 tum capi.
 Hydromantici qui dicantur 78
 Historiarum cognitio est valde necessaria ad intelligen-
 tiam sacræ scripturæ 354
 Homo defunctus non potest a dæmone suscitari 73, 74
 Homo non potest a dæmone in bestiam transforma-
 ri 75
I Diota aliquando potentior est ad conuertendum hæ-
 reticum, quam omnes viri docti 129
 Ignorantia quando possit excusare aliquem ab hæresi
 vide fol. 58

I N D E X.

- Ignorans se ægrum nunquam sanari potest 319
 Imagines rerū, solent eisdem nominibus appellari, quibus res ipsæ quarum sunt imagines 73
 Imperialis aut regalis potestas non est fundata supra fidem, sicut papatus: & ideo licet Imperator aut rex fiat hæreticus, non amittit ex iure diuino ipso facto Imperium aut Regnum. 270
 Incorrigibilis quare aliquis dicatur. 124. &c. 133
 Infamia iuris & infamia facti, describuntur 167
 Infidelium opera non omnia sunt peccata. 10
 Inquisitor hæreticorum multa debet facere anteq; hæreticum damnet, ut illum conuertere possit 128. 129
 Inquisitores hæreticū tradentes hæreticū potestati seculari pro illius arbitrio puniendum: nō sunt similes sacerdotibus Iudæorum, qui Christum Pilato tradentes, dicebant: nobis non licet interficere quenquā. 197
 Intercedere pro hæretico manifesto apud iudicem nemini licet. 93
 Iracundus non est, qui semel irascitur. 327
 Iudæi à principio agnouerunt Christum esse verū Messiam, sed postea per inuidiam excæcati illum non cognouerunt. 295
 Iudæi ne ad fidē Euāgelii cōuertātur vna causa est, quia postea non permittetur illis usuras exercere 147
 Iudex ecclesiasticus nunquam damnat aliquem ad mortem corporalem. 286
 Iudicem in causa fidei, cui omnes obedire teneantur esse necessarium, probatur. 23
 Iudicem hærecoꝝ non esse sacram scripturam, prout Lutherus docuit, probatur. 24
 Iudex verus & indubitatus in causa fidei est conciliū generale recte congregatiū, aut sedes apostolica. 25. &c. 26
 Iudex verus in causa fidei, nō potest esse vniuersitas, aut studium aliquod generale. 26
 Iudex certus & infallibilis in causa fidei, non potest esse legatus sedis apostolice. 30
 Iudex non potest filium pro patre punire ad mortem: Deus autem sic. 184
 Iudex indubitatus in causa fidei nō est Episcopus, quan-
 uis sit iudex hæreticorum. 27. 28
 Iudex

I N D E X.

- Judex sine testibus non potest reum punire 275
 Iudex secularis licet non possit iudicare de criminis hæresis: potest tamē iudicare de penitentiis quæ illi debentur. 276
 Iuris canonici defectus quādo suppletur per ius ciuile. 219
L Amia quid sit 85
 Lamiæ mulieres & strigæ an sint censendæ hæreticæ. 90
 Lamiæ bestiæ sunt figuræ hæreticorum 214
 Legatus sedis apostolicæ, non potest esse iudex infallibilis in causa fidei. 30.31.32
 Leonigildus Hispaniarum Rex hæreticus filium suum fidelem interfici iussit 167
 Lex sancta est, quanvis ex illa multi occasionem peccati, illa non donante, sumant 109
 Leges Principum secularium obligant in conscientia, non tamen omnes 226
 Legis ratione cessante, debet cessare lex 287
 Libri hæreticorum sunt comburendi. 212. per totum cap.
 Libri hæreticorum sunt velut fontes venenosæ. 213. &. 214
 Libros hæreticorum vendere permittens, suspectus est de hæresi, & reus erit coram Deo omnium malorum, quæ ex illorum permissione succedent. 215
 Libri hæreticorum & si aliqua vera contineant: illaten-
men sunt multis mendaciis plena 221
 Libri hæreticorum & si aliqua vera continet illa tamē mul-
to melius in libris Catholicorum inueniuntur. 221. &. 222
 Libros hæreticorum legere quibus & quando licitum
sit. 225. & per totum cap.
 Libros omnium hæreticorum legere, non est adhuc ge-
nerali lege prohibitum 227
 Libros Lurheri & eius sequaciorum legens, est ipso facto ex-
communicatus per bullam quæ legitur in cena Dñi. 210
 Libri gentilium scriptorum nō omnes legendi sunt: sed
illi soli qui magis prodesse & minus obesse possunt. 354
 Libros gentilium legentes debent esse sicut apes 359
 Lingua Latina quæ nunc arte disicitur, olim toto populo
Romano fuit communis 346
 Luporum nomine quid significetur in sacra scriptura. 319
M Agi qui dicantur 72
 Magi quando dicantur hæretici 73
 Malefici quare sic appellantur 77

I N D E X.

Maleficiorum diuersitas describitur	77
Maleficia dæmonis adiutorio fiunt	78
Maleficio soluere aliud maleficium peccatum est	79
Maleficum solicitas, ut maleficium maleficio soluat, græ uiter peccat	79.80
Malefici de multis sunt ab Inquisitoribus examinandi.	
81.82.83.	
Maleficium quod exercetur per admixtionem alicus fa- cramenti, aut rei sacramentalis: reddit illius operato- rem suspectum de hæresi	83
Maria virgo, quomodo dubitauerit quando Gabrielem angelum interrogauit	40
Marcellinus Papa, & si thura idolis obtulit, non tamen ideò est hæreticus dicendus	271
Marrani quare aliqui dicantur	44
Matrimonium fratris cum sorore est prohibitum ex le- ge naturæ	345
Mendacis hominis præmium quale sit	224
Mercenarius pastor quis dicatur	328
Meritum alicuius potest alteri opitulari pro quo illud obtulerit.	284
Mereri alteri nō potest, qui prius sibi nihil meretur.	292
Messiam in lege promissum fuisse Christum, probatur duobus testimoniosis	334
Missa celebratio iuxta ordinem & ritum quem Romana tenet ecclesia, quando & ob quam causam cœpit cele- brari in Hispania	45
Mopsarabes quare dicantur	45
Mortis pœna in iure canonico sumitur pro excommuni- catione, aut depositione	286
Mortui an sentiat pœnas propinquorum suorum viuen- tiū, res est dubia	177
Mulier facilius decipitur quam vir	85
Mulier est pronior ad libidinem quam vir	86
Mulier fidelis quare posfit à viro infideli separari	235
Mulier prædicare aut docere non est permittenda	314
N Ecromantici qui dicantur	71
<i>Necromantia quid sit</i>	ibid.
Nutrix & nutritius quid circa puerum illis commissum agere debeant.	368.
Oblivio	

I N D E X.

- O** Bluiō sicut ignorantia potest aliquem ab hæresi excusare 51
 Occidere hominem sceleratum ex autoritate publica, nō est lege diuina prohibitum 186.187
 Occidendi hominem tres causæ iuste reseruntur & declarantur 188.189
 Odire Deum quid sit 65
 Ordinis potestatem nunquam amittit sacerdos hæreticus quanvis sit degradatus 249 & inde : sed amittit potestatem iurisdictionis 250
 Ordinis sacramentum non est iterabile 249
 Oficii Cordubensis Episcopi pessima mors refertur 148
P Acta cum dæmone dupliciter fieri contingit 72
 Papa, vide in dictione : Sedes Apostolica.
 Papa non potest committere alicui potestatem iudicandi infallibiliter in causa fidei 30.31
 Papa & si errare potest ut persona priuata, non tamen quatenus publicam agit personam 30. & 257
 Papa non potest committere alicui canonizationem alii cuius sancti: sed potest committere inquisitionem vitæ illius 31.
 Papa nō potest auferre ab Episcopis potestatē illam quā habent circa collationem sacramenti ordinis 253
 Papa non potest prohibere Episcopis executionem ordinis Episcopalis circa sacramenta 255
 Papa potest tollere ab Episcopis eam potestatem ordinis quam habent circa sacramentalia 256
 Papa si fiat hæreticus, eo ipso amittit potestatem Papalem 257 & per totum capitulum
 Papa non subditur iuri humano 258
 Papæ multa sunt necessaria ut vere sit Papa 261.262
 Papa cùm primo electus est, potest renuntiare electioni de se factæ, postquam autem semel consensit, nō potest sine consensu Ecclesiæ 261
 Parabolæ sensus non est sumendus à prima vocum significatione : sed à significatione earum rerum, quæ per voces significantur 336
 Pastor bonus quis sit 321
 vide etiam in dictione Episcopus
 Pater tenetur filios & subditos corriger 138
Paulus

I N D E X.

- Paulus apostolus epistolas ad ciuitates mittens, nō ad totum populū: sed ad solum clerum illas dirigebat 347
 Pax promissa est mundo per Christi aduentum 194
 Pacem turbare, duæ res solent 194
 Peccatum publicum grauius est quām secretum 224
 Peccatum intellectum excēdat, & inde oritur hēresis. 294
 Peccatum interrogantis est causa, vt erret doctor, quem ille interrogat 299
 Pertinacia quid sit 49
 Pertinax quis dicitur 49
 Pertinax non semper est dicendus qui inquisitori aliquid afferenti non vult obedire 56
 Petēs ab illo qui paratus est dare usuras nō peccat: sed petēs à malefico qui paratus est maleficia exercere, vt māleficium unū per aliud maleficium dissoluat, peccat. 79. 80
 Petrus pro se solo & non pro omnibus apostolis locutus est quando dixit: Ego dico tibi: quia tu es Christus filius Dei viui 263
 Petro maiorem dedit Christus potestatem quām cæteris Apostolis 261
 Philosophi gentiles incautis Christianis multarum hæresum materiam ministrant 352
 Philosophis gentilibus qui multa præclara de virtutibus scripsierunt, merito compati debemus: quia gloriā æternam non sunt assecuti 360
 Pœnæ temporales non semper dantur à Deo iuxta mensuram delicti 11.
 Pœna non semper est remittenda quotiescumque remittitur culpa 134
 Pœnas oportet statuere pro transgressoribus legum. 139
 Poëti gentiles sunt pernitiosissimi ad bonorum morum instructionem 349
 Poëtas censuit Plato esse procul à bona vrbe abigendos, ne suo colloquio totā prorsus inficerent vrbum 349
 Poëtæ gentiles multis præbuerunt causas multarum hæresum 352
 Poëtae lascivi & molles, non sunt pueris tradendi 356
 Poëtas Christianos pueris tradere expediret, antequā ad Poëtarum gentiliū lectionem illi accederent. 357. &. 358
 Poëtarum versibus usus est sāpè Paulus apostolus 360
Pote-

I N D E X.

- Potestas ordinis præstator est q̄ potestas iuris dictiois. 273
 Potestates ecclesiæ duæ sunt, vna dicitur ordinis, altera iurisdictionis, & illarum differentias 246. per totū cap.
 Præceptores puerorum, non deberent illis tradere Ouidium, aut alium similem lascivium Poëtam 1554
 Præceptores puerorum quos libros illis tradere debeant 357. & 358.
 Præceptores qui libros Philosophorum gentilium discipulis interpretantur, tenentur auditores admonere de illis quæ Christianæ religioni repugnant 358
 Prædicationis verbī Dei defectus est causa multarum hæresum 301
 Prædicatio verbī Dei est necessaria ad credendum 303
 Prædicare non est permittendus aliquis nisi sit prius examinatus 314
 Prædicatores sunt velut canes 304. & 305
 Prædicotorum indignitas est sæpè multarum hæresum causa, 307. & per totum illud cap.
 Prædicatorem oportet esse doctum, & bonum 308
 Prædicatores indulgentiarum quales esse soleant 309
 Prædicatores aliqui aliter quam sentiunt, docent timore pœnæ, aut spe præmiij 312
 Prædicator male viuens multum nocet 313
 Præscribere possunt filij hæreticorum etiam contra Romanam Ecclesiam de bonis parentum bona fide retentis, spatio. 40. annorum 153. 154
 Principes seculares debent præstare adiutorium ecclesiasticis 305. & 306
 Prophetarum nomen commune est bonis, & malis Prophetis 225
 Promissa seruare est de lege nature, & ideo ad illa seruanda quisque a suo superiore cogi potest 142
 Propositio eadem potest plures habere sensus, vnum Catholicum, & alium hæreticum 152
 Propositioni diuersitatem, quarū aliqua est hæretica, aliqua erronea, alia temeraria, alia scandalosa 11. 12. 13. 14
 Protestatio de fide ante assertionem hærefis facta, quādo valeat aliquem ab hærefoe nota excusare 60
 Pueris nō est committenda animarum cura, quanuis bona de illis habeatur spes 329
 Punire

I N D E X.

- Punitio sceleratum hominem iudex si negligat, reus erit
apud Deum omnium peccatorum, quæ ille commisit. 94
tit.
- Punitio hominis propter duplice causam fieri debet. 136
Punitio peccatoris non solum est utilis ipsi peccatori pu-
nito, sed aliis qui vident. 138
- Puniendus est quisque in ea re, pro cuius amore peccare
voluit. 146
- Punitio licet aliquando fiat sine culpa, nunquam tamen
sine causa, & multæ ibi assignantur causæ iustæ propter
quas aliquis sine culpa sua potest puniri. 178
- R**ECEPTORES HÆRETICORUM, qui dicantur 91
Rector bonus non debet esse austerus fol. i.
Relapsus hæreticus quis dicatur, & quot modis 130.
131. 132.
- Rerum proprietates agnoscere est saepè valde necessariū
ad veram fidei scripturæ intelligentiam 354
- Rex hæreticus multos à fide auertere potest 166
- Reges Christiani debet esse tanquam nutriti Ecclesie. 359.
- S**acerdos simplex cura animarum habens oportet, ut eas
virtutes habeat, quæ sunt Episcopo necessariae 329
- Sacerdos verba consecrationis non profert in propria:
sed in persona Christi 252
- Sacerdotes Iudeorum crucifixerunt Christum vocibus,
& confilio, quanvis non manibus 198
- Sacerdotium veteris legis non erat fundatum in fide, sicut
papatus, aut Episcopatus in lege Euangelica. 270. 271
- Sacramentorum ritus, & ordo, quem nunc Catholica te-
net ecclesia, credens est ab ipso Christo processisse. 20
- Sacramenta dicuntur mysteria 320
- Scandalum, quod prouenit in proximo ex infirmitate, aut
ignorantia, ut quis evitet, tenetur dimittere rem qualibet
bonam, quæ non est illi ad salutem necessaria. 344
- Scribere contra hæreticos est bonum & sanctum, quanvis ali-
quis ex sua malitia inde scandalizetur, eam suscipiens
hæresim, quæ illic reprobatur. 105. & per totum cap.
- Scriptura sacra est efficacissima ad probandum proposi-
tionem aliquam esse hæreticam 16
- Scripturæ sacræ expositio non est ab hæreticis petenda.
223. &c. 224.

Scriptu..

I N D E X.

- S**cripturæ sacræ mysteria figurantur in puteis, quos fodit
Isaac 222
- S**cripturæ sacræ peruersa intelligentia est omnium fermè
hæresum causa 334
- S**cripturæ sacræ translatio in linguam vulgarem est mul-
tarum hæresum causa. 334. & per totum cap.
- S**cripturam sacram non esse facilem intellectu probatur
multis rationibus 334. 335
- S**criptura sacra multa habet, quæ in facie pugnare viden-
tur, ad quæ concilianda opus est multa doctrina 336
- S**criptura sacra multa continet, quæ non sunt intelligenti-
da iuxta solam literæ superficiem: sed iuxta mysterium
sub literæ cortice latens 335
- S**cripturæ facie partem aliquam in linguam vulgarem
transferre, bonum esset si illi adderetur commoda ex-
positio 342. & 343
- S**criptura sacra in manibus hominis idiotæ, & mali est
sicut gladius in manibus furiosi 344
- S**criptura sacra non fuit olim apud Iudeos omni populo
publica, sed soli Leuitæ, & Scribæ illæ habebat. 346. & 347
- S**criptura magis nocere potest, quam verbum prolatum
213.
- S**chisma licet sit leuius peccatum, quam hæresis, grauius
tamen punitur a Deo II.
- S**cientiæ omnes liberales ad sacræ scripturæ perfectam
intelligentiam sunt necessariæ 354
- S**edis Apostolicæ definitio in rebus fidei errare nō potest
& inde sequitur, vt illa sit efficax ad quamlibet hære-
sim conuincendam 21.
- S**edis Apostolicæ sententia qualiter sit discutienda ante-
quam proferatur 27.
- S**edes Apostolica est index in causa fidei 27
- S**erius, qui noluit in hæresim Domini consentire, effici-
tur liber 160
- S**ortilegi qui dicantur 69
- S**ortilegia, quæ sapiunt hæresim, quæ sint 82
- S**piritus blasphemiae quid sit 65
- S**piritus sanctus dicitur postulare gemitibus inenarrabi-
libus: quia facit postulare, & gemere 360
- S**trigæ, & Lamiæ, quo pacto se dæmoni reddant 84
- Strix**

I N D E X.

<i>S</i> trix est avis nocturna	83
<i>S</i> uperbia est multarum hæresum causa	296
T ' Empus gratiæ circa punitionem hæreticorum quæ le sit	113
<i>T</i> empus gratiæ dari solet hæreticis ex antiquissima eccle siæ consuetudine	126
<i>T</i> estis contra hæreticum potest esse alius hæreticus	170
<i>T</i> estis quando teneatur dicere testimonium	275
<i>T</i> estis an teneatur corrigere fraternaliter hæreticum, an: tequam illum prodat	275 & per totum cap.
<i>T</i> yrrannus à Rege per quid differat	15
<i>T</i> yrrannis potius quam potestas dicenda est, quæ à Deo non est	343
<i>T</i> ragœdiarum, & comœdiarum actiones à sua republica relegarunt Lacedemones	355
<i>T</i> roporum, & figurarum cognitio est necessaria ad per- fectam sacræ scripturæ intelligentiam	335
<i>T</i> ropi cuiusdam, & figuræ expositionem quo sæpè sacræ literæ vtuntur.	360
V erbūm Dei est cibus animæ, & potus	303
Verbum Dei est lumen animæ	304
Verbum Dei prædicandum est iuxta capacitatem audienc tium, & non amplius	310. &c. 337
Veritas aliqua in libris gentilium reperta, quomodo à Christiano lectore recipienda sit	359. &c. 360
Vestes sæpè seruiunt plus ad iactantiam, & vanam glo- riam quam ad tegumentum	359
Vindicta respectū habet ad iniuriam, siue verā, siue appa- rentein, & sine illa non potest dici vindicta	178
Vindicta iniurię petens à iudice, à Deo petere cēsetur.	201
Vmbra diaboli est peccator	141
Vngues, & capilli quid significant in sacra scriptura.	359
Voluntas hominis non potest à dæmoni cogi	81
Vsuras petens ab eo, qui paratus est dare, non peccat : ta: men qui petit ab eo, qui paratus est maleficia exercere, vt aliquod maleficium faciat, peccat.	79
Zizaniorum cum tritico magna est similitudo	199

INDICIS FINIS.

Fr. Alfonsi A Castro

SAMORENSIS, ORDINIS MINORVM
De Obseruantia, in tres Libros, quos de iusta
Hæreticorum punitione ædidit
PRÆFATIO.



ARIÆ, sunt & ex diametro pugnantes de Hæreticorum Punitione ab aliquibus datæ censuræ, quibus & si extremæ illæ sint & longissimæ ab æquitate rece- dentes, Patroni tamen non defunt, qui iunct illarum vltro suscipiant tutelam, & illis pertinacissimè fauere conentur. Sunt enim aliqui multum de Pharisæorum supercilio habentes, adeò morosi & intractabiles, ut hæreticos omnes irreconciliabili odio, & sine vlla punitionis lenitate persequendos esse censeant. Cū aliquem in hæresim lapsum esse cœperint mirum in modum lætantur, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia, & illicò impotenti quodam furore agitati, mille in illum coniiciunt conuitia mille illi in faciem dicunt contumelias, & tandem citissimè illum igni tradendum esse decernūt. Hoc enim hæreticorum odio quasi quodam certissimo, & indubitate Symbolo se fidei Catholicæ ardētissimos zelatores, pro pugnatoresq; constantissimos aliis ostendere conantur: tanquam si fides Christiana secum necessario cōnexum haberet furorem, & omnem proiisus à se reiiceret mansa etudinem, & correctionis lenitatem. Ut tamen hos, qui non vsquequaq; à vera iustitiae regula aberrant, aliqua ex parte consolari possim, fateor quidem illos zelum fidei Catholicæ habere: veruntamen non secundum scientiam illum moderantur, atq; temperant. Quia volentes iustitiam suam statuere, iustitiae Dei obliuiscuntur. Nam iustitia Dei, quam Paulus docet, est vt cum modestia corripiantur ii, qui resistunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diabolî laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Bonum quidem rectorem decet, vt ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensans, magis per humilitatis, & mansuetudinis lenimentum studeat erran-

2. Tim. 2.

PRÆFATIO.

tes ab erroris laqueo eripere, quām per austoritatem in
foueam perditionis propellere. Sæuus quidem, & plus
satis acerbus merito censabitur chyrgus, qui nulla
prorsus adhibita fomentorum lenitate, nullisq; aliis ten-
tatis remediis omnia vulnera adiunctionibus curare nite-
retur. Nam prius blanda oportet adhibere vulneri mede-
camenta, & experiri an vllis possit vulnus lenibus sanari
fomentis, quæ cum nihil proficere posse ex re ipsa intel-
lexerit: tunc bonum erit acerbioribus vti medicamentis
& partem illam infectam, si res desperata fuerit, resecare
ne virus ipsum in reliquas corporis partes grassetur, &
sic totum corpus inficiat, & perdat. Hoc exemplum imi-
tantes ii, penes quos est ius & potestas de Hæreticorum
punitione censendi, deberent prius eorum, qui in hære-
sim lapsi sunt læsas sanare conscientias, serpentia auferre
vlera, adurere aliqua non abscondere: tandem quod sa-
nari non posset cum dolore resecare. Qui hæreticos pri-
mo congressu contumeliis afficiunt, & nullis prius ten-
tatis remediis, quibus illos ad Catholicæ Ecclesiæ gre-
mium reducere possint, statim è vita tollendos esse de-
cernunt: non sanare, sed occidere optant. Hos enim re-
Eze.34. darguit Deus per Ezæchiel prophetam dicens: Quod
infirmitum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non
sanastis: quod confractum est, non alligastis, & quod ab-
iectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsi-
stis. Sunt rursus alii prorsus contrariam docentes sen-
tentiam, qui nequaquam pati possunt, vt hæretici quamlibet
pertinaces pœna aliqua puniantur: & ob eam causam
Catholicam Ecclesiam nigro carbone notant, q; va-
ria pœnarum genera huiusmodi hæreticis contra ius,
phasq; (vt aiunt) decretis æditis illa statuerit. Reges, ac
cæteros Christiani orbis Principes, propterea quod Hæ-
reticos puniunt, & verberibus illos ad fidem, quam in
baptismo suscepertunt, tuendam cogunt, tyrannos vo-
cant. Qui ita sentiunt, si aliquis in hac parte permittitur
conjecturis, aut suspicionibus locus, non aliorum: sed su-
am causam mihi tueri videntur. Nam ideo illos ita do-
cere suspicor, vt impunitate hæresibus concessa, liberius
quas voluerint, possint hæreses, aut verbo prædicare, aut
scriptio docere. Optant quidem illi eas, quas contra Eccle-
sie

fæ Catholicæ fidem mente conceperunt sententias in
 publicum effundere: sed metu pœnæ coerciti mutare non
 audent. Et ob hanc causam male illos habet hæretico-
 rum punitio, quæ illorum effrenatam compescit dicen-
 di; scribendique libidinem. Hæreticos igitur ideo impun-
 itos esse relinquendos aliqui contendunt, & ut vel hac
 via sibi ipsis impunitatem acquirant, qua adepta liberè
 possint, quicquid libuerit docere. Harum duarum tam
 diuersarum, secumque pugnantium sententiarum: alte-
 ra propter acebisumnam illius austoritatem: altera ob ni-
 miam remissionem, permittosamque indulgentiam dese-
 renda mihi videtur. Inter has igitur medianam in hoc ope-
 re docere statui, quæ ab utraque longè discedat, neque
 ad dexteram, neque ad sinistram declinans. Potissimum
 tamen huius nostri operis scopus est: contra eos, qui hæ-
 reticorum impunitatem docent, pro Catholica Ecclesia,
 veluti filius pro matris honore pugnare, causamq; illius
 pinguiori, qua potuero Minerua agere, ut ostendam ni-
 hil illam iniustum, nihilque, quod veram matrem dede-
 ceat illam statuisse. De qua re nullus vñquam (quod sciam)
 ante me disseruit. Nam & si aduersus eos, qui hæretico-
 rum impunitatem docent multi theologi Catholici, &
 docti hoc nostro sæculo scripsérunt, qui hæreticorum pu-
 nitionem multis, evidentissimisque rationibus iustifi-
 cam esse perstraserunt, quod tamen iustæ sicut omnes illæ
 pœnæ, quæ iure canonico & civili aduersus hæreticos de-
 creta sunt: nullus eorum, quos hactenus videre licuit,
 probauit: nec de illa re ullus vñquam illorum disseruit.
 Quæ res certè non erat prætereunda, præsertim quum
 multi sint hoc nostro sæculo, qui illas iniustas esse perti-
 nacissime contendant. Scio plerosque iuris peritos de
 huiusmodi pœnis satis superque disseruisse, nullus tamen
 eorum, quos nōuerim, vel aliquam suæ disputationis par-
 tem ad hunc scopum direxit, ut omnes illas pœnas iustæ
 hæreticis irrogatas esse probaret. Suspicor hac occasione
 ab illis omnibus hæc disputationem fuisse omissam, quod
 impium illi autumant, de legum bonitate, & iustitia di-
 sputare, quas omnes sanctas esse censem, & perinde ac dñ-
 uina oracula venerandas. Sint licet illæ sanctissimæ, non
 desunt tamen, qui nigrum illis præfigere thita non ve-

PRÆFATIO.

rentur. Harum igitur legum : quæ hæreticis pœnas alii
quas dēcernunt, tutelam ab omnibus dēscētāt ego hæ
intentione in præsentiarum suscipio, vt illas omnes iu
stissime infictas esse non solum pro viribus tuear : sed
aliis etiam vt in eādem transeat sententiam urgentissi
me Deo fauente persuadeam. Ut autem rem hanc pie, &
plene absoluere possim, tribus libris opus hoc partiri de
creui, quibus quicquid ad hanc rem spectat, comprehen
di posse sum arbitratus . Primo libro de ipsis hæreticis
differam, & ostendam, qui sunt illi, & quomodo sint de
suis hæresibus legitime admonendi, vt si fortè suo agni
to errore ad viam voluerint veritatis redire, doceamus
qua benignitate, & misericordia sint ab ecclesia recipien
di. Altero mox libro de illis hæreticis, qui suas tam mon
dicus hæreses tenent : vt ab illis ne quaque auelli pos
sint. pertractabo : & pœnas, quæ sunt illis à iure decretæ
sigillatim recensebo, quibus ad amissim declaratis, eas
omnes iustissime infictas esse multis euidentissimisque
rationibus Deo adjutore conuincam. Tertio denique
libro vias aliquas ostendam , quibus mea sententia ob
uiari potest hæresibus ne vlli deinceps inter Christianos
orientur hæretici, quos ecclesiæ præfules, & mundi Prin
cipes citra remissionis, & ignauiae notam non possint re
linquere impunitos. Ante omnia tamen theologos, &
iuris peritos, quibus omnibus opus hoc profuturum spe
ro, exoratos esse vellem , vt si illorum alteruter in hoc
opere legens aliquando circa notissima suæ facultatis
principia ampliorem fortè, quā ille vellet sermonem me
fecisse viderit , non ideo succenseat mihi, aut opus hoc
contemnat: sed illa non sibi, sed alterius facultatis homi
nibus me scripsisse intelligat. Sunt enim aliqua iuris pe
ritis notissima, circa quæ parum versantur Theologi.
Sunt rursus alia theologi apertissima, etiam ex his, quæ
ad hæreticos spectant, quæ non sunt ita iuris peritis ma
nifesta. De quibus omnibus cum sim in hoc opere dispu
taturus ne forte in eam, quam aliis parare intendo inci
dam foueam , illud imprimis testor me nolle quicquam
aduersus Catholicæ ecclesiæ doctrinam sentire : sed eius
dem ecclesiæ iudicio , & censuræ opus hoc, & meipsum
totum subiicio. Quod si forte, prout sunt intellectus hu
mani

mani fallaces, ab illa sententia, quam Catholica docet,
& tenet ecclesia aliquando in hoc opere me deuiare con-
tigerit, vt id non ex industria: sed per ignorantiam, aut
negligentiam me dixisse arbitrentur, omnes exoro. Et
illud ex nunç pro recantato haberi peto: quoniam in
verba ecclesiæ Catholice iuraui, & in obsequium Chri-
sti illius sponsi, qui illam iugiter docet, intellectum
meum iamdudum in captiuitatem redigi.

Ob quam causam omnibus ecclesiæ
Catholicæ definitionibus ve-
luti diuinis oraculis fa-
teor me esse obedi-
re paratum.

A;

F. A. L:

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Fr. Alfonsi A Castro

ZAMORENSIS, ORDINIS MINORVM

De iusta Hæretorum punitione

LIBER PRIMVS.

QVID SIT HÆRESIS

CAP. PRIMVM.



E Hæretorum punitione tractatus, ab Hæretici definitione exordi-
ri debuissim, vt inde omnibus pate-
ret, quid sit id, de quo præsentem su-
scipimus disputationē. Verūm quia
omnes, qui vocis etymologiam, vel
mediocriter agnoscunt, optime no-
runt hanc vocem, hæreticus ab hæ-
resi deduci: ideò præsentem disputationem longius pe-
tendam esse censui, vt ab hæresis definitione illam auspi-
carer; & inde ad Hæretici definitionem manifestandam
facilius proficiscerer. De hac re & si in opere illo, quod
aduersus omnes hæreses ædidi abunde pertractauerim,
nunc tamen fusius, & exactius dicere statui, propterea q
quæ nunc agimus, eō tendunt: vt his, qui de Hæreticis iu-
dicare, & illos punire habent, notum esse possit, quali no-
ta omnes circa fidem errantes inurere debeant. Quę om-
nia scire huiusmodi iudicibus est valde necessarium, ob
id solum, quod non omnes errores etiam si illi de rebus
fidei tractent, sunt æqua lance pensandi. Prius igitur nu-
dam nominis significationem explicemus, & inde verā
hæresis definitionem melius iquestigare poterimus.

Hæresis cum non Latina, sed Græca vox sit, illius ety-
mologia, & significatio à Græcis petenda est, non autem
à Latinis, prout quidam parum in sermone aut Græco,
aut Latino eruditii de hæresi differentes faciunt, qui hæ-
resim ab hærendo deducunt, atq; ob id aliquam assertio-
nem hæresim dictam esse putant, quod quis suo tantum
innitens iudicio, illi pertinaciter adhæreat. Hanc vocis
bellam etymologiam reddit Petrus de Palude in quarto
senten

Sententiarum distinctione. 1. Hostiensis vero in sua summa deducit hanc vocem heresis ab ercisor, quod pri-
mo vocabulo significat diuidere. Sed ista multo magis ridenda est etymologia, quam p̄cedens quod facile intellexisset, si considerasset, quod huius vocis heresis prima syllaba scribitur per diph: hongum, æ, & cum aspiratione. At hæc vox, ercisor, nec diph: hongum habet in principio nec aspirationem. Abbas in capite firmissime de hereticis, triplicem assignat deriuationem huius vocis heresis. Dicit enim eam deduci ab hoc verbo ad: hæreo, vel ab hoc verbo ercisor, vel ab hoc verbo erro. Non quidem miror, quod hæc ignorent, quæ suæ profes-
sionis non erant: sed miror quod quæ ignorabant, non sunt veriti tanta cum autoritate docere. Iustum qui-
dem fuisse, ut de hac re, quam prorsus ignorabant, vi-
ros doctos consuluisserent, à quibus edocti potuissent post:
ea sine rubore alios docere. His igitur, & aliis eiusdem
farine huius vocis etymologiis reiectis: dicimus heresim
Græce idem esse, quod electionē Latinē. Nam heresis ab
εἵρεσις verbo Græco deducitur, quod Latinē versum
sonat idem quod eligo. Et ob hanc causam Philosopho-
rum sententię, aut opiniones hereses quandoque dicun-
tur: quia eam, quæ sibi magis placebat, illorum quisque
eliebat sententiam. Sic enim Cicero in paradoxis ait.
Cato in ea est heresi, quæ nullum sequitur orationis flo-
rem. Heresim dixit pro electione, quia talem dicendi
stylum sibi elegerat Cato, qui nullum prorsus orationis
flore haberet. Quia igitur heresis electio est, fit, ut Chris-
tianorum fides nunquam heresis vere dici posfit. Hec
enim non ex hominis arbitrio pendet, neque ingenio hu-
mano inuenta est: sed Deo inspirante & reuelante est
hominibus manifestata. Sermo meus, & p̄dicatione mea
(inquit Paulus) non in persuasilibus humanę sapien-
tię verbis: sed in ostensione spiritus, & virtutis Dei. Et
iterum alibi: Gratia enim saluati estis per fidem, & hoc
non ex vobis. Quibus verbis Paulus aperte satis docuit
Catholicam fidem non esse humana ratione inuentam,
neque ex hominum electione pendere: sed ex Dei voca-
tione, & donatione. Quò fit, ut iuxta veram huius
vocis significationem, heresis minimè dici posfit.

Cicero.

1. Co. 2.

Ephe. 2.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Invenimus autem fidem Catholicam sectam fuisse aliquando nominatam; sed hoc a viris impiis, & incredulis aut ab iis, qui & si Christiani sunt, parum tamen fidei catholicæ dignitatem intelligunt. Nam Iudei habitantes Romam Paulo illuc aduentanti dixerunt: Rogamus a

Act. 28. te audire, quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis: quia vbiq; ei cōtradicitur. Secta dicta est ab infidelibus: nunquam tamen fideles Catholici: nisi fortè parum eruditæ, hoc passi sunt, ut Christiana religio a Deo inspirata & nō per hominem inuenta, hæresis, aut secta diceretur.

Vnde Theophylactus exponens illud Pauli. Videte, ne **Colo. 2.** quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam sic ait: Vides quemadmodum per varia, humana quæ-

Theoph. dam, hominum sensus, & cogitatus, captiones eiusmodi emanarint, eoq; hæreses dicuntur, quod hominum sint variae sentientium opiniones, sed Christianorum hæc si des nequam humano aliquo sensu, vel iudicio constat, & ideo neq; nomen aliquod sortita est huiusmodi, vt hæresis diceretur. Hæc Theophylactus. Et Tertullianus in lib. de Præscriptionibus Hæreticorum circa principium ait: Hæresis dicta est Græca voce en interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio indulgere licet: sed neq; eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt: sed acceptam a Christo disciplinam fideliter Nationibus adsignauerunt. Hec ille. Omnis igitur, & sola assertio, quæ ex hominum arbitrio pendet, siue vera illa sit, siue falsa hæresis dici potest, iuxta nudam huius vocis etymologiam. Theologi vero, & cæteri fideles Catholici huius vocis significacionem ad fidei dogmata contrahentes solam illam hæresim esse dixerunt, quæ aperte fidem Catholicam oppugnare dignoscitur, quia in istarum asseueratione propria sententia sacris literis, aut Ecclesiæ definitioni præfertur,

Tit. 3. cum tamen oportet (iuxta Pauli consilium) captiuare intellectum in obsequium Christi. Nobis igitur hæreses nomen infame est: quanuis Ethnicis sit promiscuum

3. Co. 10.

veræ

vere, falsæq; assertioni conueniens. Ethnici siquidem illi:
berum sibi esse putant, vt pro suo quisque iudicio sentiat.
Nos autem, qui in verba sacrae scripturæ, & ecclesiæ Ca-
tholicæ iurauimus, nefas esse censemus, vel latum pilum
ab illarum sententia recedere. Sed fortasse hic quispiam
obiiciet, quod hæresis nō sit electio, quia electio est opus
voluntatis: hæresis vero opus est intellectus. Huic autem
objectioni nos ita respondemus: quod licet sit operatio
intellectus, procedit tamen ab electione voluntatis, à cu-
ius imperio intellectus mouetur ad assentiendum: quem-
admodum fides etiam ex propria affectione procedit.

Vnde Augustinus tractatu vigesimo sexto super Ioānem August.
ait: Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere
ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest no-
lens, credere nō potest nisi volens. Si corpore crederetur,
fieret in nolentibus, sed non corpore creditur ad iustitiam.
Apostolum audi dicentem: Corde creditur ad iustitiam.

Rom. 10.

Et quid sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem.
Hæc Augustinus. Et quod ille dixit de vera fide, per quā
id quod credere oportet, quis credit, idem prorsus de hæ-
resi, per quam non veritatem Catholicam, sed errorem
illi contrarium quis credit, dicere oportet, ita ut errori,
aut hæresi nullus adhærere possit: ni volens. Hæresis igi-
tur non est electio: sed procedit ab electione voluntatis.
Declarata iam vocis Etymologia, opus est, vt rei defini-
tionem ostendamus. Hæresis est assertiva enunciatio siue
propositio falsa fidei Catholicæ ita repugnans, vt cum
illa simul esse non poscit. Sunt, qui in hac definitione plu-
ra reponant: sed an meritò id fiat, mox discutiemus.

Cūm diximus hæresim esse enunciationem, siue propo-
sitionem falsam, apertè satis ostendimus factum aliquod
aut quamlibet rem gestam non esse hæresim: quoniam
hæresis non respicit opus exterius, neq; ex illo pendet, vt
hæresis dici possit: sed ex intellectu. Non est enim hæresis
in opere: sed in errore intellectus, hoc aut illud iudicatis.
Qui furatur, nisi hoc sibi licere putet, nullo pacto est hæ-
resis reus. Qui fornicatur, aut occidit, aut aliud simile cri-
men committit, nunquam in hæresim ob hanc causam
lapsum fuisse dicetur, nisi hoc impunè fieri posse credide-
rit. Et iuxta hunc modum intelligenda venit sententia

A 5 illa,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

illa, quæ docuerit opus aliquod esse hæresim, ita ut hæresis non ad opus : sed ad iudicium de opere datum referatur. Ita enim intelligendus est Gregorius Nazianzenus cum symoniā appellauit hæresim, non quidem quod opus ipsum symoniacum, puta rerum spiritualium empirio, aut venditio, sit hæresis : sed quia ipsa opinio, qua censet hoc sine peccato fieri posse, sit hæresis. Nam qui spiritualia vendit aut emit, quamvis grauisime peccet, criminē amen hæresis non erit infectus, nisi hoc sibi licere purer. Verum hic forte quispiā nobis obiciet, quod saepe Inquisitores hæresim puniunt, velut hæreticos, illos, qui in aliqua cœlēmonia Iudaica, aut aliquo ritu Saracenorū deprehensi sunt. Si res gesta sine errore intellectus non est dicenda hæresis : cur isti velut hæretici puniuntur? Si dicas ex facto ipso suspicionem iustum ori ri, vt illa facientes sic faciendum esse censeant: cur non ea dem suspicio iuste etiā ex furto, aut homicidio, aut adulterio nascetur, ita vt illa exequentes credantur sentire illa sine peccato fieri posse? Huic obiectioni quidam vir doctus in quadam repetitione seu mauis, relectione, quā de propositione hæretica habuit, respondet, dicens: tunc ex facto oriri suspicionem hæresis, quando opus ipsum fuit ab aliqua hæresi laudatum, aut saltem permisum, tunc enim de sic faciente suspicari licet (vt dicit) illum talī hæresi fauere, quæ probat factum illud. Veibi gratia: Si quis circuncidatur, aut Sabbatum religiose obseruet, hic talis in suspicionem Iudaicæ perfidiae merito incidit, aut quod credit veteris legis ceremonias etiam a Christianis esse obseruandas, quoniam Ebionitæ hæretici sic olim senserunt. Si autem opus illud non fuit vñquam ab aliqua hæresi laudatum, ex tali opere quamvis sit graue peccarum dicit suspicionem hæresis iuste oriri non posse. Sed hoc non posse defendi manifestissime conuincitur per hoc, quod nullum ferè crimen posset committi, ex quo iuxta hanc opinionem, non oporteret suspicari illum sic facientem male sentire de fide: quoniam adeo hominum malitia præualuit, vt vix ullum sit peccatum, quod aliquem non habuerit patronum. Nam si de coitu carnis loqui velis, nulla est illius tam pestilens species, aut nefanda soboles, quæ non sit ab aliquo laudata,

Promisi

Promiscuum feminarum usum licitum esse dixerunt, Nicolaitæ, Floriani, Adamitæ. Simplicem fornicationem Græci à peccato defendunt. Omnis deniq; carnalis commixtio quæcumque illa sit, siue inter viros, siue inter foeminas, si carnalis libido nimium vrat, à Valdensibus iudicata est licita. Restitutione rei furto sublatæ esse necessariam ad salutem animæ assequendam, omnes fideles Christiani sentiunt, Græci tamen (vt de illis refert Guido Carmelita) hoc non esse necessarium docent. Sui ipsius occasio adeò damnata est ab omnibus fidelibus, vt veniæ locū apud Deum nullum habere dicant. Circumcelliones tamen illam usque adeò laudauerunt, vt martyrum esse dicerent. Nec sola occisio : sed cuiusc; principiis membris abscisio, nisi pro tuenda corporis bona valetudine fiat, ab omnibus etiā fidelibus est damnata. Valesii tamen hæretici (vt beatus Augustinus refert) dixerunt esse necessariam virilis membris abscisionem ad Deo bene seruendum. Inobedientiam subditorum Beguining, & Bergardi laudarunt, & illis subscriptis in hac parte Lutherus dicens obedientiam, quā inferiores superioribus reddunt esse miseram seruitutem. Votorum violationem licitam esse docuerunt Lampariani, pseudoapostoli, Vuitcleuitæ Luterani, deniq; si fides adsit nullum opus damandum esse docuit Eunomius. Cum ergo hæc ita se habeant: illi, qui dicunt ex quolibet facto, quod ab aliqua hæresi probatum esse constituerit meritò suspicionē hæresis oriiri, necessario concedere habent omnē talem qui in aliquod horum criminum lapsus fuerit, quę nunc proximè enarrauimus à variis hæreticis fuisse laudata, meritò suspicionē hæresis incurrere, & ob illā posse capi, & puniri. Oportet igitur omnem fornicatorem, & ablata restituere nolentem, seipsum castrante, omnē subditum inobedientē, omnē voti cuiuscunq; violatorem, omnē mendacem, perjurū, omnem deniq; scelerum hominem de hæresi suspectum esse, propterea quod hæreses fuerūt olim quę singula hæc licita esse dixerūt. Absit tamen à viro Christiano tanta severitas & tam iniusta. Nam si ita fieri oporteret, necessariū esset dicere, nullum crimen esse ex pura malitia, aut ex infirmitate: sed omne ex ignorātia. At multa sunt peccata ex pura malitia, quae homines sciētes se male agere, cōmittunt.

Vt

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Iob. 37. Ut patet in illis de quibus ait Job, quod de industria re-
 cesserunt à Deo, & in illis, qui cum proposito pœnitendi
 peccant, qui nisi se male agere crederent, nunquam in po-
 sterum pœnitere proponerent. Cum igitur multos tales
 esse constet, non est æquum, ut de omnibus suspicemur,
 illos cum crimen aliquod committunt sentire sic esse faci-
 endum. Cur autem de uno plus quam de alio hoc suspi-
 cari liceat, ego ex natura ipsius criminis oriri puto. Sunt
 enim aliqua opera, ad quæ sumus omnes proni, & natu-
 ræ proclives, & in illa etiam contradicente conscientia
 præcipites sæpe labimur: ut sunt carnis voluptates, diui-
 tiarum cupiditas, honoris appetitus. Et in his nisi aliud
 addatur, quod merito suspicionem augeret valeat, ex so-
 lo facto non credo, quod posit iusta suspicio oriri. Ut si
 quis fornicetur, aut furetur, aut mentiatur, aut honores
 ambiat, aut suo superiori obedire recusat, aut aliquod
 aliud similis farinæ scelus committat: quanuis circa qua-
 litatem delicti peccet, non tamen ob hoc solum erit de
 hæresi suspectus, ut ille credat hoc sibi licere, quod facit.
 Nam cum ad peccata illa à carne nostra solicitemur, sit
 ut quanuis illa esse mala sciamus committere tamen non
 formidemus. Posset tamen talis circumstantia in huius-
 modi peccatis esse, propter quam ex opere ipso vehementes
 hæresis suspicio iustè oriatur. Ut si quis sacerdos, aut reli-
 giosus non sacerdos, publicè matrimonium contraheret,
 is certè licet ex simplici coitu, non posset merito credi hæ-
 reticus, tamen propter matrimonium adiunctum dignè
 præsumitur hæreticus, præsertim si publicè contraxit, aut
 publicè nuptias celebravit, quoniam talis merito creden-
 dus est male sentire de sacramentis Ecclesiæ. Non tamen
 credo æquè vehementem suspicionem esse habendam de
 illo si claram hoc fecisset, quoniam de illo merito suspicari
 posset dolo fecisse, ut hac videlicet via muliere frueretur,
 quam alias assequi non poterat. Et idem censeo dicen-
 dum de illo, qui viuente uxore aliam sciens duxit. Sunt
 alia opera ab his, quæ diximus longè diuersissima, quæ
 voluntas naturaliter refugit, & ad illa appetenda: nisi
 ab alio puta, à passione vehementi, vel ab errore intelle-
 ctus vehementer impellatur, nunquam ipsa ex se moue-
 bitur. Verbi gratia, sui ipsius occasionē, principalis mem-
 bris

Brī absētionein, volūtas hominis propter insitum, quem
habet carnis suæ amore naturaliter refugit, quoniam
(vt ait Apostolus) nemo vñquam carnem suam odio ha-
buit. Et in his (mea quidē sententia) ne temere quicquam
suspicemur, prius inquirendum est : an passio aliqua ve-
hemens præcesserit, quæ illum ad tam horrendum scelus
perpetrandum impulerit. Nam impotenti, & effrenato
odio libidinis euenire poterit, vt quis virile membrum
abscindat, tædio temptationis vicitus. Sæpè etiam conti-
gere scimus aliquos tædio angustię, aut doloris alicuius,
quem pati nō possunt, mortem sibi ipsi inferre, vt saltem
hac via doloris & angustię finem inueniant. Et certè qui
hæc, & similia committunt, credendi sunt ex infirmitate,
aut ex passione victos tam horrendum scelus commisissé.
Si verò aliunde constiterit, non ex pusillanimitate spiri-
tus, aut ex vehementi passione, in tale crimē fuisse lapsos,
necessarium erit tunc suspicari illos tali hæresi fuisse infe-
ctos, vt crediderint hoc sibi licuisse, quod fecerunt. Quo-
niam cum voluntas ex se ad illa non fuerit mota, nec ex
passione, vel infirmitate (vt supponimus) oportet ne-
cessario, vt ex errore intellectus ad id faciendum motam
esse credamus. Sunt rursus alia opera, ad quæ voluntas
non ex se mouetur, nec etiam ex se illa refugit: quoniam
nihil illa habent, quo possint voluntatem allicere, vel à
se repellere: sed voluntas est dubia & anceps ad illa, cùm
sint illi per intellectum nude ostensa. Tālia sunt ceremo-
niæ Iudaicæ, aut Sarracenorum ritus : vt sunt, religiosa
Sabbati obseruatio, abstinentia à suffocato, & sanguine,
aut aliis cibis, lege Mosaica prohibitis, nisi forte salutis
corporalis causa, talem abstinentiam factam esse consti-
terit. Ieiuniū die Dominico, eus agnī Paschalis iuxta
ritum Iudaicum, aut quoduis aliud simile. Baptizare ima-
gines, aut corpora mortuorum, imagines sanctorum con-
fringere, sacramentum altaris conculcare. Cūm hæc ho-
mo facit, certum est illius voluntatem ab intellectu mo-
ueri ad illorum appetitum. Non enim mouetur ab obie-
ctu : quoniam (vt diximus) obiectum tale nō est, vt pos-
sit allicere voluntatem. Nec mouetur à se, aut à carne sua:
quoniam nec voluntas, nec caro habet ad illa opera ali-
quam inclinationem. Consequens est igitur vt ab intel-
lectu

lectu motam esse voluntatem credamus, ita, ut voluntas tale opus non voluisse, nisi intellectus illi bonū esse persuaseret. In his ergo vehementissima hæresis suspicio ex opere exterius factō iustē oriri potest, ita ut qui talia facit merito presumatur credere hoc bonum esse, quod facit.

Aristo. Nam Aristoteles Ethicorum tertio ait: Qualis est vnuquisq; talia dicit, & operatur. Deinde additū est in definitione hæresis, quod oportet talem propositionem falsam esse fidei Catholicę repugnantem, ut hæresis dici posfit. Nam multe sunt propositiones falsae, que nullo modo hæreses dici merentur: quia nullo modo nōdem oppugnant. Sicut enim non omnis veritas ad fidem pertinet: ita nec omnis falsitas aut error hæresis dici meretur. Poteſt enim quis multis propositionibus falsis cum errore, & fine peccato assentire. Hæresi autē sine peccato, & quidem graui nullus obstinato animo adhærere potest. Non ergo omnis assertio falsa, aut omnis error est hæresis dicēdus. Hæc omnia testimonio Augustini probātur, qui in Enclitidio ad Laurētium cap. 21. Postquam dixerat nullū esse peccatum in quibusdā rebus errare, hæc, quæ sequuntur, subiunxit. Postremò qualecunq; illud, & quantumcunq; sit, ad illam viam nō pertinet, qua imus ad Deum, quæ via fides est Christi, quæ per dilectionem operatur. Nec enim ab hac via deuiabat in geminis filiis gratiatus ille parentibus

August.

Gen. 27.

Act. 12.

error aut ab hac via deuiabat Apostolus Petrus, quando se existimans visum videre: aliud pro alio sic putabat, vt à corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur vera in quibus erat corpora nō dignosceret, nisi cùm ab illo angelus per quem fuerat liberatus, abscessit. Aut ab

Gen. 37.

hac via deuiabat Iacob Patriarcha quando viuentem sūlū à bestia credebat occisum. In his, atque huiusmodi falsitatibus, salua fide, quæ in nobis est, fallimur: & via nō relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus. Qui errores etiā si peccata non sunt tamen in malis huius vitę deputandi sunt, quæ ita subiecta est vanitati, vt approbentur hil falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quanuis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram certamq; atq; eternam beatitudinem tēdimus, ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippè falleremur in aliquo: vel animi, vel corporis

corporis sensu, si iam vera illa atq; perfecta felicitate frue
remur. Hactenus Augustinus. Ex his satis clare patet non
omnem assertionem falsam esse hæresim dicendam. Si ta-
men illa fidei Catholicæ repugnauerit, nos omnem ta-
lem dicimus esse de hæresi notandam. Scio tamen ali-
quos, qui plura esse necessaria dicunt, ut assertio aliqua
hæresis dici mereatur. Sunt enim aliqui docentes omnia
illa ad hæresim requiri, quæ requiruntur ad hominem
hæreticum efficiendum. Et certè qui hæc asserunt, tota er-
rant via: quoniam vnum ab altero facillimè separatur.
Possibile est enim ut aliquis propositionem hæreticam
asserat, qui tamen non sit hæreticus dicendus. Hoc ita esse
manifestè apparet in illo, qui non obstinato animo ta-
lem propositionem asseruerit, & in illo, qui asserit, quod
ignorat præsertim si illud scire non tenebatur.
Hunc enim ignorantia excusabit, ut hæreticus non dica-
tur. Propositio autem ab illo asserta, non video qua via
posit ab hæresi nota liberari si illam fidei Catholicæ
repugnare constiterit. Nam quod aliqui dicunt nullam
assertionem esse de hæresi notandam, nisi illa sit contra
propositionem Catholicam, quam omnes fideles scire
tenantur, ridiculum videtur, & audaci temeritate di-
ctum, quoniam hac sola ratione impetunt omnes egre-
gios doctores, & sanctos viros, qui de haeresibus scrip-
runt, ut fuerunt. Irenæus, Augustinus, Philaster. Hi enim
multos errores hæreseos nota infamaunt, qui iuxta isto-
rum opinionem nihil minus dici merebantur, cum non
essent contra propositiones Catholicas, quas omnes
scire tenantur. Præterea, licet sint multæ propositiones
ad fidem Catholicam pertinentes, quas non omnes scire
tenantur, si tamen illas præter obligationem, quis sciat
esse Catholicas, & sciens illis dissentiat, & contrarias aut
contradictorias asserat: nullus dubitat quin tales con-
tradicitoriae sint hæreses dicendæ, & tamen illæ non sunt
contra propositiones Catholicas, quas omnes scire te-
nantur. Et si quis Christianus sciens, & doctus illas ta-
les contradictrorias pertinaciter assereret merito hereti-
cus diceretur. Idiota vero illis assentiens, & si erraret,
non tamen hæreticus diceretur, immo nec peccaret, si perte-
nitia decesset, quia in his, quæ scire non tenebatur erraret.

Vt

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Vt gratia exempli, si quis doctus vir Christianus sciens contrarium in sacris libris cōtineri pertinaciter affereret Esau non fuisse filium Isaac, aut Dauidem non genuisse Salomonem, absq; dubio hæreticus diceretur, & non ob aliam causam: nisi quia hæresim obstinato animo afferit. Si vero homo simplex, & idiota aliquam istarum afferret, quāuis ille ob hoc non dicetur hæreticus, imo nec pēcātū censebitur, tamē ab illo asserta propositio semper dīcetur hæretica. Alioqui oporteret concedere eandem propositionem ab aliquo assertam esse dicendā hæresim, quæ si ab alio affereretur, hæresis dici non mereretur. Hoc autem cōcedere, quam sit erroneum, vel mediocriter docto erit manifestum, si consideret, quod propositio nō dependet ab assertore, vt talis aut talis dicatur. Propter nostrū affirmare, aut negare (inquit Aristoteles) nihil mutatur in re. Si propositio est vera à quocunq; dicatur etiam si mendacissimus ille sit, semper erit vera. Si propositio est falsa, à quocunq; dicatur, etiam si alijs ille semper fuisset verax inuentus, erit falsa. Oportet ergo, vt si propositio est hæretica, à quocunq; afferatur, sit etiam semper hæretica. Deinde, propositio Catholica non pendet ab assertore, vt talis dici mereatur: ergo nec propositio hæretica ab assertore pendebit, vt hæresis dicatur. Hæc propositio: Deus est trinus, & vñus: siue illam afferat Iudeus, siue Saracenus, siue Paganus, siue Christianus, semper dicetur Catholica: ergo sua contradictiona videlicet: Deus non est trinus, & vñus, à quocunq; dicatur, semper erit hæretica quāuis non omnis, qui illam afferit, sit necessario dīcendus hæreticus: quoniam (vt postea docebimus) non satis est, vt quis dici hæreticus mereatur, quod propositio nem afferat hæreticam. Rursum hæresis non deducitur ab hæretico: sed hæreticus versa vice ab hæresi deriuatur: non igitur oportet, vt propositio, quæ hæresis est dīcenda, sit ab hæretico asserta, sed bene contra oportet, vt qui hæreticus est dicendus, propositionem afferat hæreticam. Ex his igitur constat errare illos, qui dicunt ad hoc, vt propositio aliqua dicatur hæresis, esse summe necessarium, vt à viro Christiano sit asserta. Bene tamen nos faciemus hoc esse necessarium ad hoc, vt quis hæreticus dici mereatur, quod fidem in baptismo suscepere it, quia hæreticus

ticus (vt diximus) ab hæresi deriuatur; non autem hæresis ab hæretico: & homo ab assertione, & confessione sua nomen suscipit, vt fidelis, vel hæreticus dicatur. Proposition autem nullo modo ab assertore dependet, vt illa hæretica, vel Catholica meritò dici possit. Et propter hanc causam à multis doctris viris errati est in hac parte, quia hoc considerare neglexerunt. Nam quæ pertinent ad hæresim, & quæ hæretico conueniunt, simul in vnum confuderunt, tanquam eadem esset utriusque definitio, & eadem habenda esset de utraque re disputatio. Nos tamen rem (vt decebat) magis scrutantes, & inuestigantes, cum res esse prorsus diuersas cognoverimus, diuersas de illis disputationes facimus. Nunc de hæresi diximus postea autem de hæretico, tractabimus, vt quis tali nomine appellandus sit, ostendamus. Ut igitur ea, quæ de hæresi diximus in compendium colligamus, dicimus hæresim esse propositionem falsam fidei Catholicæ repugnantem.

DE MALITIA HÆRESEOS QVANTA SIT.

Caput II.

Quanta sit Hæreseos malitia ex eo facile quisque intelligere potest, si consideret quanta sit fidei bonitas, & virtus. Rectum enim (vt ait Aristoteles) est iudex sui & obliqui. Fidei autem virtus tanta est, vt sine ipsa nil Deo gratum esse possit, nec sine ipsa aliquid à nobis verè bonū effici possit: quoniam illa est, quæ ceteris virtutibus viam parat, & illis scopum, ad quem sursus actus dirigant, ostendit. Sicut enim inter cæteras virtutes, quæ visuata & iā recepto vocabulo Cardinales dicuntur, prudētia prima quia reliquias dirigit, & viam, qua incedere debent, ostendit: sic etiam inter illas, quæ theologales appellantur, fides est prima: quia reliquias quid agere debeant, docet. Nemo sine fide, quid sperare aut quid diligere debet agnoscit. Fide destitutus Deum nunquam (vt decet) amat: quia nunquam illum remuneratorem, aut vere bonum intelliget. Credere opottet accedente ad Deum (ait Paulus) quia est: & quod inquirentibus se remunerator sit. Fides est, quæ nobis præmium nostrorum laborum ostendit, & per hoc vires nobis ad laborandum ministrat, & in ipsis laboribus constantes reddit. Hæc est,

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

quæ nos temporalia omnia contemnere, & Deum plus quam omnia creata diligere, admonet. Nam qui veram deo fidem habet, non cupid in miseriis huius seculi diues fieri quoniam diuinæ æternæ considerat, tempora-

Philip.3. lia sibi vilesunt. Et ideo Paulus omnia huius mundi arbitratus est stercore, ut Christum luci faceret. Per hanc Moyses honores, delitias, & diuitias contempserit. Nam

Heb.ii. (ut de illo refert Paulus) Fide grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum in prosperum Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.

Cum negavit se esse filium filiæ Pharaonis, regiam dignitatem contempserit, ac proinde honores huius seculi se vili pendere declarauit. Eligens affligi cum populo Dei, qui in luto & latere seruiebat, magis quam temporalis peccati habere iucunditatem, aperte ostendit nobis quantum huius mundi delitias æstimauerit. Cum vero improperium Christi, hoc est, iniurias vel pro Christo vel ad Christi similitudinē patienter toleratas maiores æstimauit thesauro Ægyptiorū, satis aperte declarauit quid de huius seculi diuiniis senserit. Causam autem à qua hic omnium rerum temporalium contemptus processerit, Paulus expressit dicens. Aspiciebat enim in remunerationem. Nam idcirco elegit esse pauper, & despectus, quia credidit alia multo maiora bona in posterum manere, quæ forent per paupertatem, & contumelias adipiscenda. Fides est quæ nos Dei filios efficit, sicut Paulus ad Galatas scribens ait. Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Hæc est vita iustorum quoniam ex fide (ut Abacuc propheta testatur) iustus viuit.

Abac.2. Hæc est denique Basis & fundamentum totius Christianæ structura, cui, quicquid ad veram pietatem & religionem spectat, innititur. Hæc siquidem est illa firmissima

Mat.16. petra supra quam Deus fundauit Ecclesiam suam, supra quam nos omnes fundari præcepit Paulus, ut stabiles &

Colos.1. immobiles simus à spe Euangeli quod audiuiimus. Hinc iam (ut opinor) aperte coincidunt heresim pestimum esse vitium, quoniam hæc fidem destruit, quæ fundamentum est totius religionis, fine qua nihil sunt reliqua omnia

pro-

profutura. Vbi enim fundamentum deest, nihil super ædificari potest, & si quid superædificatum fuerat necesse est ut corruat. Fide sublata, omni virtio quamlibet prauo & magno, porta latissima aperitur. Sicut enim fides cæteris virtutibus, ita econtrario hæresis omnibus vitiis viam parat & aperit. Hinc fideles catholici de hæretorum vexationibus conqueruntur, apud Iob dicentes. Iob. 30.
Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me.

Quæ verba beatus Gregorius interpretans ait: Quasi Gregorius murus rumpitur, cum prauorum persuasionibus fides quæ de redemptore nostro est in quorundam corde dissipatur. Cumque peruersis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam ianua erroris aperitur? Quasi rupto ergo muro & aperta ianua super bonos irruunt malitiae, cum accepta temporaliter potestate, peruersi ipsa quoque in quorundam corde destruere munimina fidei co-nantur. Hæc Gregorius. Ob hanc causam de hærefoes malitia mysticè Salomon in proverbiis loquens dixit: Prou. 9. Mulier stulta, & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam, in excelso urbis loco. Hæc enim verba beatus Hieronymus de hæresi intelligenda esse censet, ita inquiens: Mulier hæc hæresis est, contraria nimis sapientiæ, quæ sua superius sacramenta cecinit, stulta scilicet per fatuum intellectum, & clamosa per garrulitatem, plenaque illecebris vitorum: & nihil omnino sciens, sicut ait Apostolus: Qui se existimat esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit. Sedet autem & ipsa in foribus domus suæ, id est, in doctoribus falsitatis, qui in penetralia per fidem miserios fallendo perducunt. Hactenus Hieronymus.

Admonere tamen hic decreui lectorem: ne ex his di-
Etis meis occasione in suspicionis accipiat me sentire, omnia infidelium opera esse peccata, prout Gregorius Aris-
minensis docet: quoniam ab illius opinione, & sententia
ego manibus (vt dicitur) & pedibus recedo. Fateor qui-
dem sine fide nullum opus esse meritiorum, & vita æter-
na dignum: non tamen ideo consequens est, vt omne ta-
le sit peccatum, quoniam hæc duo, videlicet peccatum,

& meritum: non tam proxime diuiduntur, aut ab iñus-
cem separantur, vt qui ab vno recedit, statim ad alterum
transeat. Est enim inter illa mediū aliquid, quod ab utro-
que extremorum separatur: ita vt aliquod sit opus huma-
num, hoc est, per considerationem intellectus, & volun-
tatis libertatem factum, quod nec est præmio dignū, nec
pœna. Verum & si non omnia infidelium opera sint pec-
cata dicenda: infidelitas tamen portam aperit latissimam
ad omnia vitia introducēda. Vnde euenit, vt qui infide-
lis est, omni vitio perpetrando aptissimus fit. Sicut enim,
qui corporales oculos amisit, male se ab hostibus tueretur,
quoniam illorum iacula, à quibus cauere illum oporteret
videre non potest, ita qui fidem Catholicam, quæ oculus
est mentis nostræ, dereliquit, à dæmonis temptationibus li-
berari non potest: quoniam sine fide hostes inuisibiles, il-
lorumq; iacula non videntur, & ideo non cauentur. Hac
de causa dæmones impense laborant, à fidelibus Catho-
licis hos oculos eruere, vt eo facilius illorum animabus

Judic.17. nocere possint, quo minus ipsi cogniti fuerint. Samsonē
post erutos oculos, Philistini vincitum catenis duxerūt
& clausum in carcere molere fecerunt, sic dæmones post:
quam oculos mentis, hoc est, fidem ab aliquo abstulerūt,
vincitum illum detinent, & per omnium peccatorum cir-
cuitum illum deuolui cogunt. Nam fide ablata, mutua
inter proximos charitas euanescit: vinculum pacis dissol-
uitur: concordia scinditur, vilia hæc, & caduca supra illo-
rum meritum estimantur. Deus vilescit, & non (vt decet)
colitur: omnis deniq; religio prophanatur, omnisq; pie-
tas perit. Vnde Felix Papa, & martyr in epistola ad Pater-
num Episcopum ita ait. Hæresis quippè est nimis impia,
& Euangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem ali-
quam lædere: sed ipsa Christianæ religionis conatur fun-
damenta conuellere. Quoscumq; enim rapit ad se, non so-
liū in hoc vitium: sed in multa alia vitia ruere facit, &
ipso suadente antiquo hoste non solum persecutores Ec-
clesiæ: sed etiam sacerdotum eius fiunt. Hæc ille. Verum
hic aliquis fortasse dubitat, & merito: an hæresis sit gra-
uius schismate peccatum: dubitandi autem causa hæc est
quod schisma multò grauius à Deo suis punitum legi-
gitur. Sed hoc non obstante nos dicimus hæresim multo

Felix
Papa.

peiores

peiorum esse, quam schisma : quoniam iuxta regulam beati Augustini, tanto aliquod malum est peius, quanto maiori bono opponitur. At hæresis est contra primam veritatem, quæ Deus est. Schisma vero & si dicatur esse contra charitatem, non tamē contra illam charitatis partem, quæ Deum respicit: sed contra illam, quæ circa proximum versatur. Est enim schisma contra bonum fraternæ charitatis, & unionis. Licet autem charitas maior sit fide, sola tamen ea parte censetur maior, quæ respicit Deum: & contra hanc non est schisma: sed contra illam, quæ respicit proximum, & hæc maior est, quam fides. Vnde coligimus hæresim esse ex genere suo grauius schismate peccatum : quia hæresis diuinam veritatem, cui fides innititur, oppugnat. Schisma autem fraternam oppugnat charitatem, & Ecclesiæ unitatem scindit. Fatemur tamen alias posse contingere circumstantias, propter quas schismaticus grauioris culpæ fiat reus quam hæreticus, ut puto si maior adesset contemptus : vel quia magis per schisma, quam per hæresim noceret. Sed hæc, aut alia similia contingunt schismati : nec illi à natura insunt, ac proinde genus schismatis non est ex illis estimandum. Nam grauitas peccati ex genere suo, ex illis, quæ sunt illi insita & naturalia, capienda est, & non ex circumstantiis, quæ contingere possunt. Quod autem obiicitur, schisma esse grauius punitum, fatemur quidem: quoniam hoc apertissime docet liber Numerorum referens Dathan, & Num. 14. Abiron ob hoc scelus fuisse viuos absorptos à terra : sed hoc non obstat quin hæresis grauius sit peccatum.

Quoniam licet ultimæ pœnæ, quæ videlicet post mortem peccatoribus infliguntur, iuxta mensuram delicti (vt legitur in Deuteronomio) imponantur, quæ tamen in hac vita infliguntur, non semper iuxta hanc mensuram dantur. Nam pœnæ, & cruciatus in hac vita non solum dantur in punitionem: sed ad medicinam, vt scilicet per eas currentur peccata, & ipsi peccatores à similibus in posterum caueant, & alij illorum periculo sibiipsis consulant, & ab illis, abstinere procurent. Ob hanc causam minus, & leuius peccatum : quia tamen saepius commisum, aut quia ad illud maior est pronitas, aliquando grauius punitur, vt timore pœnæ illi aut alij ab illorum

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

commissione arceantur. Populus autem Iudeorum ad seditionem, & schismata fuit semper proliuis, vt ex cursu sacrarum historiarum facile est cognoscere. Et aper-
tum etiam de hac re habetur testimonium apud Es-
Esd. 4. dram sic dicentem. Ciuitas illas à diebus antiquis ad-
uersum Reges rebellat, & seditiones, & prælia concitan-
tur in ea. Iustum ergo fuit duras infigere pœnas: vt illis
veluti acerbissimis quibusdā adulationibus tam latē gra-
santi morbo obuiaretur.

DE DIFFERENTIA INTER PRO- POSITIONEM HÆRETICAM, & ERRONEAM, & TEMERARIAM, & SCANDALOSAM, & ALIAS SIMILIS NOTÆ PROPO- SITIONES. CAP. III.

Q Via dixi aliquas esse propositiones, quæ & si hæ-
reticæ me: itò censeri nō possint, propter varias
tamen illarum propositionū infames notas, vtputa quia
erroneæ, aut scandalosæ, aut temerariæ sunt, inhiberi pos-
sunt ab his, quibus hoc incumbit, ne prædicentur populo
aut quomodolibet doceantur: ideo necessarium esse exi-
stimaui de istarum propositionum differētia tractare, vt
inde constet, quali nota sit quælibet falsa propositio inu-
renda. De propositione hæretica cum satis in primo hu-
ijs operis capite tractauerim, non est opus in præsentia-
rum quicquam aut repetere, aut superaddere. Propositio
erronea si absq; vlla nominis restrictiōe diffiniatur, dice-
tur absolute quod est propositio falsa. Et falsam proposi-
tionem nunc dico esse nō solim illam, qua aliquid enun-
tiatur aliter esse, quam est, sed etiam illam propositionē,
cui quis aliter quam deberet, assentit: vtputa quia firmius,
August. aut certius quam deberet. Nam beatus Augustinus erro-
rem diffiniens in Enchiridio ad Laurentium cap. 17. sic
ait. Errare est approbare falsa pro veris, aut improbare
vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro
incertis, hæc ille. Ex quibus aperitè constat omnem illum
errare, qui propositionē dubię, aut opinabili assentit cum
certitudine fidei, & omnem talem assensum esse erroneum:
quia etsi verum forte sit, quod asserit: aliter tamen quam
debet

deberet, asserit : cum incerta pro certis teneat. Si autem iuxta hunc modum, de propositione erronea loquimur, nulla prorsus est difficultas distinguere inter haeresim, & propositionem erroneam, cum constet alterum esse genus, alterum vero illius speciem. Nam propositione erronea genus est, quod sub se continet haeresim : anquam suam speciem : quia omnis haeresis est propositione erronea, non tamen vice versa omnis propositione erronea est haeresis dicens. Sed difficultas est non parua agnoscere, quo pacto inter se differant, haeresis, & error in fide : quoniam si est propositione erronea, consequens est, ut falsa sit, & si est erronea in fide, oportet, ut falsitas illius sit contra veritatem fidei. At falsum, quod veram fidem oppugnat : nec scio qua via eximi posse, ne haeresis dicatur. Quo fit, ut nullum sit inter illa duo discrimen : & certe si aliquod est, tam occultum est illud, ut omnes, qui de hac re scripsent, latuerit : quoniam nullus eorum, qui de varietate propositionum damnabilium scripsit, quicquam docuit : unde haec diuersitas posset agnosciri. Ioannes de Turre Cremata in summa Ecclesiae, libro quarto, parte secunda, capite undecimo diffinit propositionem erroneam, absolute : sed non diffinit propositionem erroneam in fide.

Quidam Martinus Garzia olim in regno Aragonum Inquisitor, & postea Barchinonensis Episcopus, in quodam libello, quem aduersus alias Pici Mirandulani conclusiones aedit, de diuersitate harum propositionum in principio libri tractans, eadem, & sub eisdem verbis, & ferè nullo mutato verbo, dicit, quæ apud Ioannem de Turre Cremata, habebantur. De Guidone Carmelita pudet loqui : quoniam de haeresibus differens, cum nihil absolutum, & consummatum scribat, nullam etiam prorsus diuersitate istarum propositionum mentionem facit. Ex aliquibus tamen variarum vniuersitatum, & diuersorum conciliorum censuris : videtur aliquod esse inter illa duo discrimen : quoniam de variis assertionibus illi definientes alias censem esse haereticas, alias in fide erroneas. Quod autem ita res habeat ex his quæ in concilio Constantiensi definita sunt, conuinci potest : quoniam cum in sessione octaua eiusdem concilij multæ

Ioannis Vuiclesi assertiones damnentur: non tamen omnes eadem nota vrintur : sed earum aliquæ censemunt hæreticæ, aliquæ erroneæ, aliquæ scandalosæ. Si quis ab his angustiis liberari cupiens, dixerit solam esse vocationem differentiam, & non rerum, ita ut idem proorsus sit propositio hæretica, & propositio erronea in fide, ego illius sententiæ libentissimè consentirem, dicens vniuersitates illas in suis censuris ad solum orationis ordinatum tali volumen varietate esse vias, ita ut propositiones eiusdem notæ nunc hæreticas, nunc in fide erroneas appellauerint.

Et huius sententiæ videtur fuisse Ioannes de Turre Cremonata : quoniam in libro, & parte supra ciratis, hæc quæ sequuntur ait. Error circa quæcumque contenta in sacra scriptura, siue pertineant ad historias, siue ad articulos fidei, siue ad mores, dicetur hæresis. Hæc ille. Si tamē cogor fateri aliquod esse inter propositionem erroneam in fide & propositionem hæreticam discrimen, dicam, quod sententia: paratus tamē meliora decenti obediens. Ut autē quod dixerim, apertius fiat, admonere prius oportuit diuersa esse credibilia genera. Quædam enim sunt talia, quod superant virtutem nostri intellectus, ita ut ad illa intelligenda non possit pertingere nosfer intellectus nisi prius

Esa. 7. crediderit, de quibus Esaias iuxta translationem. LXX. ait : Nisi credideritis, non intelligetis. Et ista sunt, circa quæ propriè versatur fides. Assertio autem, quæ hæc credibilia oppugnat, hæresis propriè dicitur. Alia sunt credibilia, quæ non omnem virtutem intellectus superant, & sunt illa, quæ intellectus ex virtute sua (non excludo hic vniuersalem Dei cōcursum) attingere potest; sed peccatis obscuratus intellectus cognoscere nō potest, & propter hoc deus nostri miseratus illa per scripturam sacram nobis innotescere voluit, ut si per nosipso malitia nostra obstante illa cognoscere non valeremus, saltem Deo docente intelligeremus. Tales sunt istæ propositiones. Deus est. Deus est unus. Deus est intelligens. Deus est omnipotens. Istæ omnes propositiones naturali lumine intellectus possunt sciri: quod autem à multis gentibus fuerint ignoratae, malitia fuit causa quæ illorum excœcauit intellectus. Nam de ipsis, & aliis similibus propositionibus Paulus loquebatur, cum Gentilium philosophorum insipien-

in sapientiam, & cæcitatem arguens, dixit: Qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Quæ verba exponens beatus Anselmus ait: Veritatem Dei, id est, quod ipse est verus Deus, detinent in iniustitia, quia cum vere sciant unum creatori Deo debere cultum summæ venerationis exhiberi, eum iniuste exhibent creaturæ. Et post pauca subdit. Nam illi nouerunt veritatem, quam cæteris abscondunt: quia quod notum est Dei, id est, quod naturali ingenio sciri potest de Deo manifestum est illis. Multa enim sunt, quæ de Deo per naturam sciri non possunt: sicut est mysterium incarnationis, & passionis, quod latuit sapientes mundi. Sed hoc de Deo naturaliter sciri potest: quod ipse sit Deus: quia omnis creatura ostendit se non esse Deum: sed esse alium, qui eam fecerit, cuius seruitio parere necesse sit. Ita quod notum est de Deo manifestum est illis. Hæc ille. Et istæ tales propositiones nō sunt proprie obiectum fidei: cum naturali ratione comprehenduntur. Nam (ut beatus Gregorius ait) fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Assertio ergo talis, quæ est contra credibilia, quæ naturali ratione probari possunt, erronea in fide dicetur. Ut gratia exempli, quod Deus non est unus: quod Deus non est omnipotēs: quod Christus fuerit homo in triduo: quod anima hominis producatur ex semine humano, sicut anima bruti: quod charitas, qua nos Deum diligimus, est Spiritus sanctus. Vita activa est excellentior, quam contemplativa. Omnes istæ propositiones dicendæ sunt erroneæ in fide: quia ratione naturali confutari possunt. Hoc igitur inter propositionem hæreticam & propositionem erroneam in fide esse censeo: quod hæresis proprie dicta est contra credibilia, quæ superant omnem virtutem intellectus. Error vero in fide est contra credibilia, quæ ratione naturali probari possunt. Si autem credibile aliquod huiusmodi fuerit, ut præter rationem naturalem posset etiam probari per sacram scripturam, aut ecclesiæ determinationem, aut per alias vias, quibus ea, quæ credere tenemur probari possunt, assertio, quæ illud credibile oppugnat, dicetur hæretica simul, & erronea in fide. Talis est hæc propositio: Deus non est unus. Nam, quia ratione naturali illius fal-

Rom. I.
Ansel.

Gregor.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sitas conuinci potest, dicetur propositio erronea in fide: quia verò idem per sacram scripturam potest probari, dis-
cetur propositio hæretica, & pertinax illius, aut alterius
similis propositionis assertor censemitur hæreticus, & ve-
lut talis erit meritō puniendus. Potest adhuc aliud inter
hæc duo dari discrimen, per hoc, quod hæresis semper est
contra id, quod credere tenemur. Error autem in fide nō
semper est contra id, quod credere tenemur. Sunt enim
multe propositiones theologice, quæ in sola opinione co-
sistunt, quarum neutram contradictionis partem homo
credere tenet: sed quamlibet citra fidei dispendum
tueri potest. Tales sunt istæ propositiones. In sacramento
nouæ legis est aliqua qualitas supernaturalis causans gra-
tiam. Beatus, Deo ita operante, potest videre unam per-
sonam diuinam sine alia. Beatitudo consistit magis in
visione, quam in dilectione. Qui has propositiones,
aut illarum contradictionis asserteret, non esset hæreticus,
si quis tam en alteram illarum sic asserteret tanquam fidei
articulum, ita ut oppositam assertionem censeret hæreti-
cam, talis erraret in fide, & (vt infra capite octauo huius
libri dicemus) esset hæreticus: quia firmius illi adhæret,
quam deberet. Nam errat iuxta Augustini sententiā:
quia habet incerta pro certis: sicut erraret, qui certa ha-
beret pro incertis. Si cui hæ distinctiones inter proposi-
tionem hæreticam, & erroneam in fide, non placent, ego
aduersus illum contendere nolo: sed rogo illum, vt offe-
rat meliorem: quoniam (vt dixi) paratus sum meliora
docentem audire. Audiui ego ex quorundam relatu, vi-
rū quēdam doctissimum in Complutēsi gymnasio pub-
lice Theologiam profitentem, qui vt inter hæc duo ali-
quod præberet discrimen, prius de errore distinguebat
sic in publica lectione, dicens Dupliciter aliqua propositio
dici potest erronea. Potest enim esse erronea errore logi-
co, & omnis falsa propositio est hoc errore erronea. Quo
fit, vt omnis propositio erronea in fide errore logico, sit
etiam hæresis dicenda: quia omnis talis dicit fallsum in fi-
de. Alio modo potest dici aliqua propositio erronea in fi-
de errore Theologico, & est illa, quæ est contra commu-
nem opinionem theologorum. Ex quibus multæ sunt,
quæ nullo modo hæreses dici merentur. Dictumque

est mihi illum quum hæc doceret , hoc dedisse exemplum. Hæc propositio . Virgo Maria concepta est in peccato originali, est erronea in fide errore theologicō, quia est contra communem præsentium theologorū opinionem, non tamen est hæresis dicenda : quia illius contradictionia non pertinet ad fidem Catholicam, nec illam pro fide Catholica tenendam esse ecclesia vñquam decreuit . Quantum veritatis hæc erroneæ propositionis distinctione habeat, lectori iudicandum relinquo, admonens solum, vt consideret, quomodo possit dici propositio erronea in fide , quæ nec ex parte suæ enuntiationis, nec ex parte illius , qui illam firmius, quam deberet, asserit, fidem oppugnat, Nam & si deimus omnem illum, qui asserit aliquid contra communem theologorum opinionem, errare theologicō errore: non tamen oportet dicere omnem talēm errare in fide : quia durum est , vt quis dicatur errare in fide, quando propositio , quam asserit, non est contra fidem, nec modus asserendi est contra fidem: quia non maiorem, quam debet, illi adhibet fidem.

Propositio hæresim sapiens, aut malè circa ea, quæ ad fidem pertinent sonas est illa, quæ in prima significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum, quanvis pie intellecta sensum aliquē habeat verum. Ioannes Gerson lectione secunda de vita spirituali animæ corollario septimo dicit idem esse propositionem hæresim sapientem & errorem. Sed hanc illius sententiam ego minime veram esse puto : quoniam nulla propositio potest dici erronea nisi prius constiterit de sensu illius. At multe sunt propositiones, quæ varios & longè distantes possunt reddere sensus, quorum alter sit Catholicus, alter hæreticus. Indignum igitur est, vt talis propositio simpliciter, & absolute absque vlla examinatione aut distinctione dicatur error, quæ sensum potest habere verum & Catholicum. Consequens igitur est, vt huiusmodi propositio prius sit de sensu illius examinanda, antequam erroris nota sit illi inurenda. Dicitur tamen semper hæresim sapere , propterea quod ex vi suorum verborum semper parata est hæreticum sensum reddere perinde ac Catholicum. Ut sunt istæ propositiones. Pater est maior filio, Christus est creatura. Tres sunt Dñi. Vesci carnibus,

Propositio
hæresim sa-
piēs quid sit

carnibus, vel non vesci impertinens est Christianæ perfectioni. Philosophi Gentiles in sola lege naturæ salutis potuerunt. Hæc vltima pro eo hæresim sapit; quia si fidem excludat, est hæretica; si fidem de Deo non excludit, vera est, & ideo sic nude prolata hæresim sapere videtur, & expositione indiget. Istæ propositiones licet pie intellectæ aliquem verum sensum habeant, tamen iuxta facialem verborum significationem, hæresim sonant. Cum igitur hæc propositiones, aut aliae similis notæ prædicantur, aut docentur, duo consideranda sunt ab illis, quibus de hæreticis inquirere, & iudicare incumbit. Primum est de persona afferente, an sit alias per hæresi suspecta. Alterum est, an aliquis ex auditoribus verba illa iuxta sensum hæreticum intellexerit, ac proinde scandalizatus fuerit. Et si hoc vltimum contigerit, vocandus est illius propositionis assertor, & cogendus, ut publice ea, quæ dixit iuxta verum illorum verborum sensum interpretetur, ut omne scandalum ab auditoribus tollatur. Si vero persona est suspecta; sed nullum auditores ex illius verbis conceperé scandalum, tunc vocandus est secrete, & de verborum suorum intelligentia interrogandus, & si iuxta Catholicum sensum verba illum dixisse constet, liber absq; vila punitione dimittendus est, neque (vt ego existimo) opus est illum ad publicam verborum suorum declarationem cogere, ne forte ex noua verborum declaratione aliquis scandalizetur, qui ante non fuerat scandalizatus. Iustum tamen esse censeo, vt Inquisitores admoneant prædicatorem, aut doctorem talem, ne similia iterum sine manifesta verborum declaratione prædicare, aut docere audeat.

Propositio scandalosa est propositio, quæ auditoribus piis occasionem ruinæ præbet. De hac re aliqua exempla proponam, vt ad istarum imitationem poscit lector prudens de aliis iudicare. bora

Hæretici sunt tollerandi, & non occidendi.

Maioris meriti est eleemosynā pauperi elargiri, quam eleemosynam pro Missæ sacrificio offerre.

Ineptum est pro oratione offerre salutationē Virginis. Tyrannum potest quilibet illius subditus occidere.

Iclunare impertinens est Christianæ perfectioni.

Nullum

Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo.

Omnis istæ propositiones sunt scandalosæ : quia omnes auditoribus occasionem ruinę præbent. Prima quidem viam latissimam aperit ad hæreses, quas cuncte inducēt quoniā facilitas venię incentiuū præbet delinquendi. Secunda propositio auertit à sacrificio Missæ & deuotione illius : quia si populus credat minoris meriti esse Missæ sacrificium, quam eleemosynam, tunc populus minus reuerebitur illud sacrificium, quam oportet, nec toties illud celebrare faciet, ut nunc facit. Sed vnicam Missam (ut Luthers docet) vni populo satis esse dicet. Tertia propositio tollit deuotionem, quam populus erga piam Dei matrem habet, quam Deus mediatrixem esse voluit inter nos, & illum. Quarta propositio animum, & vires populo præbet, ut pro libito Dominum suum occidat : quoniam semper causabitur Dominum suum esse tyrannum. Quinta propositio quodammodo homines à ieunio auertit. Sexta propositio tepidos reddit homines ad baptismum suscipiendum.

Propositio temeraria est illa, quæ omni proflus caret authoritatē, aut ratione, quæ alicuius sit momenti, per quam illa probari possit. Illa enim temerè fieri dicuntur (vt beatus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione. 53. ait) quæ nulla ratione reguntur, quo sit, ut illud meritò temerariè assertum dicatur, quod nulla authoritate, aut ratione probari potest. Illa igitur propositio dicetur temeraria in fide, quæ de rebus ad fidē spectantibus aliquid enuntiat, quod nulla ratione, nullaq; authoritate probari potest. Tales sunt hæc propositiones, quæ sequuntur.

Dies iudicij erit infra annum. Christus redemptor nosserat māsit per 40. dies, qui fluxerunt à resurrectione usq; ad ascensionem in arca fœderis. Discipuli Ioannis baptistæ fuerunt illi, qui in Christi redemptoris nostri passione, dixerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Ioannes Euangelista fuit sanctificatus in utero matris.

Omnes Romæ viuentes sunt in peccato mortali.

Omnes Episcopi damnantur.

Plures saluantur ex coniugatis, quam ex monachis.

Plures fœminæ saluantur, quam viri,

Omnes istæ propositiones sunt de temeritate notandæ,

Propositio
temeraria
quid sit.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

& illarum assertor, merito temerarius censebitur. Ab hac tamen nota liberabitur propositio, & illius assertor, si aliquam verisimilitudinem habeat id, quod assertur, quan- uis & authoritate, & ratione careat, præsertim si aliqua vtilitas ex illa assertione oriiri potest. Ut sunt multæ, quæ viri contemplatiui gesta fuisse verisimiliter imaginantur, & populo narrata optimos per illa suscitare possunt affe-ctus. Talia sunt quædam iniuriosa verba, quæ à pessimis satellitibus, & aliis militibus, & crucifixoribus Christo redēptori nostro in faciem dicta fuisse viri cōtemplatiui, verisimiliter imaginātur, & concionatores verbi Dei ut liter illa populo referunt. Quæ & si nulla authoritate, aut valida ratione probari queant, nō tamen ideo sunt teme- raria dicenda, quia magna verisimilitudine roborantur, & non sine vtilitate referuntur. Si tamen omni careant verisimilitudine, quatilibet illa proficere sperent, temera- ria meritò censebūtur & velut talia prohiberi debent ab his, ad quos hoc facere spectat: quia nō sunt facienda mala, vt inde veniāt bona: neq; Deus indiget mēdacio nostro.

Propositio schismatica, & seditiosa est, quæ vniōnem membrorum ecclesiæ, aut vniuersaliter, aut particulariter quomodolibet tollit, cuiusmodi sunt hæ propositio-nes, quæ sequuntur.

Episcopus non est simplici sacerdote superior.

Papà non est superior cæteris Episcopis.

Malo p̄lato non est obediendum.

Per peccatum mortale omnis potestas amittitur.

Subditi possunt dominos suos cum aliquod crimen com- miserint, pro libito suo corrigere, & punire.

Propositio iniuriosa est, quæ alicui fidelium statui, vel alicui illustri personæ detrahit. Tales sunt multæ assertio-nes Ioannis Vuiceli. & Ioannis Huss. quæ in concilio Constantiensi sessione octaua, & quinta decima damnatae sunt. E quibus sunt istæ, quæ sequuntur.

Si quis ingreditur religionem priuatam qualen- que tam possessionatorum, quam mendicantium redi- ditur inceptor, & inhabilior ad obseruantiam mandato-rum Dei.

Religiosi viuentes in religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana.

Omnies

Propositio
schismatica
quid sit.

Propositio
iniuriosa
quid sit.

Omnis de ordine mendicantium sunt hæretici, & dan-
tes eis eleemosynas sunt excommunicati.

Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ.
Papa est Antichristus.

Cardinales sunt ministri Antichristi.

Omnis istæ propositiones, sunt iniuriosæ dicendæ,
eo quod apertissimas, statibus, aut illustribus personis in-
ferunt iniurias. Cum iā de omni genere propositionum
damnabilium disseruerim, operæ pretium fore existima-
ui admonere lectorem, ne ista propositionum genera sic
putet esse ab inuicem distincta, & separata, ut vni & eidē
assertioni conuenire non possint. Potest siquidem eadem
assertio multis ex his, quas modo explicuimus notis ma-
culari. Nam hæc propositio, quæ vna est ex pestiferis Io-
annis Vuicleui assertiōnibus. Religiosi viuētes in religio-
nibus priuatis non sunt de Religione Christiana, est hæ-
retica, scādalosa, temeraria, schismatica, & iniuriosa. Hæ-
retica est: quia cōtra vniuersalis ecclesiæ definitionē sen-
tit. Scandalosa quia homines ab ingressu religionū auer-
tit, & professis, vt vota, quæ domino voverunt non red-
dant, suadet. Temeraria dicitur, quia nulla prorsus ra-
tione, aut authoritate fulcitur: sed omniū sanctorū viro-
rum turbæ contradicit. Schismatica ideo merito censem-
da est quia ecclesiæ vnitatem diuidit, cum religiosos ab
illa separat. Quod autem omnibus religionibus, & illa-
rum religiosis sit iniuriosa adeo est apertum, vt nullus
merito dubitare posse.

DE MVL TIPLICI VIA PER

quam conuinci potest aliquam propositionem esse
hæreticam. Cap. IIII.

QVanuis de hæretica propositione satis, vt ex-
stimo, disseruerim, vt tamen rem plene absolu-
rem, necessarium fore iudicauī vias ostendere, per quas
propositio aliqua posse apertissime de hæresi conuin-
ci, ne fortè in damnatione propositionis alicuius, iudi-
ces, quibus hoc agere incubuit, sententiā peruertant propo-
sitionē aliquā velut haereſiā damnantes quæ talis meri-
to dici non posset, aut Catholicā dicentes, quæ velut hæ-
retica damnanda erat. A multis enim non solum idiotis,

DE IVSTA. HÆT ET. PVNIT.

& ignorantibus : sed viris etiam alioqui doctis , hac in parte erratum est, cum multas propositiones in suis scriptis velut hæreticas diffamauerunt , quæ nihil minus quam hæreticæ dici merebantur . Nam (vt de aliis taceam multas assertiones hærefoes nota maculauit in suo illo opere de hæresibus, Philaster Brisiensis Episcopus, de quo Augustinus mentionem facit in lib. de hæresibus, ad quod vult Deum, quæ tamen pro Catholicis nunc ab omnibus defenduntur. Multas etiam illic tanquam Catholicas nobis proponit assertiones , quas nos in eo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidimus , inter hæreses non immerito recensuimus . Ne igitur simile quid aliis contingat, plures vias, easq; certas, & indubitas, nunc ostendere decreui , per quas propositio aliqua de hæreti conuinci possit. Ex quibus apertissime constabit propositionem illam non esse hæreticam dicendam, quæ aliquo istorum modorum, quos statim explicabimus, non potuerit de falsitate conuinci.

PRIMA via, & omnium potissima est sacra scriptura: quoniam omnis, qui se Christianum fatetur, tenetur firmissime credere vera esse omnia , quæ nos sacra scriptura docet , & nefas est de illis quomodolibet dubitare. Quoniam alias Deus, qui illarum omnium primus creditur auctor, suspectus de mendacio haberetur, quod Christianæ aures audire horrent. Vnde Augustinus in epistola ad Hieronymum, quæ est decimanona in ordine suarum epistolarum, ita ait : Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam , at si aliquid in eis offendero literis , quod videatur contrarium veritati, nihil aliud , quam vel mendosum esse codicem , vel interpretem non assequutum esse, quod dictum est , vel me minime intellexisse non ambigam. Hæc Augustinus. Et habentur hæc verba in volumine Decretorum in capit. Ego solis. Dist. 9. Quanquam illic mendose Augustini verba citantur , propter quod moneo lectorem, vt quæ in Decreto ibidem citantur ad hoc exemplar corrigat. Cum ergo omnia, quæ nobis sacra scriptura credenda proponit, firmissime credere teneamus, conse-

August.

consequēs est, vt quicquid illis repugnauerit, hæreticum
 sit meritō censendum. Maxime tamen hac in re consi-
 derare oportet, vt testimonium sacræ scripturæ quo pro-
 positio aliqua est de hæresi conuincenda, sit ita apertum
 & indubitatum, vt nullus ex sacris & probatis Doctori-
 bus illud in aliquo alio sensu interpretetur, iuxta quem
 non possit talis propositio per illud de hæresi conuinci.
 Sæpe enim contingit, vt inter Doctores sacros non con-
 ueniat de sensu alicuius loci sacræ scripturæ, sed longis-
 simè vnuis ab alio distet eruēdo illius loci sensum. Tunc
 igitur licet sensus quein vnuis aut alter ex sacris Doctori-
 bus reddit illi loco sacræ scripturæ, apertissimè pugnet
 cum aliqua propositione, non erit statim talis propositio
 censenda hæretica, si constet locum illum sacræ scripturæ
 aliter ab aliis sacris Doctoribus fuisse declaratum, ita
 vt iuxta illorū sensum locus ille sacræ scripturæ non pu-
 gnet cum tali propositione. Nā cūm vniæ sint illius loci
 propositiones, sæpe evenit vt incertum nobis sit, quam il-
 larum necessariò tenere debeamus, & inde consequitur
 vt nulla illarum sit sufficiens ad dogma aliquod siabili-
 endum, aut hæresim cōuincendam. Cettum enim & ma-
 nifestum debet esse scripturæ testimonium, quod propo-
 sitionem aliquam debet expugnare atq; de hæresi cōuin-
 cere. Vnde Augustinus in libro contra epistolam Ptiliae-
 ni de vnitate Ecclesiæ, respondens quibusdam scripturæ
 testimoniis quibus Donatistæ hæretici conabantur pro-
 bare apud illos solos esse Ecclesiam. Hæc capite. 19. ait.
 Quod si ambigue posita, & pro nobis possent interpre-
 tari, nihil vtiq; adiuuarent causam vestram : quia & nos
 si talibus vti vellemus, innumerabilibus vtereinur, quæ
 causam nostram nihil similiter adiuuarent. Hæc Augu-
 stinus. Illa igitur propositio, quæ scripturæ sacræ, iuxta
 sensum ab Ecclesia catholica receptum, contradicit, est
 citra omnem controuersiam hæretica censenda. Neq;
 curandum est, an aperte contradicat, an latenter: quoniam
 quocunq; modo repugnare constiterit, propositio illa sic
 cuo scriptura sacra pugnans, erit meritō de hæresi no-
 randa. Sunt enim aliquæ hæreses quarum contrariae, aut
 contradictoriae sunt expressæ in sacra scriptura, & huius
 modi propositiones sunt, quæ aperte contra sacram scrip-

turam pugnant. Ut (gratia exempli) quod Christus nō est Deus. Quod tres personæ non sunt vna essentia, illarum contradictoriæ sunt expressæ in sacra scriptura. Sunt etiam aliae hæretes quarum contrariæ aut contradictoriæ, licet non sic exprimuntur in sacris literis, vt sub illo verborum tenore ibidem habentur, tamen ex illis, quæ sacra scriptura docet, euidentissima consequentia inferuntur tales contrariæ, aut contradictoriæ: & tales assertiones latenter pugnant contra sacram scripturam: quia scriptura repugnat contra illa, quæ ab illis necessariò deriuantur. Et tales propositiones sunt etiam hæreticæ censendæ perinde ac primæ: quoniam ea, quæ ex contentis in sacra scriptura, necessaria consequentia inferuntur, tantam habent veritatis firmitatem, & fidei necessitatem quantam illa, ex quibus colliguntur. Verbi gratia istæ propositiones: Deitas est mortua in passione Christi. Christus non est simul Deus & homo. Hæreticæ dicuntur, & sunt: quia licet illarum oppositæ sub illo verborum tenore in sacris literis non inueniantur. Ex illis tamen, quæ in sacris literis continentur, euidenti consequentia deducuntur. Hanc sententiam docet Gregorius Nazianzenus lib. 5. de Theologia sic inquiens: Quæ colliguntur ex scripturis sacris perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent. Hęc Gregorius. Iuxta hanc regulam multi sacri Doctores asserunt, & constantissime prædicant tanquā necessariò credenda, quia ex dictis sacræ scripturæ colliguntur, quanvis in illa non reperiantur. Vnde Origenes super. 25. cap. Marthę, ait: Scriptum est Christum propter esurientes & sitiientes dixisse: Esurii & sitiui. Et propter nudos & peregrinos, & ægrotantes, & in carcere positos: Nudus fui, & hospes fui, & infirmus fui. Secundum consequentiam similitudinis addamus & nos, Iniurias passus sum, cæsus sum, & tentatus sum, & omnia. Et sicut in illis quæ scripta sunt, verus est sermo Domini dicentis: Quandiu vni ex minimis istis fecisti, mihi fecisti: Sic cum iniuriam passus fuerit iustus, velut blasphematus, vel aliud tale passus, pone Christum in eos qui fecerunt dicentem eis: Quando vni ex minimis istis fecisti iniuriam, me tentasti, me blasphemasti. Hęc Origenes. Hic tamen summe aduertere oportebit

vt quisque in huiusmodi deductionibus, optime, & euidenter colligat: quoniam si consequentia nō sit euidens sed dubia, non erit etiam euidens propositionem, quę cū sacra scriptura in faciem pugnare videtur, esse hæreticā. Et certè ex errore huiusmodi consequentiæ multi deceperunt, in plurimos lapsi errores. Plerique enim fuere, vt vnum ē multis exemplum proponam, qui vitia aliqua aut laudare, aut saltem excusare conati sunt: hac sola ratione moti q̄ illa perpetrata fuisse à viris alioqui iustis sacra narrat scriptura. Putarunt quidem necessariò consequens esse, vt omne opus illud censendum sit bonum, quod ab homine in scripturis sacrī laudato patratū esse considererit: aut ē contrariò, vt opus illud malum aestimeatur, quod ab homine malo scriptura factum esse refert. Iudith à mendacio excusare conantur, quia multas alias illius virtutes scriptura sacra commemorat. Eadem ratio ne Loth ab ebrietate & incestu eripere laborant. Hoc eodem argumento Faustus Manichæus olim sacram scripturā de falsitate arguebat: quia aliqua mala opera narrat ipsa scriptura ab hominibus alioqui iustis fuisse facta Fuisset quidem illa collectio bona, & argumentatio valida, si verum esse constaret q̄ qui semel iustus est, vt Pelagius, & post illum Lutherus dixit, male agere non posset, aut qui semel malus est nunquam posset postea respicere ad bonum. Cūm autem hæc sententia falsissimā sit, constat malè colligi q̄ opus aliquod sit bonū, ex hoc q̄ operator illius fuit bonus, aut q̄ sit malum, quia ab homine malo fuit factum. Ideo beatus Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum respondens huiusmodi argutiosis eiusdem Fausti calumniis, cap. 60. hæc ait: Cūm hominis eiusdem & recte factum, & peccatum scriptum inuenimus, aliud insinuatūr imitandum, aliud præcaendum. Hec ille. Et rursum cap. 62. eiusdem libri disputans de fornicatione Iudæ, qui cum Thamar nuru sua coiuit, ait. Quod ita nobis Faustus, vel ipsa Manichæa peruersitas arbitratur aduersum, quasi nobis in illius scripturæ veneratione dignoq; preconio vitia hominum, quę illa commemorat, necesse sit approbare: quin potius necesse est, vt quanto illam religiosus accipimus, tanto fidentius illa culpemus, quę per eius veritatē certius culpanda

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

didicimus. Ibi enim fornicatio, & omnis illicitus con-
cubitus iure diuino damnatur, ac per hoc cùm talia quo-
rundam facta commémorat, de quibus eo loco suam ta-
ceat sententiam, iudicanda nobis permittit, non laudan-
da præscribit. Et iterum cap. 65, eiusdem libri ait: Inani-
ter ergò Faustus in seipsum potius dente sacrilego sequi-
ens, sanctam scripturam, quam totus iam mundus meri-
tò veneratur, accusat: quę, vt supra dixi, tanquam speculi
fidelis nitor, nullius accipit adulandam personam sed &
laudanda & vituperanda hominum facta, vel ipsa iudi-
cat, vel legentibus iudicanda proponit: nec solum homi-
nes ipsos vel vituperabiles vel laudabiles intimans, verū
etiam quędam in vituperabilibus laudanda, & in laudas

1. Reg. 14. bilibus vituperanda non tacens. Neq; enim quia vitupe-
rabilis homo erat Saul, ideo non est laudabile factū eius
quod gustatum de anathemate tam diligenter scrutatus

Deut. 18. tam seuerè vindicare conatus est, obediens Deo qui hoc
fieri prohibuerat: vel quod Pythones & ventriloquos
de regno suo deleuit. Aut quia laudabilis erat Dauid,

1. Reg. 28. ideo peccata eius, quę Deus quoq; arguit per Prophetā,

2. Reg. 12. vel approbanda vel imitanda sunt. Sicut nec in Pontio

Mat. 27. Pilato vituperandum est, q; aduersus accusationes Iude-

Mat. 26. orum innocentem Dominum iudicauit. Neq; in Petro

Mat. 16. laudandum est, q; eundem Dominum ter negauit: vel
vnde ab ipso Satanus appellatus est, q; nō sapiendo quę
Dei sunt, eum voluit à passione, hoc est, à nostra salute
reucare: paulò ante ergo dictus est beatus, paulò post
dictus est satanas. Sed quid in illo obtinuerit Apostola-
tus eius, & martyrii corona testatur. Hactenus Augusti-
nus. Ex his omnibus constat, propositionem aliquam
nō esse statim dicendam hæreticam, propterea q; pugnet
cum eo quod ex sacra scriptura deduci videtur: sed ante
quam sententiam dicamus oportet diligenter scrutari,
an id cū quo talis propositio pugnat, bene ex sacra scrip-
tura colligatur, an male. Si consequentia est bona, talis
propositio meritò cēsebitur hæretica. Si vero consequen-
tia est mala, nō iudicabitur propter talem consequentiā
hæretica illa propositio. Erit tamen de hæresi suspecta,
quovsque de consequentia constet, necessaria sit an non.

PRIMA igitur via, & (vt diximus) omnium potissi-
ma

ma,qua propositionē aliquam de hæresi conuincere possumus,sacra est scriptura. Hæc est enim turris illa Dauid, ex qua mille clyppæ pendent , & omnis armatura fortium:quoniam ex ea sumenda sunt arma, quibus contra hostes fidei Catholicæ pugnare debemus. Hæc est etiam torrēs ille vnde Dauid lapides sumpsit,quibus superbū Goliath acerbissimum Israëlis hostem prostravit. Vnde Paulus in posteriore epistola ad Timotheum ait. Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instrutus. Hic tamen admonendus est lector,ne putet sacræ scripturæ verba iuxta omnem illorum, sensum esse efficacia ad hæreses confutandas,quoniam nisi in sensu literali sumantur,parum roboris habent ad disputationem. Sensus mysticus non est validus ad hæreticos cōuincendos, sed solus literalis. Et ideo cum Petilianus donatistarum Episcopus vellet probare in sola ea parte Africæ,quæ Donatistas alebat,esse veram ecclesiā,& pro hac sententia adduceret illud Canticorū.1.Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Respondens illi Augustinus in libro de unitate ecclesiæ cap.19 hæc ait. Hæc mystica sunt,operta sunt,figurata sunt,aliquid manifestū,quod interprete nō egeat,flagitamus. Hæc ille. Et in epistola ad Vincentium donatistā quæ est in ordine 48 iterum ait. Quis autē non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum profane interpretari , nisi habeat & manifestissima testimonia quoru lumine illustrentur obscura? Hæc Augustinus. Ex quibus verbis aperte cōuincitur aliquos viros catholicos, qui contra hæreticos negantes confessionē sacramentalē esse de iure diuino,disputant,imprudēter agere quū illos conuincere nitūtur,per illud quod Christus Leprosis dixit, Ite ostendite vos sacerdotibus, aut per illud,quod de Lazaro loquēs, Apostolis dixit:solute illū & finite abire Bona quidē sunt ista, & utilia ad cōfirmādos fideles sunt tamen parum efficacia ad conuincendum infideles: quia mystica sunt,& dubia. Si tamē sensus mysticus talis esset, ut per alia scripturæ testimonia probari posset illū esse verum illius literæ sensum,tūc talis sensus,ut Augustinus in verbis proximè citatis docuit,efficax erit ad dogma stabiliendum,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

lendum, & hæresim conuincendam. De qua re non est opus nunc longius disserere, quia in eo opere, quod aduersus omnes hæreses aedidi. l. i. cap. 3. fatus n: c dixisse me: min: & in alio opere quod nunc paro de recta & genuina sacræ scripturæ intelligentia, multò copiosius, Deo duce, me dictum spero.

SECVNDA via, per quam propositio aliqua potest de hæresi conuinci est concilij generalis recte (vt decet) congregati definitio. Concilia siquidē generalia errare non possunt: cum à spiritu sancto, qui illis semper assistit, regātur. Quo sit, vt illis, quæ à generali cōcilio recte congregato decreta sunt, & quæ ex huiusmodi decretis cōsequenția necessaria deducuntur, plenam teneamur præstare fidem, etiam si apertis scripturæ sacræ testimoniosis illa probari nō possint. Omnis igitur propositio afferens aliquid contra alicuius probati concilij definitionē, aut contra ilud, quod euidēti, & necessaria consequentia ex concilij decreto colligitur, erit merito hæreſeos nota maculāda, & ad illius redargutionem satis est probati concilij definitio, etiam si apertum sacræ scripturæ testimoniu contra illam desit. Per hanc viam multæ propositiones de hæresi conuincuntur, quæ subtractis conciliorum definitionibus, minime, aut difficillime possent hæreticæ demonstrari. Ne autem quis mihi in hac parte ob exemplorum defectum fidem derogeret, alias propositiones subiugam, quæ nisi conciliorum authoritate vix possent à gremio fidei Catholice reiici.

Substantia panis materialis, & substantia vini materia lis sunt realiter in sacramento altaris.

Populares possunt ad arbitrium suum dominos delinquentes corrigerē.

Omnes sunt symoniaci, qui se obligant orare pro illis in temporalibus subuentientibus.

Oratio privati hominis nulli prodest.

Anima rationalis non est verè, & per se forma corporis humani.

Epistola ad Hebreos non est Pauli.

Epistola prima ex septem canonicis non est Iacobi.

Omnes istæ propositiones sunt hæreticæ illarum tam error vix aliunde posset demonstrari, quam ex concilio-

rum

rum authoritate. quatuor primæ damnatæ sunt in concilio Constantiensi sessione octaua. Quinta damnata est in concilio Viennensi sub Ciemete huius nominis quanto summo Pontifice , cuius decretum habetur in Clementina de summa Trinitate , & fide Catholica. Duæ vltimæ per multa concilia damnatæ sunt.

TERTIA via per quam possumus assertionem aliquam de hæresi conuincere , est vniuersalis Ecclesiæ consensus sine alicuius scripturæ sacræ testimonio , & sine alicuius generalis concilij definitione . Multa enim sunt, quæ & si in scriptura facta non contineantur : quia tamen antiquissima ecclesiæ consuetudine seruata sunt, vim habent non paruam ad hæreses confutandas: quoniam credi par est, illa ab ipso Christo saluatore nostro fuisse deriuata, & inde ex ore in os ad nostra sæcula peruenisse. Nam idē de Archippo , & Lysiade Pythagoricis Philosophis servatur, qui Thebis in Græcia scholas habentes Pythagorica dogmata solo verbo tradebant, quæ discipuli memoriter retinente, ingenio , & memoria pro libris vtebantur. Christum nihil scripsisse, quod permanerit legimus : sed solo verbo docuisse, cuius verba , & præcepta non omnia Euangelistæ scripsierunt : sed eorum aliqua memoriter conseruata sunt, & ex ore in os transfusa ad nos peruenient. Quę autem sic seruata sunt, firmissimam habent veritatis certitudinem perinde ac si per scripturam fuissent traditæ. Nā sicut Deus Spiritu suo diuino adflavit Euangelistas : aut alios sacros scriptores , cum aliquid scripsierunt, ita adflat ecclesiam eodem Spiritu, cum aliquid illa nobis loquitur. Christus siquidem apostolis suis ait. Non estis vos, qui loquimini : sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Non est enim credendum Deum Ecclesiam suam destituisse iam Spiritu suo, ut iam per os illius loqui dedignetur , prout ante faciebat : præsertim cum ipse dicat. Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi . Sicut ergo credimus scripturæ diuinæ per manus Apostolorum , & Euāgelistarum scriptę, ita etiam credere tenemur voci diuinę per os ecclesię prolatę. Nam sicut non omnia, quæ Christus fecit (vt Ioannes Euāgelistā testatur) scripta sunt, ita neq; omnia, quæ dixit. Istorum autem siue sanctorū, siue dictorū Christi, quę scripta nō sunt, multa credēdū est apostolos aliis verbo narrasse,

Mat. 10.

Mat. 28.

Ioan. 20.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

atque ita ex ore in os, & ex pectore in pectus transfusa ad nos usque peruenisse sine alio quouis scripturæ testimoniio. Talia sunt fermè omnia, quæ ad ritum sacramentorum exercendorum Catholica seruat ecclesia: qui ritus quanuis in sacra scriptura non sint expressi, illos tamen reiicere non licet: quoniam aut omnes illi, aut maior illorum pars ab ipso Christo illorum instituore processit, & ex ore in os prodiens ad nos usque peruenit. Quo sit, ut si quid contra hæc, quæ usque ad hæc tempora sic seruauit, & docuit ecclesia, aliquid doceatur, illud sit merito hæreticum censendum. Vnde Origenes Ho-

Origen. milia quinta super librum Numerorum, ait: In ecclesiasticis obseruationibus, sunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere necesse est nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagiis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facile puto cuiquam ratione compertum. Sed & Eucharistiae, siue percipiendæ, siue eo ritu, quo geritur explicandæ, vel eorum, quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, ac respondionum quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, & velata portamus super humeros nostros, quum ita implemus ea, & exequimur, ut à magno Pôfifice, & eius filiis tradita, & commendata suscepimus. Haec etenus Origenes. Prætereà ille verborum contextus, & ordo, quo Catholica vtitur ecclesia in consecratione corporis, & sanguinis Christi, apud nullum Euangelistarum plene reperitur, nephas tamen esset credere aliis verbis sacramentum illud esse conficiendum, quam quibus nunc conficit Ecclesia: quoniam talia verba, quibus nunc vtitur Ecclesia, ab ipso Christo (vt credimus) processerunt. Hoc enim Innocentius Papa huius nominis Tertius fatetur sic inquiens. Credimus igitur, quod formam verborum: sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores. Hęc Innocentius, & habentur hæc verba in volumine decretalium, titulo de celebratione missarū cap. Cum Marthæ. Certissima igitur via, & validissimum argumentum ad conuincendum aliquam propositionem esse hæreticā, est

Eccle-

innocētius.

Ecclesiæ vniuersalis consensus, ita ut illa propositio dicatur hæretica, quæ est contra vnuersalem Ecclesiæ consensum, quanvis nullum sit scripturæ testimonium, quo posse sit talis propositio conuinci. Vnde Sapiens in prouerbiis ait. Ne dimittas legem matris tuæ. Hæc tertia via ad concordias hæreses, definita est in concilio Tridentino sub Paulo tertio celebrato, quod in sessione tertia declarauit, veritatem fidei contineri partim in libris scriptis, & partim in traditionibus: & postquam recensuit libros omnes sacræ scripturæ, in quibus veritas fidei continetur, hæc quæ sequuntur, ait. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina æditione habentur, pro sacris & canonicis non suscepit, & traditiones predictas sciens & prudens contempserit, Anathema sit.

Prou. 6.

Quarta via est iudicium sedis Apostolicæ: quoniam hæc circa illa, quæ fidem spectant, errare non potest. Sed circa hoc admonere decreui lectorum, quid per nomen sedis Apostolicæ intelligere debeat: quoniam hoc nomine non ipsa sola Papæ persona intelligitur: quoniam illa errare potest, ut homo, malè sentiendo, & malè opinando: sicut de multis summis Pontificibus historię referunt illios errasse. Nam (ut de cæteris raceam) Honorius primus damnatus est in sexta synodo, eo quod Monothelitarum hæresi faueret. Nomen sedis Apostolicæ significat ipsum summum pontificem, non ut facit aliquid tanquam priuata persona: sed ut facit ea, quæ ad cathedralm spectant, non ex suo tantum consilio procedens: sed ex consilio bonorum virorum, & doctorum. Hoc modo capitur nomen sedis Apostolicæ quotiescumq; in decretis, aut alibi legitur Apostolicam sedem non posse errare in fide. Vnde Agatho Papa ait. Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divina voce Petri firmatae. Hæc ille. & habentur in capite Sic. dist. 19. Quæ verba exponens Archidiaconus super decreto ita ait. Cautæ dicit Apostolicæ sedis, & non dicit Apostolici. Hæc ille. Sedis ergo Apostolicæ sanctiones, siue sententia in iudicio prolata à Romano Pontifice, intelligitur non, quæ occulte, malitiose, inconsultè per so-

Agatho
Papa.

Ium Romanum Pontificem, aut etiā quæ per ipsum cum paucis sibi fauētibus, aliis in fraudē contemptis, siue non vocatis profertur; sed quæ a Romano Pontifice, ex consilio plurimorum virorum sapientium præsertim Domini nostorum Cardinalium, plenè prius examina: a profertur.

Quali autem examine Apostolicæ sedis sententia sit dis-

Gregor.

cutienda, antequā proferatur. Beatus Gregorius declarat sic inquiens. Apostolicæ sedis sententia, anta semper consiliī moderatione concipitur, tan: a potētia, & maturitate decoquitur, tantaq: deliberationis gravitate profertur, vt nec innutari necessarium ducat nisi forte sic prolatā sit, vt retractari possit, vel immutari, si secundū tenorem præmissæ conditionis existat. Hæc Gregorius. Et habentur hæc verba in decreto. 35. qu. 9. cap. Apostoli. Sic igitur accipiendo nomen sedis Apostolicæ: credo illam in fide errare non posse, & illius sanctiones esse prorsus indeuiabiles, non quidem ratione personæ, à qua procedunt: quoniam cum homo sit, cōsequens erat, vt errare posset; sed ratione cathedræ, quā regit, & moderatur. Nam personæ alioqui indignæ Deus dona gratiarū impariū solet propter officium, quod administrat. Nam (vt de aliis taceam) Cayphæ propter pōtificiam dignitatem, qua honestatus erat, datum est de humani generis redemptione per Christi mortem faciēda prophetare. Multò ergo magis dignum erat, vt illi, qui totius ecclesiæ est pastor, & rector, Deus veritatis indeuiabilis priuilegiū concederet.

Ioan. II.

Luc. 22. Sic enim Christus se facturum promisit, dicens: Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirmā fratres tuos. Quomodo autem deficiet Petri, hoc est, Apostolicæ sedis fides, illo pro catorante, qui semper exauditur. Aut quomodo oves errantes reducere posset, aut vacillantes confirmare si illarum pastor & rector erraret petinde ac illæ: Ideo beatus

Luc. 22.

Leo
Papa. Leo in sermone secundo suæ ordinationis, hanc Christii præmissionem pertractans, ait: Specialis cura à Domino, Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus si mens Principis vieta non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ira roboratur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis

stolis conferatur. Hæc beatissimus Leo Papa. Si quando forte aliquis Romanus Pontifex in definitione fidei errauit, inde euenire potuit, quod non tantam quantum debebat, adhibuit diligentiam, antequam sententiam proferret, quoniam vel rem non plenè (ut decebat) examinauit, vel non eos, quos oportebat, consuluit. Eo enim euentu errauit, ut particularis persona, non ut Cathedræ moderator, & rector. Errauit tunc homo, qui in sede Apostolica erat, sed nō errauit sedes Apostolica, quoniam sedes Apostolica (ut supra ex beato Gregorio ostendimus) nihil sine maturo examine iudicat. Cum autem sic iudicat, errare illa non potest, quia Deus in medio illius existit, ne à vera fide moueat. Cum igitur hoc pruilegio Deus Apostolicam sedem donauit, ut errare illa non possit, consequens est, ut iis, quæ ab illa maturo examine præhabito in rebus fidei definita, & iudicata sunt: omnes credere teneantur, & si quid contra illa pertinaciter asseratur, hæreticum sit necessario iudicandum. Vnde beatus Hieronymus Damaso Papæ scribens, ait: Hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica didicimus ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minus perite, aut parum cautè forte aliquid positum est, à te emendari cupimus, qui Petri, & sedem, & fidem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me inculpare voluerit, se imperitum, & malevolum, vel non etiam Catholicum: sed hæreticum comprobabit. Hæc Hieronymus. Per hanc viam conuincimus has propositiones esse hæreticas.

Confessio sacramentalis est solum de iure humano.

Animæ iustorum in gratia decedentium non vident clare essentiam diuinam ante diem iudicii.

Hæc duæ propositiones tanquam hæreticas Catholica reiicit ecclesia: illarū tamen error non tam facile aliunde posset evidenter demonstrari, sicut ex Romanorum Pontificum determinationibus. Nam primā damnauit Sixtus quartus, cuius decretū ego inserui in eo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidi, titulo de confessione. Secundam damnauit Benedictus undecimus, & illius decretum positum est in eodem opere, titulo de Beatiudine hæresi sexta.

Quinta

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Quinta via per quam possumus conuincere assertio-
nem aliquam esse hæreticam, est omnium sacrorum do-
ctorum, qui de re illa scripsierunt contra illam propositio-
nem concors sententia. Nam id, quod contra omnium
talium sententiam assertum fuerit, hæreticum esse con-
stabit. Et hoc apertè docet Athanasius in illa sua magnis
fica oratione contra idola, sic inquiens. Sententia enim à
maioribus confirmata, irrefutabilem habet autoritatem
fidei. Hæc ille. Si tamen vni tantum, aut alteri sacro do-
ctori contradixerit aliqua propositio, non proinde talis
propositio censenda est hæretica, quoniam talium homi-
num scripta, quamlibet illi sint sancti, & docti: non sunt
velut oracula diuina recipienda: quia non constat illa à
Deo processisse: sed ab homine, qui falli potuit. Nihil au-
tem obstat, vt eum, qui falli potuit, falsum fuisse dicamus.
Neque etiam est equum, aut rationi consentaneum: vt ci-
qui & falli, & fallere potest, qualis est quisquis purus ho-
mo sub gehennæ comminatione credere teneamus: quo-
niam hac ratione euenire oporteret, vt sèpissimè falsa
pro veris, & vera pro falsis recipere teneremur: quod ne-
fas est dicere. Verum & si singulorū sanctorum scripta nō
sint sic pro lege tenenda: vt impium sit ab illis discedere:
omnium tamen sanctorum doctorum de rebus fidei con-
cors sententia, cui nunquam ab Ecclesia, aut ab illis viris
Catholicis impunè contradictum est, pro vera Ecclesiæ
definitione tenenda erit. Nam (vt beatus Paulus ait) ad

Ephe. 4.

hoc nobis dedit Deus, quosdam Apostolos, alios Prophe-
tas, alios doctores: vt iam nō simus paruuli fluctuantes:
& circumferamur omni vento in nequitia hominum, in
astutia ad circumuentiōnem erroris. Si ergo ad hoc dati
sunt, vt non erremus, non est possibile, vt omnes simul er-
rauerint, qui, vt nos non erraremus missi sunt. Præterea
sacræ literæ ad veteres doctores nos mittunt, vt ab illis
doceamur, quo fit, vt eadem lege nos illis credere tenea-
mur. Frustra siquidem ad illos accedere iuberent: nisi illo-
rum doctrinā suscipere teneremur. Sic enim Moyses ait:

Memento dierum antiquorum, cogita generationes sin-
gulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maio-
res tuos, & dicent tibi. Rursum omnium sanctorum docto-
rum concors sententia, cui nūquām impunè aliquis con-
tradixit

Deut. 32.

tradixit apertissimè conuincit illam esse etiam totius Ecclesiae sententiam : quoniam si illi facili doctores omnes errassent, illorum errorem per tot secula protractum Ecclesia non dissimulasset. Quo sit, ut ecclesia ad illorum omniū sententiā semper tacens, illis cōsentisse videatur: quoniam si non consensisset, nec etiam tacuisse. Nunquā enim verius dici potest, ut qui tacet, consentire videatur, quam cū res est adeò seria, ut tacere sit permittiosum, loqui vero & vtile, & necessariū. Error enim, cui non resistitur (ut Innocentius Papa ait) approbatur, & veritas cū minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippè cū possis perturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori definit obuiare. Hæc Innocentius, & habentur hæc verba. 8. distin. cap. Error. Sed quoniam de hac re satis prolixè disputauit in libro primo contra omnes hæreses capite septimo: ideo superfluum iudicauit longius de hac re hic disputare. Hoc tamen solum colligamus omnium sacrorum doctorum tam præsentium, quam præteritorum cōcordem de aliqua re sententiam æquè efficax esse argumentum ad hæresim reuincendam, sicut esset Ecclesiæ vniuersalis definitio : quoniam ea, quæ ab omnibus sine ecclesiæ contradictione de rebus fidei tradita est sententia, ab eadem ecclesia videtur fuisse approbata dum tacuit, quia nisi probasset contradicere tenebatur, ne cum propheta Esaia diceret : Væ mihi: quia tacui. Hac via pugnauit Hieronymus cōtra Eluidium. Nam ut perpetuam Dei genitricis Mariæ virginitatem contra illum ostenderet, cū expressa sacræ scripturæ testimonia pro hac re decessent, potissimum usus est testimonio sacrorum virorum, qui illum præcesserunt. Deinde quinta synodus contra Macharium Antiochenum Episcopum congregata, plurimum roboris tribuit testimoniiis sanctorū patrum. Sic enim ait. Sequimur per omnia sanctos patres, & doctores ecclesiæ. Athanasium, Hilarius, Basilius, Gregorium theologum, & Gregorium Nissenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem Portium : & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Hæc ex quinta synodo. Ex quibus apertissime

Innocen-
tius primus

Esa. 6.

Quinta
Synodus,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

mē confiat magnam autoritatem ad hæreses reuincendas habere omnium sanctorum virorum, qui nos præcesserunt, concordem sine cōtradictione sententiam. Quinque igitur sunt viæ per quas pro opositionem aliquam conuincere possumus esse hæreticam: extra quas credo nullam aliam esse. Quo fit ut assertio, quæ nulla istarum viarum, quas nunc pertractauimus, potest de hæresi conuinci, talis quanvis debeat alia nota maculari, merito hæretica dici non possit. Et assertor, quanvis pertinax illius propositionis quæ non potest aliquo istorum modorum de hæresi conuinci, non poterit hæreticus censeri, & velut talis merito puniri.

QVIS POSSIT DE HÆRESI judicare, & sententiam cui omnes obedire teneantur, ferre. Caput. V.

Quanvis hæresis definitionem statuimus, per quam cognosci posset, quæ propositiones sint hæreticæ dicendæ, & quæ non, sæpe tamen circa multas propositiones dissensiones oriūtūr inter viros doctos in iudicio de illis ferendo, quibusdā dicentibus illas merito esse hæreticas nota maculandas, quibusdā contra asserentibus illas esse Catholicas, aut saltem non posse citra iniuriā hæreticas appellari. Nec ista contentio contingit, fidelibus contra solos hæreticos: sed ipsi fideles Catholicæ, & docti, ab iniucem dissentient, & de hac re sæpè contra se iniucem pugnant. Necessarium ergo est iudicem verum in hac cōtrouersia agnoscere, penes quem sit potestas sententiam dicendi, ut lites omnes, & dissensiones tollātur. Alioqui si nullus de hac re sit iudex, cuius definitioni omnes obtemperare cogantur: sed liberum sit cuique pro arbitrio sentire, nullus erit, qui hastā in certamine abiicere velit. Fieret igitur hoc pacto, ut in multis rebus ad fidem spē: & tantibus, nihil certum haberemus: sed anceps semper, & dubia esset sententia, propterea quod inter omnes viros fideles & doctos, de illa sententia non conueniret. De hac re & si in illo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidi

sedidi abundē me dixisse credam : hic tamen aliqua īdē Lib. i.
 repetere, plura etiā addere decreui, propterea quod, quæ cap. 8.
 in hoc opere agimus, omnia ad iudiciale forum dirigitur. Ac proinde necessarium fore existimauī rem illam
 plenius absoluere, ut ante omnia plenam, atq; firmissi-
 mam iudicis potestatem omnibus declaremus. Admone-
 re tamen in primis lectorem decreui, ne putet me in hoc
 capitulo differere de iudice hæreticorum, quoniā de hac
 re valdē diuersa est disputatio. Multi enim sunt, qui hæ-
 reticos iudicare, & punire possunt, qui tamen de hæresi
 (vt mox dicemus) sententiam dicere non valent. Omnis
 tamen, qui de hæresi iudicare potest, hæreticum iudicare
 & punire potest. Postquam enim is, cui intereat, censuit
 assertionem aliquam esse hæreticam, ipse met, vel alius,
 cui hoc commissum est, potest assertorem illius proposi-
 tionis pertinacem, hæreticum iudicare, & velut talem pu-
 nire. Iudicē hærefoes Lutherus dicit esse solā sacram scri-
 pturam, ad quā solam omnis prouocatio, vel appellatio
 facienda est : quoniā per solam illam (vt ait) omnes lites
 circa fidem ortae sunt dirimendæ. Perspexit quidem cal-
 lidus homo fibilo serpentino affiatus, tam apertam esse
 iudicis necessitatem, vt nulla posset verborum astutia ce-
 lari, ac proinde talem decreuit iudicem eligere, qui senten-
 tiā proferre non posset. Nam & si scriptura ipsa recte
 intellecta (vt præcedenti capitulo diximus) validissima
 sit ad hæreses reuincendas, cum tamen de illius intelligen-
 tia est contentio, ipsamēt nō poterit esse iudex. præsertim
 eum aliis scripturæ locus apertissimus deest per quē pos-
 set is, de quo dubitatur elucidari. Præterea si de scriptura
 ipsa est quæstio, an sit sacra dicenda, non poterit ipsamēt
 esse iudex : quia tunc erit abire in infinitum. In propria
 causa nullius testimonium est validum dicente Christo
 saluatore nostro : Si ego testimonium perhibeo de me Ioan. 5.
 ipso, testimonium meum non est verum. Si dicas vnam
 scripturam per aliam probari esse sacram, tunc erit hac
 ratione abeundum in immensum sine fine, aut oportebit
 necessario aliquam contentionem carere iudice : vtputa,
 si de prima scriptura ex cuius testimonio cæteræ omnes
 pendent, ut sacre dicantur, fieret contentio. Accedit ad
 hæc, quod multa sunt, ad quæ credenda compellimur,
 quæ

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quæ tamen scripturæ sacræ testimonio probari non pos-
sunt: quia quoniam (vt dicit beatus Ioānes inulta alia fe-
cit dominus Iesu, de quibus Euangelistæ nullā prorsus
fecerē mentionem, quæ tamen ecclesia Catholica firmis-
sima fide tenet, & docet. Sed opus est, vt illis, quæ pro se
adducit Lutherus, respondeamus. Obiicit enim nobis il-

Ioan. 20.
Ioan. 5.
lud, quod Christus apud Ioannem ait: Scrutamini scrip-
turas: quoniam illæ testimonium perhibet de me. Et cer-
tè si bene aduerteret Lutherus, intelligeret se suo gladio
trâfigi: quoniā ex illo loco solū colligitur scripturas esse
testes, non iudices. Non enim dixit: Scrutamini scriptu-
ras: quoniam illæ ferunt iudicium de me, sed dixit: Scru-
tamini scripturas: quoniam illæ testimonium perhibent
de me. Testium autem officium non est sententiam dice-
re: sed solū testimoniū. Ad iudicem vero spectat testimium
dicta audire, & scrutari, quibus auditis iuxta illorum te-
stimonium sententiam dicet. Quapropter nos fatemur,
iuxta scripturæ sacræ testimonium sententiam esse dicen-
dam, quoniam (vt præcedenti capitulo diximus) illa ef-
ficacissimus est testis ad hæreseos condemnationem: sed
opus est iudice, qui huius testis dicta scrutetur, & exami-
net: quoniam hoc sublatō ipsius testis dicta quilibet per-
uertet, cùm quilibet præsumat sacram scripturam pro suo
arbitraru interpretari. Hac igitur insana Lutheri senten-
tia reiecta, ego verum, & indubitatum in causa fidei iudi-
cem censeo esse concilium generale recte, vt decet, con-
gregatum. Ad huius autem sententiae confirmationem

August.
multæ, & urgentissimæ suppetunt rationes. Prima est,
quod concilium tale vniuersam representat ecclesiam, de
qua omnes viri Catholici censuerunt illam tantè esse po-
testatis, vt illius iudicia, & decreta velut oracula diuina

Irenæus.
dixerint esse recipienda. Augustinus siquidem in Episio-
la ad Casulanum presbyterum, contemptores ecclesiastī
carum consuetudinum, velut præuaricatores, diuinarum
legum coercendos putat. Et (vt alios vitandæ prolixita-
tis causa omittam) Beatus Irenæus martyr, libro tertio
aduersus hæreses capite. 4. ait: Tantè igitur ostensionis
quum sint hæc, non oportet adhuc querere apud alios
veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, quum Apo-
stoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam con-
tulerint

tulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicunque vel
 lit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus,
 omnes autem reliqui fures sunt, & latrones. Propter quod
 oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt ecclesiæ,
 cum magna diligentia diligere, & apprehendere verita-
 tis traditionem. Quid enim, & si quando de aliqua mo-
 dica quæstione disceptatio esset, nonne oportet in anti-
 quisimas recurrere ecclesiæ, in quibus Apostoli conuer-
 sati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod
 certum, & rei liquidum est? Quid autem si neq; Apostoli
 quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat
 ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt iis, quibus
 committebant ecclesiæ? Hæc Irenæus martyr. Cuius au-
 toritas tanto ceteris omnibus præstat, quanto ille fuit
 Apostolis propinquior. Nam Polycarpi martyris fuit au-
 ditor, quem Ioannis Euangelistæ discipulum fuisse mul-
 torum historiæ commemorant. Cum ergo ex horum, &
 aliorum multorum testimonio constet ecclesiæ autorita-
 tem tantam esse, ut illius iudiciis, & decretis, omnes fide-
 les teneantur per omnia obedire, consequens est, ut hæc
 eadem authoritas sit in generalibus conciliis rectè (ut de
 cetur) congregatis. Concilia siquidem generalia vniuersa-
 lem representant ecclesiæ propterea quod omnes illi, ad
 quos spectat de fide, & moribus definire ad illa conuocan-
 tur, & omnibus talibus loquendi facultas conceditur. Non
 enim spectat ad omnes docere, & de lege iudicare: sed ad
 solos sacerdotes. Hoc enim Malachias propheta testatur
 sic inquiens: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & le-
 gem exquirunt de ore eius, quia angelus Domini exerci-
 tuum est. In corpore humano non omnia membra eu-
 dem actum habent, ita (ut Paulus ait) multi vñi corpus
 sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ha-
 bentes donationes secundum gratiā, quæ data est nobis,
 differentes: siue prophetiam secundum rationem fidei, si-
 ue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctri-
 na. Vides qualiter iuxta Pauli sententiam officia in ecclæ-
 sia sunt diuersa, quæ non omnia omnibus competunt,
 quemadmodum actus corporis sunt diuersi iuxta mem-
 brorum diuersitatem. At cum membrum quodlibet
 actum fibi competentem exercet, totū corpus illud agere
 dicitur,

Mala. 2.

Rom. 12.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

dicitur, quanvis non omnia membra illud agant. Ut (gratia exempli) homo dicitur videre, quāvis nec manus, nec pes videat: sed solus oculus: homo dicitur audire, quanvis sola auris audiat. Idem igitur de corpore mystico quod est ecclesia, dicendum erit, ita ut quae à concilio generali recte cōgregato ordinata sunt, à tota ecclesia fuisse decreta, & definita dicamus, propterea quod omnes illi, ad quos in ecclesia spectat de fide tractare in illo conuenierunt, aut saltem, ut venirent, vocati sunt. Sie enim cūm Apostoli, & Seniores conuenerūt Hierosolymis pro decidenda illa magnifica quæstione de legalium cessatione, conuētus ille Apostolorum, & seniorum vocatus est omnis ecclesia, quāvis multi tunc erant alibi Christiani, qui ibidem congregati non erant. Nam postquam retulit illius

Act. 15. quæstionis definitionem, liber Actuum Apostolorū hęc, quæ sequuntur, subiungit. Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. In quibus verbis satis aperte conuentus ille Hierosolymis congregatus, vocatus est omnis ecclesia. Cūm ergo concilium recte congregatum vniuersam representet ecclesiam, oportet, ut omnem illam potestatem in concilio recte congregato esse credamus, quam in vniuersali ecclesia residere, fideles Catholici credunt. Est adhuc alia, & non minus vrgens ratio, quæ nos mouet, ut credamus potestatem de hæresibus iudicandi esse in toto concilio firmissimam: quia videlicet concilium legitime adunatum, nullo modo errare potest in fide. Dignum quippè est, ut fides, quæ supremæ, & infallibili innititur veritati, talem etiam habeat iudicem, qui errare non poscit. Concilium autem generale legitimè coactū, nullo modo in fide, aut moribus decipere, aut decipi potest, propterea quod à Spiritu sancto, qui illi semper adstat, regitur in omnibus, quæ definit, & iudicat. Nam & hoc ipsum Christus saluator noster promisit ecclesiæ, di-

Ioan. 14. cens: Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Quæ verba non ad solos Apostolos referenda sunt: sed ad vniuersalem ecclesiam, cui promittit Spiritus sancti præsentiam ad finem usque seculi. Apostoli enim non erant usque ad finem seculi duraturi. Deinde apud Matthēum iterum ait:

Mat.18.

Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quacunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. Et si hoc Christus promisit se facturum, cùm duo, aut tres fuerint in nomine illius congregati, multo liberalius hoc faciet cùm totum generale concilium fuerit legitimè congregatum. Hæc autem potestas iudicandi de fide non est in prouincialibus conciliis: quoniam concilia talia errare possunt in fide: sicut de multis verissima historiarum relatione, errasse scimus.

Nam (vt alia omittam) cōcilium Carthaginense, in quo cum beato Cypriano martyre octoginta cōuenere Episcopi, decreuit hæreticos, & ab hæreticis baptizatos, cùm ad ecclesiæ communionem riderent, debere iterum baptizari. In hac tamen sententia concilium illud errasse, nul lus est fidelis Catholicus, qui dubitet. Cùm igitur pruincialia concilia errare contingit, illorum errores autoritate generalium cōciliariorum corriguntur. Vnde Au-
gustinus libro secundo cōtra Donatistas ait: Et ipsa concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum conciliariorum autoritati, quæ fiunt ex uniuerso orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere cum experimento corum aperitur. Hæc ille. Si quis vero à me petat qualem habeant autoritatem, definitiones, aut decreta fidei, quæ cōcilia pruincialia dederunt, de quibus non constat legatum sedis Apostolicæ habuisse, aut Pa-
pæ autoritate confirmata fuisse, vt sunt multa Galliæ, & Hispaniæ concilia. Respondeo. quòd si illorum definitionibus nunquam postea ecclesia contradixit, sunt ab omnibus pro vera, & indubitate fide tenenda. Quia & si illorum expressa confirmatio non pateat, tacito tamen totius ecclesiæ consensu sunt confirmata, cùm nunquam fuerint per alia concilia correcta. Nam si illa concilia errassent in fide, nunquam ecclesia dissimulasset: sed (vt moris suæ est) statim illorum errori per contraria decreta occurrisset. Et idem per omnia dicendum est de vniuersitatibus, aut studiorum academiis: vt penes nullam earum sit potestas de fide iudicandi: ita vt illius iudicio omnes obtemperare cogantur: quoniam talis academia, sicut pruinciale concilium errare potest in fide.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Non est enim conuentus ille, pro quo Deus rogauit, ut eius fides non deficeret. Ac proinde illas errare contigit saepè. Nam ut de aliis taceam, manifestum est multas academias errasse hoc nostro seculo in causa matrimonij, quod contractum est inter Henricum octauum huius nominis Angliae Regem, & Catherinam relictam a fratre eiusdem Henrici defuncto. De hoc siquidem matrimonio aliquæ academiæ quarum una fuit Parisiensis, censuerunt esse prorsus nullum, propterea quod leges apud Leuiticum datas, quæ huic matrimonio contradicere videbantur, nunc post datum Euangelium obligatorias esse contendebant. Contrarium tamen verum esse constitit; quoniam matuto de hac re (ut decebat) prius habito fratrum consilio, & omnibus orbis academiis consultis, & multis de hac re inter viros doctos habitis disputationibus, tam Clemens huius nominis septimus Pontifex, qui tunc vniuersæ præsidebat ecclesiæ, censuit præfatum matrimonium fuisse validum, & leges Mosaycas, quæ huic matrimonio repugnare videbantur: esse inter iudicia præcepta cominemorandas & per consequens per Christi morte abrogatas. Verum & si aliqua propositio non sit dicenda hæretica: quia definitioni alicuius provincialis concilij, aut alicuius academiæ contradicit, erit tamen de hæresi suspecta dicenda, & illius doctrina, & prædicatio poterit merito ab his, quibus hoc incumbit, interdicti: nisi alia forte illi fueret academia, aut aliquem haberet doctorem vere Catholicum, qui illam docuerit. In hoc enim euentu dicimus illam, nec suspectam de hæresi dicendā, ob hoc solum, quod talis, aut talis academia censuit esse hæreticam, præsertim si doctor, qui illā defendit, non leibus rationibus fuerit adductus ad illius assertionem. Post concilia generalia supremum locum in definitionibus fidei tenet summus Pontifex: quoniam is totam Ecclesiam representat, eo quod sit totius corporis

August. caput Sic enim dicit Augustinus super Ioannem. Petrus quando claves accepit. Ecclesiam sanctam significauit. Hæc Augustinus. & habentur. 24. quæst. 1. cap. Quodcumque. Et ob hanc causam prælatus, qui alicuius ecclesiæ curam gerit, vocatur ecclesia, ut patet. 7. quæst. 1. cap. Scire debes. & expressius habetur in Euangeliō eo loco, ubi quā

qui duas fratris monitiones audire noluit, ecclesiæ reuelari iubetur. Prælatus siquidē, illo loco ecclesia appellatur, & quæ illi velut iudici dicuntur, ecclesiæ dicta esse censentur. Ad eundem modum ego nunc faciendū esse censeo, ut si de fide aliqua subsit dubitatio: Romanus Pontifex de illa interrogetur & (quoniam ille locum Beati Petri tenet, & toti præest ecclesiæ) quæ ille responderit, totius ecclesiæ fidem esse credamus. Nam qui omnibus præpositus est, omnium causas iudicare poterit, præsertim illas quæ totam concernunt multitudinem, qualis est res ad fidem spectans. De hac re plurima sunt viorum sanctorum testimonia. Beatus Hieronymus in epistola ad Damasum Papam, ait. Hæc est fides Papa beatissime quam in Catholica didicimus ecclesiæ, quamque semper tenuimus, in qua si minus peritè aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri sedem & fidem tenes. Si autē hæc nostra confessio, Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me inculpare voluerit, se imperitum, vel malevolū, vel etiam nō Catholicum, sed hæreticum cōprobabit. Hæc Hieronymus, & habetur hæc verba. 24. qu. 1. ca. Hæc est fides. Innocentius Papa huius nominis primus vir sanctitate perinde ac doctrina clarius in epistola ad Mileuitanum conciliū ait. Quoties ratio fidei, ventilatur, arbitror omnes fratres & coëpiscopos nostros nō nisi ad Petrum, id est, nominis & honoris autoritatē referre debere, velut nūc retulit vestra dilectio quod per totum mundū possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Hæc Innocentius, quæ verba etiam citantur à Gratiano in decreto, eadē causa & quæstione supra proximè expressis. Iulius Papa huius nominis primus in epistola cōtra orientales pro Athanasio, sic ait. Scripsi vobis, & omnibus qui in Antiochiam cōtra Apostolicam, canonicamq; regulam nobis inconsultis fueratis congregati, arguens vos primum de iniuriis literarum, deinde cur Athanasium suosq; cōfessatores, ad vestrum concilium conuocassetis, canonibus scilicet præcipientibus nihil extra Romanum decerni Pontificem, cui hæc & maiora ecclesiarum negotia tā ab ipso Domino, quā ab omnibus vniuersorum conciliorum fratribus, speciali (vt iam dīctum est) priuilegio contradita sunt. Hæc Iulius Papa.

Innocentius
primus.Iulius
Papa.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Innocētius tertius. Denique Innocentius Papa huius nominis Tertius, ait. Maiores ecclesiae causas præsettim articulos fidei contin gentes : ad Petri sedem referendas intellexit, qui cum quærenti Domino , quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat : Tu es Christus filius Dei viui, & pro eo Dominum exorasse ne deficiat fides eius. Hæc Innocentius tertius. Quæ verba habentur extra de baptismo, & eius effectu, in capit. Maiores. Per hæc, quæ citavimus testimonia, aperte conuincitur hanc de rebus fidei decernendi potestatem, non esse apud aliquem inferiorum Episcopum. Et quod ita, ut factum est, fieri oportuit, ratio ipsa suadet, quoniam, quod omnes tangit (ut regula iuris decernit) ab omnibus approbari debet. Non est autem res aliqua, quæ magis spectet ad omnes, quam fides : quoniam ob hanc causam fides vera appellatur Catholica : hoc est vniuersalis : quia illam omes Christiani amplecti tenentur. Vna siquidem est totius ecclesiæ fides : sicut Paulus ait. Vna fides, vnum baptismus. Cū ergo causa, quæ de fide tractatur, res sit talis, quæ vniuersam concernat ecclesiam, colligitur, ut sententia, quæ lites de fide orientes iure dirimere posse ab omnibus approbetur, vel ab illo, qui omnibus præest, qui (ut diximus) pro omnibus loqui potest, & cuius dictum, ab omnibus dictum esse, meritò censeri debet. Nullus ergo inferior Episcopus aut totum collegium cui præest, potest in causa fidei sententiam dicere, cū hæc talis sit, quæ ad totam spectet ecclesiam. Nam quod de fide esse semel constiterit, omnes illud sub interminatione gehennæ credere tenebuntur. Si quis vero nobis obiciat id quod dicitur in capitulo, Ad abolendam, extra de hæreticis, excommunicatos videlicet esse omnes hæreticos, quos Romana ecclesia aut Episcopi in suis ecclesiis declarauerint hæreticos . Ex quibus verbis forte alicui videbitur datam esse Episcopis potestatem de hæresi iudicandi, sed non ita est. Datur siquidem potestas iudicandi de persona illius qui in apertam & manifestam hæresim lapsus est, ut illum declarare possit hæreticum nisi resipiscere voluerit. Non tamen per illa verba concessa est ullo modo potestas iudicandi de contentione super fidem orta, præsumim cū res est dubia: quoniam hæc potestas (ut ex præfatis

fatis testimoniis patuit) soli sedi apostolice reseruata est. Et huic nostræ sententiae fuit glossa in Capitulo. Quotiens. 24. qu. i. in verbo, nisi ad Petrum. Sic enim ait. Videatur contrariū, extra de hæreticis. Ad abolendā. paragra. ad hoc de Episcopali. nam ibi innuitur quod illi sunt vitandi, tanquam hæretici quos Episcopi vitandos dixerunt. Sed dic quod illud intelligendum est, quando aliquid tale dicunt quod certum est esse hæresim, hic vero, ubi dubium est, Hæc glossa. Ex quibus satis aperte constat, penes Episcopū inferiorem Romano Pontifice non esse potestatem decernendi, & definiendi in re dubia circa materiam fidei. Caveant ergo hæreticorum inquisitores ne temerè hanc sibi potestatem arrogent: inquisitores se esse intelligent, non iudices. Et si iudices sunt, hæreticorum iudices se esse agnoscant, non hæresim. Prius quidem incumbit illis ut omni diligentia exhibita, viros doctos de illa re consulant, non unum aut alterum tantum sed plures. Si his recte peractis, de propositione asserta constituit esse hæreticam ipsi iudices sunt qui contra illius auctorem procedere possunt, & si ille refuscere contempserit, potestatem habent illum iuxta sanctiones ecclesiasticas puniendi. Si vero de propositione asserta non constat an sit merito hæretica dicenda, an non? propterea quod inter doctos & fideles viros de re illa non conuenit, aliis hæreticam asserentibus, aliis velut Catholicam eam defendantibus, tunc male facerent inquisitores si de propositione illa sententiam dicerent: quoniam eo cunctu debent rem illam ad iudicium sedis apostolice deferre, ad quam spectat de maioribus causis præsertim articulos fidei concernentibus, iudicare. De hac re ita præcepit Pelagius Papa, & habentur eius verba in decreto. distin. 17. cap. Multis. Si vero (inquit ille) in qualibet prouincia ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsos prouinciarum Episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conueniat, ad maiorem tunc sedem referantur, & si illic quidem facilè & iuste non discernuntur, ubi fuerit synodus regulariter congregata, & canonice, & iuste iudicentur. Maiores vero & difficiliores quæstiones (ut sancta synodus statuit, & beata consuegudo exigit) ad sedem semper referantur apostolicam.

Hæc ibi. Et lex diuina per Moysen data hoc idem in
 Deut. 17. Deuteronomio præcepit sic inquiens. Si difficile & ambi-
 guum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinē
 & sanguinem, causam & causam lepram, & non lepram,
 & iudicium intra portas tuas, videris verba variari, sur-
 ge & ascende ad locum quem elegerit Dominus. Deus
 tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudi-
 cem qui fuerit illo tempore quæresq; ab eis, qui iudica-
 bunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumq; dixerint
 qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint
 te iuxta legem eius sequerisq; sententiam eorum, nec de-
 clinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Hactenus in
 Deuteronomio. Sicut tunc in lege Mosayca dubium le-
 præ iudicium ad sacerdotes, & iudicem, qui tunc præcerat,
 deuoluebatur ita nunc in lege Euangelica, dubium de si:
 de iudicium per solum summum Pontificem definien-
 dum est. Alioqui non satis Deus suæ prouidisset ecclesiæ,
 si illi non reliquisset iudicem, qui lites circa fidem ortas
 dirimeret: & quem in rebus dubiis consuleret. An autem
 in definitionibus fidei Papa errare possit, an non ē res
 est inter theologos controuersa, de qua re quid ego sen-
 tiam, cap. proxime sequenti paucis verbis declarabo. Hoç
 tamen dico, & firmissimè teneo, quod licet Papa errare
 possit in fide, & re vera erraret: omnes tamen illius defi-
 nitionem amplecti deberent, quo usque ecclesia illam
 damnaret, ut erreoneam, aut per aperta scripturæ sacrae
 testimonia constaret de illius errore. Sic autem erranti:
 bus, & definitioni Papæ obtemperantibus non imputa-
 retur error ad peccatum: quia obedientia illos excusa-
 ret. Dominus enim dixit: Facies quodcumque dixerint,
 qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint
 te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum.
 Hic tamen admonere oportuit lectorem, quod licet Epis-
 copi, aut Inquisitores hæreticorum non possint de hæ-
 resi, præsertim cum res est dubia, censere & definire: pos-
 sunt tamen aut propter solā dubitationē, quæ de tali pro-
 positione habetur, aut propter vitandum scandalum, quod
 ex illius doctrina, aut prædicatione oriri posset, aut prop-
 ter aliam causam inhibere doctribus, & prædictoribus
 & omnibus aliis, ne quomodolibet illā docere audeant,

aut publice prædicare . Si quis verò contra huiusmodi prohibitionē egerit, meritò ab illis puniri poterit, nō tamen ut hæreticus, sed ut inobediens & rebellis, quia cūm talis propositio sit dubia & nondum constet illam esse hæreticam, illius doctor aut prædictor aut quicunq; alius illius assertor, quanvis fuisse ab inquisitoribus ne illam affereret prohibitus, non poterit iuste ut hæreticus puniri. Non potest enim quis tāquam hæreticus puniri si non constat illum aut propositionem hæreticam afferuisse, aut illi quomodolibet fauisse. Nam ex hoc solum quod contra inquisitorum inhibitionem aliquid fecit aut dixit, nullus debet hæreticus censeri. Potest tāmē hic talis propter talem inhibitionis contemptum meritò puniri , & quidē grauiter, pensata prius suæ rebellionis grauitate.

AN PAPA POSSIT ALICVI COM-
mittere potestatem censendi de fide, ita vt ea, quæ à Legato Papæ fuerint circa fidem definita, sint ab omnibus pro vera fide necessario tenenda. Cap. VI.

Circa ea quæ in proxime præcedēti capitulo definitæ sunt, dubitatio quædā non parui momenti oriri potest, cui respondere decreui, vt rē hanc plene, vt decet, absolutā relinquerem. In præcedenti siquidem capitulo dixi, penes summum Pontificem fidem definitam esse potestatem definiēdi de fide, neminiq; licere iis, quæ à summo Pontifice circa fidem definita sunt, contradicere. Dubitari meritò potest, an Papa possit hanc definiendi potestatem aliqui alteri committere, ita vt omnes fideles æqua lege tenantur suscipere eas fidei definitiones quas dederit legatus sedis Apostolicæ cui negotium fidei fuerit commissum, ac si ab ipso summo Pontifice fuissent date, & qui hūusmodi legati definitionibus pertinaciter contradixerit, sit perinde censendus hæreticus ac si definitionibus & decretis circa fidem à summo Pōtifice datis aperte & obstinate repugnasset? Et quod Papa hanc definiendi potestatem in quenquam alium transferre valeat, persuaderi potest per hoc quod multa alia sunt quæ Papa agit per commissarios, quibus censendi potestatem tribuit, & quæ ab illis decreta sunt, idem habent robur eandemque firmitatem ac si ab ipsius summi Pontificis ore prodüssent.

Lites namq; per auditores rotæ dirimit. Votorum dispensationes & alia eiusdem classis multa, summo quem vocant, pœnitentiario cōmittit Papa, vt ab illo diuersis personis condonentur. Quæ omnes concessiones & indulgentiæ, etiam si à summo pœnitentiario prodigint, à Papa tamen datæ censemur, & tantam vim & potestatem apud omnes habent, quantam haberent, si eas Papa proprio ore dedisset. Quoniam quod per alios agimus, per nos ipsos agere videmur. Sicut ergo hæc omnia, quæ maximi sunt momenti, Papa aliis dispensanda committit, videtur, vt simili etiam modo possit fidei negotium in aliquem alium, vt ab illo definiatur, transferre. Præterea ex longa, & antiqua Ecclesiæ consuetudine obseruatum est, Papam hanc definiendi potestatem aliis saepe commississe. Quando enim in aliqua prouincia oriuntur de fide dissidia, Papa consuevit legatum mittere, & negotium illud alicui ex eadem prouincia mandare, qui re (vt decet) plene cognita, & discussa, sententiam ferat, cui omnes obedire teneantur. In omnibus generalibus, & recte congregatis conciliis, quibus Papa fuit absens, semper affuerunt legati sedis Apostolicæ, qui nomine summi Pontificis fidei definitiones darent, quorum sententia, ac si ipsius summi Pontificis voce fuisse prolatæ, semper fuit ab omnibus suscepta. In Nicæna siquidem synodo quæ omnium generalium prima clarissimaq; censemur, legati sedis Apostolicæ fuere, Osius cordubensis Episcopus, Victor & Vicentius presbyteri Romani. In concilio Ephesino primo legatus summi Pontificis fuit sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus. Aimarius in libro de synodis dicit Archadium quendam ex Italia Episcopum fuisse etiam in eodem concilio simul cum Cyrillo Papæ Legatum, sed hoc ex gestis eiusdem concilii non constat. In concilio Chalcedonensi legati Leonis Papæ huius nominis primi fuerunt Julianus Episcopus & Renatus presbyter, & post istos missi sunt alij videlicet Paschasius Lilibetanus Episcopus, & Lucentius Episcopus Esculanus, & Bonifacius Presbyter Romanus, vt ex gestis eiusdem concilii patet. Et in aliis omnibus quæ in posterum absente Papa sunt recte congregata concilia, perpetua & inuiolata consuetudine hoc obseruatū est, vt legati

legati Papæ adessent qui illius nomine fidei regulam certissimam designarēt. Ex quibus omnibus videtur Papam hanc potestatem de fide definiendi legatis suis commissis. Hæc sunt quæ pro huius sententiae confirmatione fortius pugnare mihi vidētur. Verum si rem bene (vt decet) introspiciamus omnia illa quæ adduximus, parum certè præfatam stabiliunt sententiam & fortiora multoq; magis urgentia sunt quæ contra istam pro contraria possunt adduci sententia. Quapropter ego libentissime ab hac opinione discedo, firmissime tenens Papam non posse in quenquam alium transferre potestatem definiendi in negotio fidei, talem qualē ipse habet: sic vt definita ab illo cui hæc potestas fuerit commissa, sint tanto robore firma ta ac si ipsius summi Pontificis ore fuissent prolatæ. Et vt rem istam apertiores faciam prius perscrutari oportet, vnde Papa habet hoc priuilegium vt ipse in causa fidei censere valeat, & in dubiis circa fidem ortis definitiuam proferre sententiam, cuius definitioni sub interminatione gehennæ omnes obedire tenētur. Et vnde est quod nulla alia particularis persona, præter Papam, sed sola vniuersalilis ecclesia aut conciliū generale illam perfecte representans, hoc tanto gaudet priuilegio, vt regulā fidei Catholicæ omnibus prescribere valeat? Causa certa & indubitate huius tam excellentis prærogatiæ est multiplex sedis Apostolicæ dignitas. Prima quidem summi Pontificis dignitas est, quod Deus illū totius ouilis fecit pastorem, dicens, pasce oues meas. Omnes enim, qui baptismo suscepto fidem Christianam professi sunt, oues sunt Christi, quarum omnium curam Deus Petro & successoribus eius commisit, illique mandauit, vt eas omnes pasceret. Neque corporali pastu pascendæ erant oues omnes ab Ilo, qui relictis omnibus rebus pro Christo, tam pauper effectus fuerat, vt nec sibiipsi satis ad similem pastum haberet, quanto magis pro tam multis reliquis omnibus. Spirituali ergo pabulo oues dominicas pascere iubetur Petrus doctrina scilicet verbi Dei. Petrus ergo quia generalis pastor omnes Christianos fidem Catholicam docere debet, & omnes Christiani siquid de fide dubitant & scire optat, à Petro ne errēt discere debent, & nō ab alio: quia nullus aliis est omnium dominicarum ouii pastorum.

Ioan. 21.

Secun-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Secunda Petri dignitas est certitudo & infallibilitas do-
 ctrinæ suæ, ita ut docendo oues sibi cōmissas, errare non
 posse, & hoc non à se sed ex donatione Dei qui illi ra-
 tione dignitatis semper adstitit, ne in definitionibus fidei
 erret. Ego rogaui pro te (inquit Dominus ad Petrum) ut
 non deficiat fides tua. Et quia ista certitudo & infallibili-
 tas fidei, non ratione ipsius Petri, sed ob causam ouium
 illi commissarum concedebatur Petro, statim subdit. Et
 tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ac si aper-
 tius dixisset. Ideo pro te rogaui ut non deficiat fides tua,
 quia tu reliquos omnes in fide confirmare debes. Ut igi-
 tur rem hanc tibi commissam plene exercere valeas, opus
 est te semper firmū in fide esse. Nam alioqui si Petrus ali-
 quid definiens errasset, necessarium foret, ut oues quæ il-
 lum tanquam pastorem sequi debebant, illo errante om-
 nes errarent, aut saltem erroris occasionem non paruam
 susciperent. Hoc est priuilegium, sedī Apostolicæ, propter
 vniuersalem ecclesiam quam regendam suscepit, conce-
 sum, ut quando ipsam ecclesiam docet fidem, errare non
 posse. Nolo quidem negare Papam errare posse in fide &
 posse esse hæreticum, quoniam de aliquibus fertur ipsos
 in fide errasse, hoc tamen contigit illis quando loqueban-
 tur, aut scribebant, aut forte decebant, ut singulares per-
 sonæ & priuatæ. Si tamen loquerentur aut docerent, aut
 scriberent tanquam personæ publicæ & officio præla-
 tionis fungentes, tunc credo quod Deus illos errare non
 permitteret. ne ecclesiam sponsam suam quam sibi spe-
 tiosam acquisiuit, illi suo errore inficerent. Nullus dubi-
 tat longè aliam consyderationem habendam esse de sum-
 mo Pontifice quatenus priuatam gerit personam, & qua-
 tenus gerit publicam. Cūm loquitur aut scribit aliquid
 tanquam persona priuata, non vult omnes ad illa reci-
 pienda aut credenda obligari. Cūm verò loquitur aut
 scribit ut persona publica & quatenus summus est Ponti-
 fex, tunc verbis suis aut suis scriptis omnes ad illa vtcun-
 que obligare intendit. Non tamen semper sic illi loquuntur
 aut scribunt, si quando illos aliquid scribere contin-
 git. Multa enim summi Pontifices scripsierunt, quæ non
 eo animo scripsierunt ut pro decretis & definitionibus ha-
 berentur. Nam (ut de cæteris taceam) vulgatissimum es-
 responsa

Responsum Innocentij quarti, viri in iure canonico perissimi, qui cum quereretur an ea quae in iure canonico, scripserat, vellet ab omnibus pro lege & tanquam firma decreta teneri respondit se minime id velle, sed libertum cuicunque relinquere iudicium, ut pro libito suo quisque sentiret. Dixit enim se non ut summum Pontificem, sed ut quempiam aliquem ex priuatis doctoribus, id scripsisse. Quo fit ut si forte aliquid in fide erroneum in huiusmodi Innocentij scriptis inueniretur, non sit inde colligendum Papam in fide errasse, quoniam non ut Papa sed ut priuata persona id scripserat. Potest itaque, ut ego sentio, Papa aliquid contra fidem Catholicam sentire, Deus tamen nunquam permittet, ut Papa id quod male sentit toti ecclesiae credendum præcipiat. Sicut non permisit Balaam maledicere Israël. His omnibus præfatis, & bene consideratis facilè est colligere, Papam non posse hanc potestatem definiendi in rebus fidei alicui alteri committere. Quoniam nō potest certitudinem & infallibilitatem quam ipse circa definitiones dandas habet, in quenquam alium transferre. Nullus vñquam (quod sciam) adeo hucusque desipuit, ut dixerit Legatos Papæ aut cōmissarios eius errare non posse. Possunt enim illi errare, cum non sint tanto priuilegio à Deo donati ut sint infallibles in definitionibus suis. Non enim rogauit Deus pro legatis aut cōmissariis Petri, ut non deficiat fides eorum, sicut rogauit pro ipso Petro. Hæc autem infallibilitas est summe necessaria in illo qui de fide censere debet, ut omnes fideles possit ad suam definitionem suscipiendam obligare. Alioqui oporteret fidem ecclesiæ non esse aliquando certam, si regulæ incertæ & fallibili inniteretur. Ob hanc causam cōciliis prouincialibus quia errare possunt, nunquam fuit commissa potestas dandi decreta fidei. Ad hos tantum limites conciliorum prouincialium authoritas extenditur, ut videlicet ibidem similitates amputentur, querimoniae audiantur, mores corrigantur, non tamen ut de fide aliquid ibidē decernatur. Cōcilium sicutdem Nicenum, hoc solū illis permisit. Præterea, illa quæ sunt alicui certo ordini aut statui connexa & ab illo dependentia, nullus potest alteri extra illum ordinem aut statutum constituto committere. Eucharistiam confidere,

Num. 14.

pani.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

pœnitentes peccatores à peccatis absoluere, nullus etiam si Papa sit, potest alteri non sacerdoti cōmittere; quia hæc sunt ordini sacerdotali annexa, & necessario exigunt ordinem sacerdotalem, in illo qui aliquod horum exercere debet. Ad eundem modum Papa non potest committere alicui non Episcopo, ut ordinationes faciat, id est, ut sacramentum ordinis alicui cōferat: quia ut aliquis sacramentum ordinis possit cōferre, oportet necessario illum esse Episcopū. Ex quibus aperte colligimus ut Papa non possit alicui alteri committere potestatem definiendi de fide, sic ut illius definitioni omnes fideles teneantur obedire, quia (ut diximus) certitudo & infallibilitas quæ ad talēm supremam potestatē requiritur est annexa dignitati Papali, & ab illa nullatenus separabilis: quia (ut diximus) pro sola illa rogavit Deus & non pro alia, ut non deficiat sīdes eius. Rursum, si Papa posset potestatem definiēdi de fide in quenquam alium transferre, ad eundem modum posset etiam canonizationem sanctorum alicui cōmitere, quia sanctorū canonizatio (ut Beatus Tho. docet) res est quodammodo ad fidem spectans. Cui B. Thomæ sententiæ quodammodo fauent verba quæ summus Pontifex dicit in canonizatione alicuius sancti quæ posita sunt in libro sacrarū ecclesiæ ceremoniarū, & sunt quæ sequuntur. Ad honorem sancte & indiuiduę trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ religionis augmentum, autoritate eiusdē Dei omnipotentis, patris, & filii, & spiritus sancti, & Beatorū Apostolorū Petri & Pauli & nostra, de fratribus nostrorum consilio decernimus & definimus bonæ memoriae. N. sanctum esse & sanctorum cathologo ascribendum, ipsumque cathologo huiusmodi ascribimus. Hæc verba dicit Papa cum aliquæ canonizat, in quibus id est aduertendū quod ait, talēm canonizationem fieri ad exaltationē fidei Catholicæ. Si cui verò hæc B. Thomæ sententia non placet, & prorsus negare cōtentit, sanctorum canonizationem spectare ad fidem, tanto impensius nostre fauebit argumētationi, quanto canonizationem ipsam minoris ponderis fecerit ipsa fide. Nam si id quod maius est, videlicet fidei definitionē Papa potest committere alteri, multo melius poterit committere id quod minus est, videlicet canonizationem sanctorum.

Hoc

Verba quibusc
Papa sanctum ali
quem cano-
nizat.

Hoc autem nullus sanæ mentis concedet , cùm sit perpetua consuetudine ecclesiæ damnatum. Nam & si multa ad canonizationem prævia & exacta Papa aliis committat per illos exequenda , vt puta vitæ inquisitionem testium examinationem , ipse tamen solus summus Pontifex sententiam profert , illum declarans fuisse sanctum , & velut **talem** catalogo sanctorum illum ascribēs . Nec vñquam ab ipsis ecclesiæ primordiis ad hoc usq; sculum , fuit audiūtum , vt Papa alicuius sancti canonizationem legato suo committeret . Demum quod sententiam certissimam & indubitate habuit ante sedis Apostolicæ definitionem , ea quæ de fide à legatis eiusdem sedis fuerant definita . Nec ipsi summi Pontifices illa pro tam certis vñquam ab ecclesia haberi voluerunt , quod ipse rerum præteriorumordo & processus clarissime docet . Nam multæ fuerunt lites de fide in variis mundi partibus exortæ , ad quas dirimendas Pontifices summi legatos miserunt , qui postquam suis sententiis finem litibus imposuerunt , ipsoe rum legatorum sententiae fuere per summorum Pontificum sententias confirmatae , vel iterum fuerunt ab ipsis Pontificibus iudicatae . Quæ res non contigisset , nisi summi Pontifices censuissent sententiam suam fuisse necessariam . Huius rei tam multa sunt apud diuersas nationes exempla vt enarrare pīgeat : ne tamen testimonio carcere videar , ac proinde rem suspectam dimittam , vnum & alterum exemplum proferam . Cūm Berengarius Ecclesiæ Andegauensis diaconus contra admirabile Eucharistia sacramentum pestiferam per totas Gallias diffunderet hæresim , Hildebrandus sancte Romanae ecclesiæ cardinalis legatus Victoris secundi qui tunc vniuersali præerat ecclesiæ , illius hæresim damnauit . Eam tamen Nicolaus Pontifex huius nominis secundus qui Victori in Pontificatu successit , Cōcilio centum & tredecim Episcoporū Romæ coacto , postea damnauit . Quam sententiam à Pontifice dari non fuisset opus si satis omnibus facere posset , Hildebrandi legati definitio . Post Berengariū aliquot elapsis sculis surrexit in Anglia Ioānes Vuiclef , qui plurima impia , & pestifera dogmata , verbo ,

&

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

& libris æditis docuit. Huius causæ cognitio Archiepiscopo Cantuariensi Apostolicæ sedis legato commissia est qui re (vt decebat plene examinata, ipsum Ioannem Vuiclef, & omnes illius hæreses publice damnauit. Post Ioannem Vuiclef paucis aliquod elapsis annis successit in Bohemia Ioannes Hus, qui omnes Ioannis Vuiclef hæreses pertinacissime tutatus est. Quo per summum Pontificem auditio, huius rei cognitionē Archiepiscopo Pragensi commisit, qui omnibus diligenter examinatis, omnes illius hæreses damnauit. Sed utriusq; Ioannis hæreses postea Romæ summus Pontifex , & tandem concilium Constantiense damnauit. Quæ omnia cōfiant ex decreto fissionis octauæ eiusdem conciliij. Cum olim Petrus quidam Osmensis, noua quædam in Hispania doceret, quæ multorum iudicio hæretica videbantur, Sextus quartus huius nominis Papa, qui tunc vniuersæ præerat Ecclesiæ huius causæ cognitionem cum plenitudine potestatis demandauit domino Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, & Hispaniarū Primiati. Hic re plene (vt decebat) cum multorum virorum doctorum consilio examinata, multas illius Petri Osmens. assertiones erroneas & hæreticas esse iudicauit. Post hanc tamen sententiam, res ipsa ad eundem Sextum deuoluta est, qui omnibus plene circumspectis sententiam præfati Archiepiscopi per bullam publicam confirmauit. Quā sententiæ confirmationē nos in eo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidimus, in titulo de cōfessione inserere decreuimus, vt omnibus esset nota, quæ in tenebris latebat. Si ea, quæ à præfatis, atque aliis huiusmodi legatis sedis Apostolicæ fuerunt circa fidem definita, fuissent firme robore firmata, ita vt necessario ab omnibus fidelibus debuissent pro certa, & indubitate fide teneri, non erat opus Papam suam superaddere sententiam: quia esset rem actam agere. Verum quia ea, quæ à legatis Apostolicis sunt circa fidem definita, pleno robore carent, propterea quod illos in fide errare posse semper ab omnibus creditum est, ideo semper hoc obseruatum est, vt post legatorum definitionem Papa sententiam expressam adderet, quæ ex ore illius procedens, doceret omnes quid circa fidem tenendum esset. Ipsa ergo rerum experientia apertissime docet ipsosmet summos Pon-

Pontifices nunquam existimasse ea, quæ à legatis suis circa fidem definita erant, debere teneri pro certis, & indubitate ante ipsorummet Pontificum definitiones. Forte hic mihi aliquis obiciet, sic inquietus. Si ea, quæ à Legatis Apostolicæ sedis circa fidem definiuntur, nō sunt necessarij pro certis habenda, ad quid Papa eos mittit cum superflua, & inanis sit illorum legatio? Respondeo, q̄ nō frustramittuntur: quia possunt inquirere, & examinare rem, ut postea summo Pontifici referant, sicut fit in canonizazione sanctorum. Deinde & si illi non possint certam, & indubitabilem de fide proferre sententiam, posse sunt tamen ob aliquam urgentem causam (ut capite præcedenti diximus de Inquisitoribus) prohibere alicuius propositionis assertionem, cuius definitioni, qui contrae dixerit, meritò punietur, non tamen si res est dubia, ut hæreticus ante Papæ definitionem, præsertim si illam se expectare ostendit: sed ut rebellis, & inobediens. Nec solum hoc obseruatum est in definitionibus priuatim datis per Legatos sedis Apostolicæ: sed etiam in concilio: rum definitionibus, quibus Legati sedis Apostolicæ interfuerunt. Nam post definitionem de fide datum ab eisdem Legatis cum toto concilio, semper Ecclesia petiuit sententiā summi Pontificis: nec ante ipsius summi Pontificis confirmationem, unquam certum habere voluit, & firmum, quod à Legatis eiusdem sedis fuerat definitum. De qua re aliqua volo proferre testimonia, ex quibus verum esse, quod dicimus plenissime constare potest. In illa siquidem celeberrima synodo Nicæna Legatus Siluestri tunc summi Pontificis fuit Osius Cordubensis Episcopus: eorum tamen, quæ ibidem definita fuerant, confirmationem petierunt à sede Apostolica, ut constat ex epistola à toto concilio ad summū Pontificem directa, quā placuit hic inserere, ut emendatā redderem, quæ in multis libris habetur vitiata, & multis mendis plena.

Epistola à Synodo Nicæna directa Siluestro
Papæ Primo.

Beatissimo Papæ urbis Romæ cum omni reverentia
celendo Siluestro, Osius Episcopus Provincie Hispanie ciuitatis Cordubensis, & Macharius Episcopus ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Victor, & Vincentius
E pres

presbyteri vībis Romæ ordinati ex tua directione, & cæteri Episcopi trecenti, & decem & octo, in Domino salutem. Quoniam omnia cor: oborata de diuinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, ad sedem tuā Romanam explanata, & de Græco in Latinum redacta, scribere confitemur: nunc itaq; ad vestræ sedis augmentum accurrimus roborantes. Itaq; centeat vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Vībis in unum conuenire, vestrumq; habere concilium: sicut docet mystica veritas, ut firmetur nostra sanctimonia, gradusq; fixos, vel textus ordinationis tuæ sanctimonia, nostra posit habere regula: quoniam decet numerum dictorum tuorum coepiscoporum à te discere gradus, vel ordines constitutere Vrbis. Quidquid autem constituimus concilio Nicæno, præcamur, ut vestri oris consortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro vniuerso concilio. Data. 8. calendas Iulias. Accepta. iij. calendas Decembris, Paulino & Iuliano summis Consulibus.

Rescriptum Siluestri Episcopi ad
synodum Nicænam.

SILvester Episcopus sedis Apostolice, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ reuerendæ religionis vrbis Romæ, fratribus, & coepiscopis, qui in Nicænum concilium conuerunt in Domino salutem. Gaudio vos promptâ benignitatem seruare. Nam & confirmo, figoq; ad doctrinam vestram reclamantes de mysterio, vel unitate Trinitatis, chrysimatis vos secundum dicta, & doctrinæ Evangelicam, sanctam accepisse gratiam, de quo examine probo vera fuisse, & esse mansura, quæ in vestru, nostrumq; manauere mysterium. Meum chyrographum, & discipulorum meorum offero in vestro sancto cōcilio quidquid constituitis, vñā parem dare consensum, atq; in grēmio vestræ synodi, parua propter disciplinam Ecclesie alligabo præcepta, propter Victorinum, qui arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, & cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, ut cum Episcopis totius orbis Italiae examinata vniuersitas vestri sancti concilii dignetur accipere veritatem. Et alia manu. Oret pro nobis beatitudo vestra san-

Alias
Victorem.

Sancti concilii trecentorum decem & octo, ut charitatis,
 quæ vobis data est Domini nostri Iesu Christi, seruetur
 augmentum. Data quinto Calendas Nouembbris. Ac-
 cepta quarto Idus Februarii, Constantino septies, &
 Constantino Cæsare, quater Consulibus. Deinde con-
 cilio Chalcedonensi interfuerunt Legati Leonis tunc
 sumuni Pontificis, Paschasius Lilibetanus Episcopus, &
 Lucentius Episcopus Esculanus & Bonifacius presbyter
 Romanus ut constat ex actis eiusdem concilii actione pri-
 ma & ultima, & ex epist. 41. & 42. ad Martianum Impera-
 torem missis à Leone Papa, & ex epistola eiusdem Pape
 Leonis ad totum concilium Chalcedonense directa: quæ
 est in ordine epistolarum quadragesimaquinta. Ea ta-
 men quæ in illo concilio definita sunt, non fuerunt rata
 & firma ab ipso concilio existimata, quovsque fuissent
 ab ipso summo Pontifice confirmata. Propter quod Pa-
 tres in concilio congregati summo Pontifici Leonis scri-
 pserunt, deprecantes ut illuc facta decreta confirmare di-
 gnaretur. In qua epistola postquam fecerunt relationē
 eorum quæ in concilio fuerant ab eis definita, hæc quæ
 sequuntur adiungunt. Hæc sunt propria & amica, & ad
 decorum conuenientissima, dignare complecti sanctissi-
 me & beatissime pater. Qui enim locum vestre sanctis
 tatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasius & Lu-
 centius, & qui cum eis est reverendissimus presbyter Bo-
 nifacius, his ita constitutis vehementer insistere tenta-
 uerunt, proculdubio à vestra prouidentia inchoari &
 hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bona ordinatio-
 nis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam pi-
 issimos & Christi amicos Imperatores, qui super hoc de-
 lectantur, quam clarissimum senatum & totam, sicut di-
 cere conuenit, Imperii ciuitatem, oportunū credidimus
 esse, honoris eius confirmationem ab uniuersali concil-
 iio celebrari, & velut hæc à tua sanctitate fuerint incho-
 ata (eo quod fouere semper studeas) roborauius pre-
 sumentes, dum nouerimus: quia quidquid rectitudinis à
 filiis fit, ad patres recurret facientes hoc proprium sibi.
 Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium,
 & sicut nos cupidi in bonis adieclimus consonan-
 tiā, sic & summitas tua (quod decet) adimpleat.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Hactenus in epistola concilij Chalcedonensis ad Leonem Papam, quæ habetur in fine tertiae actionis eiusdem concilii. Huic autem petitioni idem beatus Leo respondit, per epistolam ad totum Concilium directa, confirmans decreta eiusdem Concilii, & sic inquiens:

LE O Episcopus sanctæ synodo apud Chalcedonam habitæ. Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ synodi quæ ob confirmationem fidei, in Chalcedonensi ciuitate celebrata est toto corde me fuisse complexum. Quia nulla sine bat ratio, ut qui unitatem Catholicæ fidei dolebam ab hereticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ab ipso beatissimæ confessionis affectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post redditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis antistitie dedi, potuisset agnoscere, si vobis responsonem sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpres dubitabile videatur, utrum quæ in synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, haec ad omnes fratres & coepiscopos nostros qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta dixi. Quæ glorioissimus & clementissimus Princeps (sicut populi) in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vocem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobis cum iniisse sententiā, in sola videlicet fidei causa (quod saepe dicendum est) proper quam generale Concilium, & ex præcepro Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ sedis placuit congregari, damnatis hereticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Vnde si quis unquam ausus fuerit, vel Nestorii perfidiæ tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, & à Catholicorum communione resecetur, nec habebat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem. Hactenus Leo sanctissimus in epistola ad concilium Chalcedonense missa, quæ est in ordine epistolarum suarum quinquagesima nona. Et in epistola quinquagesima-

ma septima scribit ad Martianum Augustum rogans ut
hanc suam concilij Chalcedonensis confirmationem per
omnes Ecclesias publicari mandaret, ut omnibus inno-
tesceret, Apostolicæ sedi placuisse ea, quæ de fide in con-
cilio Chalcedonensi fuerant definita . Præterea, sex-
ta synodus quæ tertia est habita Constantinopoli , vna
est ex præcipuis & primi ordinis concilii generalibus,
quæ Catholica suscepit Ecclesia , in qua legati Agatho-
nis tunc summi Pontificis fuerunt Theodorus & Geor-
gius Presbyteri & Ioannes Diaconus . Quæ autem in
illo concilio definita sunt, confirmata fuere per Leonem
Papam, qui Agathoni prope finem concilij defuncto suc-
cessit. Cuius rei apertissimum & integerimum testimo-
nium reddit epistola eiusdem Beati Leonis Papæ huius
nominis tertij ad præfatum Imperatorem missa, quæ sic
incipit.

REGI Regum in cuius potestate sunt regna mundi
pusilli, &cætera. Quam epistolam nolui per omnia
referre, ne magna illius prolixitate grauarem lectorem.
Solum citabo aliquam illius partem per quam sexta sy-
nodus ab eo confirmatur, his verbis. Sancta igitur (in-
quit Leo Papa) vniuersalis & magna sexta synodus, quæ
nutu Dei vestra clementia & sedulè conuocauit, & cuī
pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus re-
gulam & probabilium patrum doctrinam secuta est. Et
quia definitionem rectæ fidei (vt dictum est) plenisime
prædicauit, quam & Apostolica sedes beati Petri Aposto-
li (cuius licet impares ministerio fungimur) veneranter
suscepit, idcirco & nos & per nostrum officium hęc vene-
randa sedes Apostolica concorditer ac vnanimiter, his
quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri autho-
ritate confirmat: sicut supra solidatam petram, qui Chris-
tus est ab ipso Domino adeptus firmitatem . Propterea
sicut suscepimus atq; firmiter prædicamus sancta quinq;
vniuersalia concilia, Nicenum, Constantinopolitanum,
Ephesinum primum, Chalcedonense, & Constantinopo-
litanum, quæ & omnis Christi ecclesia approbat & sequi-
tur: ita & quod nuper in regia vrbe pro vestre serenitatis
adni u celebratum est sanctum sextum concilium, vt eo-
rum pedisse qui interpretes, pari veneratione atq; censura

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Suscipimus & hoc cum eis digne connumerari, tanquam
vna & æquali Dei g: atia cōgregatum, cēcernimus: & qui
in eo fidenter conuenerunt Christi Ecclesiæ sacerdotes,
inter sanctos ecclesiæ patres atque doctores adscribendos
æquè célemus. Hactenus Leo Tertius in epistola illa, quæ
locata est in fine getitorum eiusdem concilij. His igitur
clarissimis tesimoniis apertissime conuincitur, ea, quæ à
Legatis sedis Apostolice cum reliquo Episcoporum concilij
fuerant circa fidem decreta, non fuisse ab omnibus fi-
delibus pro certis, & indubitate recepta, antequam Papa
suum dedisset decretum. Ex his omnibus aperte colligi-
mus Papam non posse in quenquam alium transferre po-
testatem definiti de fide ialem, quamlibet ipse habet, ita
ut sua definitione, aut sententia possit ille omnes Christia-
nos ad aliquid credendum obligare: sicut ipsemet Papa
potest. Sed hic mihi occurrit non parua dubitatio, cui re-
spondere decreui, ne scrupulus maneat, qui alicuius con-
scientiam lardere possit. Nam proprius ista, quæ de conciliorum confirmationibus à summis Pontificibus peritis,
& concessis, diximus, dubitare meritò aliquis poterit, an
concilia ex toto terrarum orbe authoritate Papæ congrega-
gata, in quibus Papa non adest: sed solum illius Legati,
possint in definitione fidei errare? Si talia concilia erra-
re posse dicatur, consequens est, ut etiam concedatur, talia
concilia sine præsentia Papæ non esse dicenda generalia,
aut quod generalia concilia authoritate Papæ congrega-
ta possunt errare: quorum utrumque est absurdum. Nam
quod generalia cōcilia authoritate summi Pontificis con-
gregata, errare possint, hæresis est multorum hæreticorum
ab omnibus Catholicis damnata. Quod autem sine præ-
sentia Papæ possit generale concilium celebrari, re ipsa
constat: quia in nullo illorū quartuor celebriatissimorum
conciliorum, videlicet, Niceno, Constantinopolitano,
Ephesino, Chalcedonensi, Papa fuit præsens. Illa tamen
fuisse generalia concilia nullus vñquam negauit. Si vero
talia concilia sine præsentia Papæ sed cum legatis eius, &
authoritate illius congregata errare non possunt, quare
eorum, quæ à toto illo concilio definita sunt, expectatur
Papæ confirmatio? Quia si concilium illud errare non
potest, non est opus cōciliorum definitiones à Papa con-
firma-

Grmari. De hac re (vt ingenuo loquar) malluissem aliorū
 audire sentētiā, quām dicere meam: sed quia neminem
 hucusque vidi, qui hanc dubitationem mouisset, aut de
 illa aliquid disseruisset, cogor dicere saluo meliori alio-
 rum iudicio, quid de hac re sentiā. Ego quidem firmissi-
 me teneo, nec aliud sentiendum censeo, talia cōcilia, quæ
 ex toto terrarum orbe autoritate Papæ congregata sunt,
 in quibus, & si Papa sit absens, ipsius tamen legati presen-
 tes sunt, esse dicenda generalia concilia, & per consequēs
 non posse in fide errare. Non quidem propterea quod le-
 gati sedis Apostolicæ sint infallibilis in diffinitionibus
 fidei, cum illi per se soli errasse potuissent: sed quia totus
 ille cōctus in quo adsunt, errare non potest propter asfi-
 stentiam Spiritus sancti. Verum & si illa concilia errare
 non possint in fide, non tamen frustra, & sine causa: sed
 ob multas, easque iustissimas causas illa p̄tierunt semper
 ab ipso summo Pontifice approbationem, & confirmationem
 eorum, quæ à toto concilio definita fuerunt. Pri-
 ma quidem causa est, vt omnibus constet Papam idē cum
 concilio sentire, & legatos suos veram ipsius Papæ men-
 tem expressisse. Nam quia dubitare aliquis posset an lega-
 ti sedis Apostolicæ fideliter suo functi fuissent officio,
 rem iuxta voluntatem, & sentētiā de legatis exequen-
 tes? opus est, vt Papa suam exprimat aperte, ore suo pro-
 latam, aut manu sua subscriptam sententiam. Hoc enim
 in aliis forensibus negotiis fieri iure præcipitur. Si quis
 per procuratorem matrimonium contraxerit: quamvis
 illud legitimū esse matrimonium, & indissolubile iura
 decernat, vt habetur. 32 q. 2. paragra. cū dicitur. & l. gene-
 rali. ff. de ritu nupt. quia tamen potuit subesse fraus in hu-
 iusmodi contractu, procuratione videlicet existēte falsa,
 ideo sic contrahentes consuevere iterum in præsentia ta-
 lem contractum propriis verbis repetere. Ut igitur om-
 nibus constet caput esse membris conforme, hoc est, Pa-
 pam idem cum concilio sensisse oportet vt non solum per
 legatos suos: sed per seipsum suam exprimat sententiam.
 Et hoc aperte expressit idem beatissimus Leo in illa præ-
 fata epistola ad concilium Chalcedonense missa, in qua
 rationem suæ confirmationis reddens, sic ait. Ut fraterna
 uniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant me

non solum per fratres, qui vicem meam exequuti sunt: sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobis cum iniisse sententiam. Hæc ille. Ex quibus clare constat definitionis confirmationem non esse à Papa concessam, ut per illam Papa maius robur adderet definitioni, sed ut per illam clarius omnibus constaret de Papæ voluntate & intentia: quam per legatos suos expresserat. Et sic fieri oportere aperte conuincitur per hoc, quod aliquando competitum est legatos suos in Pontificis infideliter, & contra ea, quæ illis Papa commiseraat, legationem suam egisse. Nam Nicolaus Papa huius nominis primus in epistola ad Episcopos per Afriam, & Libiam constitutos, dicit legatos suos, quos ille Constantinopolim ad cuiusdam grauis causæ cognitionem miserat, contra expressa mandata sua rem totam egisse, & dixisse, illa ita ex mandato Papæ agere. Ne igitur in definitionibus conciliorum aliquem legatum tale aliquid egisse, quis posset suspicari, necessarium est, ut quæ legati sedis Apostolicæ in concilio dixerunt, Papa proprio ore, & propria manu confirmet. Altera causa potest id fieri propter ipsum Papam, ne si forte in posterum à definitione concilij deficeret, causaretur se nunquam tali definitioni consensisse, legatosq; suos minime suam expressissime voluntatem. Ne igitur id in posterum eueniatur, opus est, vt propria manu subscribens dicat se id simul cum toto cōcilio sentire, eamq; amplecti fidem quæ à toto concilio Spiritu sancto suggerente data est. Et si Papa Deo permittente postea concilij definitionem deferere tentaret, sua ipsius subscriptione damnaretur. Tertia, & potissima causa est, quia licet concilium in definitionibus, & decretis suis circa fidem non posset errare, in aliis tamen, quæ ad fidem non pertinent, quod errare posse nullus verè doctus dubitat. Nam concilium Chalcedonense, quod unum ex illis quatuor celeberrimis conciliis, quæ beatus Gregorius dicit se velut sancta quatuor Evangelia venerari, errauit præfendo Patriarcham Constantinopolitanum Patriarcham Alexandrino, qui ex antiqua Ecclesiæ consuetudine per Nicænum concilium confirmata secundum locum semper posse manum Pontificem habuerat. Propter quod Leo Papa licet confirmauit ea, quæ in concilio Chalcedonensi

donensi definita fuerant circa fidem, eam tamen definiti-
tionem, per quam Patriarcham Constantiopolitanum pre-
tulit Alexandrino, reprobauit, & per apertam sententiam
damnauit, prout constat ex epistola quinquagesima septi-
ma eiusdem Leonis: quae est ad Martianum Augustum,
& ex epistola quinquagesima nona eiusdem, quae est ad
totum cōcilium Chalcedonense, Miserunt ergo prefata
concilia rationem gestorum suorum ad summum Pon-
tificem, & petierunt ab eo confirmationem, nō quidem
pro his solum, quę ad fidem spectabant: quoniam illa cer-
ta erant, & infallibilia & firmo robore firmata, cū in il-
lis errare nō potuissent concilia: sed ratione aliorū nego-
tiorum, in quibus illa cū errare potuissent, certitudinē,
ac proinde confirmationem definitionis à summo Pon-
tifice tanquam supremo ecclesiæ iudice petebant. Et certè
si bene aduertantur verba epistolæ à concilio Chalcedo-
nensti ad Leonem missæ, solum in ea epistola cōcilium pe-
tit confirmationem illius definitionis, quam de prelatio-
ne Patriarchæ Constantinopolitani dederat, nec de re-
bus fidei vlla sit mentio. Et Leo eidem concilio respon-
dens, dicit concilii ad hoc solum congregatum fuisse, vt
de fide, & non de aliis iudiciis tractaret. Hæc sunt quæ
mihi de hac re certiora videntur, si quis meliora obtule-
rit, extensis (vt aiunt) vlnis recipiam, & gratias illi pro
mercede oblata referam ingentes, tantū abeſt, vt sim con-
futare paratus. Non enim tam tenaciter meæ adhæreo
sententię, vt illam semper meliore esse putem, ac proinde
alienam recipere contemnam. Argumenta, quæ à princi-
pio cap. posuimus, & quæ in faciem oppositæ videntur fa-
uere sententię, facillimè soluuntur.. Ad primum quidem
respondeo concedens multa esse, quæ iuste, imò aliquan-
do necessariò per alios dispensat Papa: quia omnibus
peragendis ipse solus nō sufficit, res tamen ad fidem spe-
ctantes eo, quod sint reliquis omnibus forensibus nego-
tiis multo præstantiores, non est æquum, vt per alios de-
cernat. Nam & si quæ per alios facimus, per nos ipsos fa-
cere videāmur, non tamen re vera per nos ipsos facimus.
Deinde multum interest propriis, an alienis oculis inspi-
cias: quoniā (vt optime Manlius Torquatus apud Liniū
ait) vix vñquā bene succedent, quæ oculis egeris alienis.

Fatemur rei ad fidem spectantis inquisitionem Papam posse alicui delegare, ut videlicet doctorum disputationum rationes, & argumenta audiat, & scrutetur, hac tamen conditione, ut quæ ab illis intellexerit, summo Pontifici referre teneatur, ut ille omnibus examinatis sententiam dicat. Alias si Papæ legatus sententiam de fide dixerit, non sic ligabit contadcentem, ut non liceat illi ad Papam appellare. Ante cuius definitionem quanvis contradicat legato, non censetur hæreticus. Alterius argumenti soluio ex his, quæ ante diximus, est manifesta.

QVIS SIT DICENDVS HÆRETICVS. Caput. VII.

Hactenus de hæresi per multa capitula disputauimus. Nunc vero ratio ipsa suadet, ut de ipsis hæreticis asserto e. qui hæreticus appellari solet, discamus, & quis merito talis censeri debeat, doceamus. De hac re (prout ego existimo) non oportet facile pronuntiare: sed grauem, & diligentem debet iudex adhibere examinationem antequam aliquem hæreticum esse censeat. Cum enim nullum sit acerbius crimen, quo viro Christiano quis possit obiicere, quam si illum appellat hæreticum, anxiè prius rem examinare conuenit, & iapidem (vt dicitur) ad filium referre antequam iudex de hac re sententiam dicat. Lex Mosayca longam & diligentem iubebat præcedere examinationem antequam sacerdos aliquem pronuntiasset leprosum. Multo ergo maiorem decet adhibere Inquisitionem antequam aliquis pronuntietur hæreticus: quoniam magis deferendum est veritati, quam figuræ: magis corpori, quam vmbrae. Leprosus siquidem hæretici hominis figuram gerebat, ut infra libro secundo capite decimo octavo ostendemus. Ne igitur in hæreticorum censura quisquam erret, certissimam regulam hic statuam per quam debeat quilibet examinari. hæreticus sit an non? Ante omnia tamen admonere lectorem decreui, hæretici non habent varium esse, & multiplex in sacris canonibus. Nam aliquando extensa nimis eius significatione, hæreticus dicitur, quisquis quomodolibet in hæresim lapsus est, aut qui apertam, & vehe-

vehementem de hæresi suspicionem dedit. Et iuxta hanc
 vocis latissimam significationem fautores hæreticorum
 & illorum receptores hæretici appellantur, etiam si il-
 los erroribus eorum, quos tuentur, aut domi recipiunt,
 ex animo fauere non constet. Hæretici etiam dicuntur,
 iuxta hanc largissimam vocis significationem, schisma-
 tici, & symoniaci: quoniam qui tales sunt, non modicam
 præbent hæreos iuspitionem. Iuxta hanc tam latam hæ-
 retici appellationem, non usurpatur hæc vox hæreticus,
 in illis titulis qui in libro decretalium, & libro sexto, &
 in clementinis, de hæreticis inscribuntur: quoniam non
 illis omnibus, qui sub tam larga illius significatione co-
 prehendi possent: pœnæ illæ & mulctæ conueniunt, quæ
 hæreticis à summis Pontificibus per decretales sub illis
 titulis contentas, infligi mandantur. Omessa igitur hac
 tam larga vocis significatione, ad propriam, & legiti-
 mnam eiusdem vocis significationem accedentes ostenda-
 mus, quis verè, & meritò sit hæreticus censendus, vt pœ-
 næ à iure decretæ iustæ illi possint infligi. Multa qui-
 dem exiguntur, vt quis meritò debeat hæreticus dici.
 Primo ante omnia opus est, vt fidem Catholicam semel
 in baptismo susceperit. Nam qui nunquam Christum in
 baptismō induit, is Paganus, aut Judeus, aut Saracenus,
 aut Mahomethicus, aut alio quovis censebitur nomi-
 ne, nunquam tamen hæreticus dicetur, vt pœnæ, quas
 aduersus hæreticos ecclesia decreuit, meritò possint in il-
 lum infligi. Ecclesia siquidem de illis, qui foris sunt, non
 iudicat, dicente Paulo: Quid mihi de iis, qui foris sunt 1. Cor. 5.
 iudicare? At qui non est indutus Christum in baptis-
 mo, sic est extra ecclesiam, vt nunquam illius domum in-
 trauerit: quoniam ad baptismum, quæ huius domus est
 ianua, nondum accessit. De his ergo, qui baptismum
 non susceperunt: non iudicat ecclesia, & per consequens
 hi non sunt, quos nomine hæreticorum punit. Secun-
 dum quod post baptismum susceptum exigitur, vt quis
 dicatur hæreticus, est error in fide. Opus solum exterius
 sine errore intellectus (vt superius ca. i. diximus) non est
 hæresis, eadem etiam ratione opus ipsum solum absque
 errore intellectus quanvis de hæresi suspectum reddere
 valeat, hæreticum tamen facere non potest. Qui igitur
 hære-

Hæreticus est dicendus, oportet, ut aliquem errorem circa fidem teneat. Errat autem non solum qui contra illum veritati assent, aut credit, sed etiam qui de ipsa fidei certissima, & firmissima veritate dubitat. Vnde Augustinus

August. in Enchiridio ad Laurentiu[m] cap. 17. errorem definit, sic ait: Errare est verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertum verò pro certo, siue falsum, siue sit verum. Hæc Augustinus. Ex his verbis apertissimè colligitur non solum illum dicendum esse hæreticum, qui contra veritatem fidei Catholicæ sentit: sed qui de veritate fidei dubitat, si cætra habeat, quæ ad hæreticum exacta esse, infra dicemus. Nam qui de fide dubitat, ita etiam erit, sicut qui aliquid contra fidem assent, quoniam ipsa sua dubitatione testatur se credere sacram scripturam posse fallere, & ecclesiam posse falli. Alioqui si hoc de illis non crede: et, nunquam de illarum dictis dubitassem. Præterea is, qui dubitat, fidem amittit: quoniam firmitate caret, quæ fidei est annixa: ob quam causam dubitatio vehemens (nam de leuisima dubitatione non est nunc sermo) & fides simul in unum coire non possunt. Hoc manifestè probatur testi-

Bernar. monio beati Bernardi ita dicentis: Fides ambiguum non habet. & si habet, fides non est. Et beatus Athanasius post datam fidei regulam in symbolo, ita ait: Hæc est fides Catholicæ quam nisi quisque fideliter, firmiterque credidit, saluus esse non poterit. Et Deus postquam per Aba-

Abac. 2. cuc prophetam filij sui aduentum promiserat hæc subdit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in se: metipso. Quæ verba interpretans Hieronymus ita ait: Si autem dubitauerit fides tua, & putaueris non venire, quod spondeo, habebis pro grandi pena, quod meæ animæ displicebis. Iustus autem, qui credit verbis meis, & de his non ambigit, quemque pollicetur, habebit præmium vitam sempiternam. Hæc Hieronymus. Et Theophylactus su-

Hieron. per illud ad Romanos. i. Iustitia Dei in eo reuelabitur ex fide sic ait. Cum enim ea quibus a Deo donati sumus, mortales nequeant cogitatione complecti, meritò nobis est fides hæc necessaria, quam si scrutari hæsitando corpore rimus omnium proculdubio pariemur iacturam. Hæc ille. Ex his omnibus apertissimè colligitur dubitationem ve-

luit ex diametro pugnare cum fide, & per cōsequens eum qui dubitat, non esse fidelem: sed h̄ereticum censendum. Deniq; Stephanus Papa ait. Dubius in fide infidelis est. Sed contra hanc sententiam fortē aliquis obiiciet quod is qui in fide dubitat nulli articulo fidei dissentit: & inde colligi videtur, vt h̄ereticus minimē sit censendus: quo: niam oīnis h̄ereticus al: cui fidei articulo dissentit.

Et vt argumentationis vires magis pateant statuamus Pe: trum dubitare de hac propositione, Christus est Deus: Petrus sic dubitās nulli fidei articulo dissentit: quoniam si alicui dissentire dicēdus esset, huic dissentire censeretur Christus est Deus. At cū de illo Petrum dubitate sup: posuimus, consequens est, vt nec illi assentiat, nec dissentiat: quoniam si horum alterum facit, minimē dubitare diceretur. Si illi fidei articulo, de quo potissima videbatur esse ratio, non dissentit, cōsequens est vt nulli dissentiat: quia si id quod magis videtur inesse, non inest, ergo nec id quod minus. Si nulli fidei articulo dissentit, immerito igitur censebitur h̄ereticus. Huic argumentationi respon deo quōd Petrus sic dubitans de prædicto fidei articulo, grauiter peccat contra præceptum de fide: quia sicut oris confessio ad salutem, ita cordis credulitas ad iustitiam est necessaria. Sicut igitur is qui tempore & loco debit is corde non credit peccat. Cū ergo aliquis fidei articulus alicuius Christiani intellectui se offert practice, hoc est, tanquam credendus, aut non credendus. Si is cui ille articulus sic se offert, scit talem articulum ab ecclesia Ca: tholica tanquam necessario credendum prædicari, & hoc sciens dubitat, certissimē peccat, & non contra aliud præ: ceptum quam de fide: quia non credit eo tempore quo credere tenebatur: Et hoc satis est vt h̄ereticus metitō censeatur. Sed quia hæc crudelitatis omission in tempore necessario licet sit satis efficax & manifesta causa peccati, tamen fortē non est ita efficax & manifesta causa, vt quis propter illam solam merito censi censeri debeat h̄ereticus. Ideo aliter & me'ius respondeo, concedens oportere vt omnis Petrum sic dubitarem non dissentire huic articulo Christus est Deus, sed horum altero. Deus est verax Ecclesia quam Paulus dicit esse columnam & firmamen tum veritatis, non potest in fide errare. Nam qui de ali: quo

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quo fidei articulo, quem ecclesia catholica nobis proposuit necessariò credendum dubitat, nisi quia credit Deum, aut scripturam ab illo traditam posse fallere, aut ecclesiam, quæ ab ipso Deo temper edocetur posse falli. Quorum alterum si credat, meritò censebitur hæreticus.

Hæc autem quæ de dubitante diximus, de illo solo intelligenda esse volumus, qui animo deliberato in dubitatione tali persistit, quæ illum inter vtrancq; dubitationis partem medium, & nutaniem tenet. Altoqui si taliter dubitaret, quod magis ad veritatem fidei, quam ad oppositam partem declinaret, non esset dicendus hæreticus, præferrim si ex infirmitate quadam dubitauit, velut continuit in primis motibus, & in illis, qui natura hoc habent, ut sint in qualibet re apercipites, & dubij, & assiduis conscientiæ scrupulis urgeantur. Hic tamen admonendus est lector, ut non putet omnem dubitationem etiam delibera tam, & cōstantem, quæ quomodo libet circa fidem versatur, satis esse, ut hominem illa affectum hæreticum redere valeat. Multum siquidem interest quid, aut quomodo quisque dubitet. Sunt aliqui, qui de verbis, aut de scripturis dubitant. Sunt rursus alii, qui & si verbis, aut scripturis integrā fidem præbeant, de verborum tamen, aut scripturam intelligentia dubitant. Credunt, inquam verba esse vera, & omni prorsus falsitate carentia, quid tamen per illa verba significetur, dubitant. Primum dubitationis genus circa ea, quæ ad fidem attinent, est prorsus interdictum: quie de veritate eorum, quæ Catholica fides credenda proponit, dubitare non licet.

Secundum dubitationis genus etiam circa illa, quæ firma & constanti fide credere tenemur, absque hæresis, & cuiusvis alterius criminis nota, haberī potest. Primo dubitationis genere hæsitauit Nicodemus de verbis Christi dicentis:

Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dubitauit quidem: quia non credit verba illa vlo modo posse fieri vera, atque ideo dixit: Quomodo potest homo nasci denuo, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matri suæ iterato intrare, & renasci? Ad eundem prorsus modum dubitauerunt Iudei discipuli, qui erant in Capharnaum, de verbis Christi dicentis: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi

Ioan. 6.

mundi vita. Dicebant enim : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? Dubitabant quidem : quia non credebant dictis ab illo. Cuius apertum est testimonium : quia verbis Christi auditis dixerunt : Durus est hic sermo, & quis potest eum audire ?

Et tandem abierunt retrosum, & ob hanc causam Christi discipulatum reliquerunt.

Scio esse quendam recentem Scriptorem, qui in annotationibus suis super Ioannem conatur defendere Nicodemum à vitio incredulitatis quasi periclitaretur fides catholica, propterea quod ille fuerit incredulus.

Ego tamen mallo hic & alibi semper vestigia patrum (quorum doctrina fulget Ecclesia ut Sol & Luna) sequi quam nouis opinionibus delectari.

Augustinus tractatu 11. super Ioannem de Nicodemo loquens haec ait : Spiritus ei loquitur & nodum sapit. Cum enim dixisset dominus Iesus. Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam. Scandalizari sunt quidam qui eum sequebatur & dixerunt apud seipso. Durus est hic sermo. Quis potest eum audire ? Putabant enim hoc dicere Iesum, quod eum possent concisim sicut agnum coquere & manducare.

Et aliquibus interpositis subdit. Dominus autem exposuit eis ac dixit. Spiritus est qui vivificat, Caro autem non prodest quicquam. Et post pauca ait. Hunc spiritum & hanc vitam non sapiebat iste Nicodemus, qui nocte venerat ad Iesum. Haec Augustinus, qui satis aperte Nicodemum comparat & similem facit Caphernaitis incredulis.

Et tractatu 11. super eundem Ioannem vocat Nicodemum superbum & inflatum, quia magis suo iudicio quam verbis Christi credebat. Idem docet Cyrillus, qui lib 2. super Ioannem cap 4. interpretas illa verba. Quomodo potest homo nasci quem sit senex. &c. haec ait.

Quum animalis adhuc homo mysteria spiritus minimè intelligens Nicodemus esset, fatuitatem potius quam sublime aliquid putat quod dicitur. Natiuitatem enim spiritualem non capies, nec ultra res humanas quicquam cogitans, corporalem quendam ventrem, & redditum hominis rufus ad partum fingere cogitur; ita magnitudine terreni depresso, in his inferioribus volvitur. Nam quemadmodum proiecti lapides duriore vice percussi resiliunt : sic mens imbe-

Franciscus
titelmanus.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

imbecillior sublimioribus quam sette possit rebus contuta, refugit: quod Iudæorum princeps passus & terrenis inhærens diutinam & spiritalem regenerationem nō suscepit. Hæc Cyrillus. Chrysostomus homilia. 23. super Ioannem ait. Ea enim particula, Quomodo, non multum credentium, sed adhuc terrena sapientum est. Nam & Sarra propterea risit, quia quomodo parere posset cogitauit, & alij multi hoc verbo fide exciderunt. Hæretici quoq; hinc in sua persistant opinione. Alij quidem. Quomodo natus est Christus: Alij Quomodo carnem accepit, interrogant, & mentis suæ imbecillitati immensam illam & ineffabilem subiiciunt substantiam, quæ importuna curiositas sapientibus sugienda est. Hæc Chrysostomus. Huic consentit Theophylactus, hæc super Ioannem dicens. Audiens Nicodemus doctrinam plusquam humanam stupescit, & passus humanum quiddam interrogat. Quomodo potest id quod incredulitatis est signum. Vbi enim fides non est, illic queritur, quomodo hoc? Quare hoc? Propterea & ridicula Nicodemi verba apparent. Neque enim intellexit spiritualem natuitatem, sed mentionem corporalis ventris facit. Hæc Theophylactus, Quibus verbis apertius dici potuit contra Nicodemi fidem. Horum tam illustrium virorum sententiam libentius amplector, quam illius recentis scriptoris, qui Nicodemum non solum ab incredulitate, sed etiam à peccato excusare conatur, præsertim quia nulla verisimili ratione, quæ vt cuncti vrgere videatur, sed quodam figmento vere ridiculo, id persuadere nititur. Credo certè istum recentem Scriptorem virum verè doctum & piūm pro sua insita clementia & pietate voluisse Nicodemum excusare ab incredulitate, propterea quod illum alijs fidelem nouerat. Nam video multos, qui hac sola ratione moti, anxiè laborant, vt plerosque sanctorum à quibusdam peccatis excusent, propterea quod illos alijs iustos & sanctos fuisse agnoscunt. Si hæc ratio illos ad excusationem vrget, oportet vt etiam conentur excusare Dauid ab homicidio & adulterio, & Petrum à negatione sui Magistri: quia vterque istorum multo iuri ante peccatum fuerat, quam Nicodemus eo tempore quo illum dubitasse dicimus, præsertim quod huic

Euan:

Euangelium narrat erat occultus Christi discipulus, &
 ideo nocte ad Christum venerat: quia propter metum Iu-
 dæorum non fuit avus palam ad illum venire. Immerito
 igitur Nicodemum quis ab incredulitate tunc excusat
 nititur, quando primum ille ad Christi discipulatum nō
 sine metu venit. Non est enim verosimile ut Nicodemus
 in primo sui discipulatus initio fuerit tam firmus in fide
 ut tunc in nihilo dubitauerit, præsertim cum nullus Apo-
 stolorum, qui multis parasangis Nicodemum antecesse-
 runt, talis in sui apostolatus initio fuerit ut nunquā po-
 stea dubitauerit. Sed quid moror ad prodendam Nicode-
 mi dubitationē & incredulitatem, cum ipse Dominus no-
 ster Iesus Christus illū de incredulitate notauerit. Nam
 cum Nicodemus dixisset: Quomodo possunt hæc fieri?
 Christus saluator noster inter cætera quæ illi dixit, hoc
 vnum ait. Si terrena dixi vobis & non creditis. Quo-
 modo si dixerim vobis cœlestia credetis? Ex quibus ver-
 bis apertissimè cōstat Christum norasse Nicodemum de
 incredulitate. Hæc omnia nunc addere coactus sum,
 propterea quod quidam amicus me per literas suas re-
 darguit, quia in prima huius operis editione Nicodemo
 dubitationis & incredulitatis notam inusitam, & ut me
 ritò me arguere probaret, obiecit mihi illum prædictum
 recentem Scriptorem qui in annotationibus super Ioan-
 nem Nicodemum defensit. Legi verba illius Scriptoris,
 quæ ante non videram, & testor Deum quod si mihi ille
 Scriptor suam persuasisset sententiam, statim recantaf-
 sem meam. Sed cum nihil tale apud illum repererim,
 malui sanctorum patrum sequi sententiam, quam illius
 nouæ adhærere opinioni & male ab eo probare.
 Secundò dubitationis genere dubitauit virgo Deipara
 cum Gabrieli archangelo Deum ab illa in utero conci-
 piendum annuntianti respondit: Quomodo fieri istud:
 quoniam viruin non cognosco? Percontatur quidem
 non quasi verbis angeli diffidens: sed verbis firmiter cre-
 dens, & modum quo verba adimpleri possent, non per-
 pendens, & de modo edoceri cupiens. Itaq; nō de re ipsa:
 sed de modo, quo res exequi posset, dubitauit. Sic enim
 verba illa deipare virginis interpretatur Theophylactus
 dicens. Non quasi discredens Virgo dixit: Quomodo
 erit

Luc. I.

Theoph.

erit mihi istud? sed vt prudens, & intelligens, vt discat, modum inquirit. Non enim prius tale quiddam factum est, neq; poti hac fieri. Ideo & ignoscit ei angelus, & non condemnat, vt Zachariam: sed magis modum docet. Nam Zacharias meritò cōdeinnatur, habuit enim exempla multa, quandoquidem, & multæ steriles fuerunt, virgini autem nullū exemplum erat. Hæc Theophylactus. Et beatus Bernardus homilia quarta super Euangelium, Missus est: eodem modo illa gloriofissimæ Virginis verba interpretatur, sic inquiens, Non dubitat de facto sed modum requirit, & ordinem. Nec enim queritur, an fiet istud? sed quomodo? Quasi dicat: Cūm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Hæc Bernardus. Iuxta hunc modum sancti doctores, quorum doctrina fulget ecclesia, vt sol, & luna, verbis sacræ scripturæ plenisimam adhibentes fidem de illorum intelligentia sæpiissimè dubitauerunt, prout eorum scripta apertissimè testantur. Iuxta hunc etiam modum scholastici theologi faciūt, cūm plurimas quæstiones ad discutiendum proponunt, non quod de re ipsa, quæ proponitur, dubitent: sed de modo, & illius intelligentia. Absit enim, vt credamus illos, toutes dubitare, quoties aliquid in modum, & faciem quæstionis proponunt. Sæpiissimè enim quæstiones propoñunt, non quia dubitent ipſi: sed quia dubitationibus, quæ forte in aliis oriri possint, obuiare volunt, & illis oportunè mederi. Hoc autem sine vlo peccato, & cum magno merito fit, tantum abest, vt quis ob eam causam illis dignè impropere posse. Tertium, quod (iuxta quorundam opinionem) requiritur, vt quis hæreticus dicitur, est, vt non totam fidem Catholicam deserat: sed solum aliquam illius partem. Dicunt enim illiū, qui à fide Catholica prorsus recesfit, esse dicēdum apostatam, & non hæreticum, & ita hæreticum, ab apostata discernunt, hac ratione, quod hæreticus alicui particulari fidei articulo contradicit. Apostata vero omnem prosus fidem Christianam repellit. Ita docet Guido Carmelita:

nus in sua summa de hæresibus. Eidem subscriptibit Ioānes de Turre Cremata in opere illo, quod appellatur: Summa ecclesiæ, libro quarto, parte secunda, cap. 13. Verū in hac parte ego illis non consentio: quoniam hac ratione oporteret concedere, vt hæreticus homo per augmentum, & multiplicationem hæresum desinet esse hæreticus. Nam qui vnam, aut duas hæreses pertinaciter asserit, iuxta istorum sententiam, dicitur hæreticus, & si hic talis quotidie in aliam, & aliam hæresim labitur, quo usque totam prorsus fidem Catholicam deserat, iam iuxta eorundem sententiam, Apostata, & non hæreticus dicetur: ergo hæreses addendo desinit esse hæreticus. Hoc autem fateri, quām sit absurdum, nullus est sanè mestis, qui non intelligat: quia non est rationi consonum, vt id, quod ab aliqua formæ nomenclaturam aliquam suscipit, per eiusdem formæ multiplicationem, nomenclaturā eandem amittat. Vt gratia exempli, si homo ratione albedinis dicitur albus, quantumlibet illi albedo addatur, nunquam desinet dici, & esse albus: ergo eodem modo, cum hæreticus ab hæresi dicatur, nunquam per quamlibet hæresum multitudinem, desinet esse hæreticus. Apostata & hæreticus non sunt duo aliqua disparata, quæ eidē conuenire non possunt, vt sunt homo, & equus: sed sunt tanquam genus, & species, vt animal, & homo. Hæreticus est nomen generis, quod sub se tot continet species, quæ sunt hæresum species, quas homines pertinaciter tueri possunt. Apostata est nomen speciei, ita vt omnis apostata censi debeat hæreticus, non tamen e contrario omnis hæreticus sit censendus apostata. Et huic meæ sententiæ fauet beatus Thomas, qui in Secundâ Secundæ, quæ stione decima, articulo quinto, dicit solas tres esse species infidelitatis, videlicet: Paganos, Iudæos, & Hæreticos: & sub nomine hæreticorum contineri censet quotquot à fide Catholica, quam semel suscepereunt, quomodolibet recedunt. Et expressius quæst. 12. art. 1. in responsione ad tertium dicit, quod apostasia non importat aliquam species infidelitatis: sed quandam circumstantiam aggravantem iuxta illud. 2. Petri. 2. Melius erat eis veritatem non agnoscere, quām post cognitam retrò ire. Si apostasia non est species distincta ab hæresi consequens est,

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

vt nec etiam apostata sit species distincta ab hæretico.
Eidem sententiae subscriptis Guillelmus Ocham prima
parte suorum Dialogorum lib.4. capite duodecimo.
Audiui esse aliquos beati Thomæ sectatores qui post pri-
mam huius operis æditionem publicè in acadēmia Sal-
maticensi theologiam profientes adhuc contenderint,
Apostatam non esse dicendum hæreticum. Sed certè vt
ingenue loquar, ego non possum non mirari, qua fronte
posunt negare Apostatam esse hæreticum dicendum, si
doctrinam beati Thomæ tueri velint. Nam si species in-
fidelitatis, vt beatus Thomas ait, sunt tantum tres vide-
licet, Iudæi, Pagani, Hæretici, peto ab istis sub qua ista-
rum specierum continetur Apostata. Non comprehen-
ditur sub nomine Iudæorum : quia possibile est vt à fide
Catholica deficiens in nullum decidat Iudæorum erro-
rem, & ideo consequens est, vt immerito Iudæus dici
possit. Neque potest dici Paganus, quia Apostata semel
recepit fidem, & retinet characterem ouis dominicæ.
Paganus autem neque hoc neque illud habet. Apostata
ad fidem rediens non tenetur iterum baptizari, Paga-
nus autem, si vult intrare in regnum Dei, tenetur susci-
pere baptismum quem non suscepit : Apostata vt aper-
tissimè constat, punitur ab Ecclesia ob apostasiam crimen.
Et inde sequitur vt non sit omnino extra ecclesiam :
quia aliás non puniretur ab ea, dicente Paulo, Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare, Paganus autem non pu-
nitur ab ecclesia, quia est omnino extra illam. Si Apo-
stata ratione apostasiam non est dicendus Iudæus neque
Paganus. Est ergo necessariò dicendus hæreticus, aliás
non plenè numerasset beatus Thomas species infidel-
itatis. Deinde si Apostasia vt beatus Thomas ait solum
imporrat circumstantiam aggrauantem, & non dicit spe-
ciem distinctam: petam de circumstantia ista, quæ & qua-
lis sit. Certum est talem circumstantiam esse recessum à
tota fide & non ab una aut altera tantum parte. At ta-
lis circumstantia non aggrauat in infinitum, quoniam
aliás mutaret speciem, quod negat beatus Thomas.
Si illa circumstantia non aggrauat in infinitum, ergo ad-
dita illa circumstantia manet opus in illa specie, in qua
esset seclusa illa circumstantia. At deposita illa circun-
stantia

stantia totalis recessus à fide, esset sub specie hæresis, ergo illa posita erit sub eadem specie. Do simile, si quis furto surripuit à Petro duos ducatos, & alius furatus est à Ioanne totam illius substantiam, omnes fatentur secundum furtum non differre specie à primo, sed sola circumstantia quæ non mutat speciem. Idem ergo per omnia dicere oportet de illis duobus, quorum vnu partem fidei reliquit, alter verò totam. Præterea omnis pœna, quam iura aduersus hæreticos decernunt, etiam huiusmodi apostatis est infligenda: ergo huiusmodi apostatæ sub nomine hæreticorum sunt comprehendendi quando iura de hæreticis loquuntur: quoniam alioquin nulla esset canonica lex per quam huiusmodi apostatæ puniri possent. Nam titulus ille, qui in quinto libro Decretalium inscribitur: De apostatis & reiterantibus baptisma, non hos apostatas concernit, qui à fide Catholica recesserunt: sed illos solum, qui ordinem clericatus, aut religionis quam semel fuerant profesi, reliquerunt.

Et hoc ibidem annotauit glossa in capitulo primo eiusdem tituli. & confirmatur hoc plenius per capitulum contra Christianos, de hæreticis, libro sexto. illic enim præcipitur eos, qui fide Catholica deserta ad ritus Iudeorum redierint, esse velut hæreticos puniendos. His igitur efficacissimis rationibus motus dico apostatā etiam esse censendum hæreticum: sicut ille, qui in vnam solam hæresim lapsus est. In illo tamen opere, quod aduersus omnes hæreses ædidi libro primo, capite nono, aliorum sequutus sum sententiam, eo quod rem non bene tunc (vt decebat) consideravi. Priorem igitur illam sententiam nunc recanto, & præsentem amplector tanquam vertorem.

Quartum, & ultimum, quod absolutum, & consummatum facit hæreticum, est pertinacia: quam si subtraxeris, etiam si errorem fidei contrarium quis teneat, aut doceat, non est censendus hæreticus. Vnde Augustinus in Epistola ad Glorium, & Eleusium, quæ est in ordine epistolarum eius.¹⁶² sic ait: Qui sententiam quanvis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis

Augusti

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

pepererint : sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine, veritatem, corrigi parati cùm inuenient, nequaquam sunt inter hæreticos reputandi. Hæc Augustinus. Et habentur hæc verba in capite. Dixit Apostolus. 24. quæstione. 3. Contra hæc fortè quis obticiet Innocentium tertium huius nominis summum Pontificem, qui quæsitus à Comite Tolosano, quos oporteat dicere manifestos hæreticos, per hæc verba illi respondet. Super quo tibi duximus respondendum illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errorem, vel qui coram prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate.

Hæc Innocentius, & habentur in cap. Super quibusdam, extra de verborum significatione. Ex istis Innocentij verbis aliquis fortè contra ea, quæ de pertinacia diximus argumentum sumet, sic inquiens. Innocentius declarans, qui sint dicendi manifesti hæretici nunquam de pertinacia fecit mentionem : ergo pertinacia non est necessaria. Verum non ita res se habet, vt obiicitur, neque bene in eadem obiectione colligitur. Nam Innocentius tunc nō tractabat de hæreticis in generali : sed solum de hæreticis manifestis. Ille enim tunc solum ad quæsita respondet, fuit autem quæsitus non de pertinacia : sed de euidentia, & manifestatione delicti. Dubium quidem non erat, qui essent pertinaces, aut hæretici dicendi : sed dubium erat, qui hæretici essent pro manifestis habendi.

Et ob hanc causam de pertinacia tacuit illam subintellegens, & solum de manifestatione, & euidentia, de qua solum fuerat interrogatus, respondit : Ex his igitur omnibus, quæ diximus esse necessariò requisita, vt quis hæreticus sit censendus, talem colligo hæretici definitionem. Hæreticus est, qui postquam verum baptismum suscepit, & fuit in fide Catholicæ sufficienter instructus, pertinaciter errat contra id, quod scit ab ecclesia Catholicæ pro fide teneri, siue oppositum veritatis asserens, siue de ipsa veritate dubitans. Hanc definitionem non est opus amplius declarare : quia ex his, quæ diximus, est satis manifesta.

His

His ergo omnibus bene consideratis cuilibet erit satis evidens quantum errauit Bernardus de Luthzemburgo, qui hæreticorum catalogum texens, multos in illo posuit, qui nihil minus, quam hæretici dici deberent. Nam quosdam illic inseruit, qui nunquam fidem Catholicam in baptismo fuerunt professi, quales sunt Auerrois & Auicena, qui iuxta ea, quæ diximus nullo pacto hæretici dici possunt. Quosdam etiam ibidem miscuit, qui & si sanctum baptismum suscepereunt, in nullam tamen ipsi sunt hæresim, ut sunt Marrani, Mopsarabes. Et certe (ut ego existimo) ille non intellexit, qui & ob quam causam dicantur Marrani, aut Mopsarabes: ideo operæ pretium duxi horum vocabulorum significaciones explicare, ut inde manifestum sit, quam immitterit illos inter hæreticos recensuit. Marrani ab Hispanis vocantur illi, qui præsentium memoria, aut relatu aliorum præcedentium noscuntur à Iudæis traxisse originem. Filius igitur Iudeorum, aut nepos, aut pronepos, quanvis ipse iam sit verus Christianus, & fidelis Catholicus, semper ab Hispanis vocatur Marranus. Quo sit, ut non ob culpam aliquam suam: sed ob solam parentum suorum maculam, ille vocetur Marranus. Nulla igitur est causa, propter quam Marranos inter hæreticos quis merito recensere debeat cum optime posit aliquis esse Marranus, & vere Catholicus, & fidelis.

Fateor tamen Marrani nomen esse infame, & iniuriosum, tum proter parentes, à quibus descendunt, tum etiam propter Iudaismi suspicionem, quam semper contra se portant, propterea, quod experientia cognitum est, multos eorum ad Iudeorum ritus, & ceremonias rediisse. Hoc autem quod dixi de suspicione, quæ contra Marranos fere semper habetur, iuxta communem vulgi opinionem dictum esse volo, non tamen iuxta meam sententiam. Nam illud dicens, communem vulgi consuetudinem declaravi, quod semper male de Marranis suspicatur, & ferè semper de illis tam malè sentit, ut illos vix unquam alio nomine vocet quam Iudeos. Hanc tamen vulgi consuetudinem ego probare non possum, neque à viro aliquo Christiano & prudente poterit merito probari. Injustum quippe est, & minimè Christianum,

vt male de illo suspicemur, qui nullam per se dedit suspicionis occasionem. Nam iure diuino & humano decerneretur, vt quilibet præsumatur bonus, donec probetur contrarium. At ij qui Marranos acerbo odio insectantur, dicunt se de Marranis male suspici i, non propterea quod ili per se aliquam dedeint dignam suspicionis occasionem: sed quia à parentibus Iudeis suum derivant genus, & ideo dicunt se merito suspicari posse quod illi altiquando parentes suos imitabuntur. Indigna profecto suspicionis ratio: quoniam hac ratione liceret semper de omnibus male opinari, aut saltem suspicari. Nam vix nunc ullus est homo, cuius parens non fuerit aliquo peccato infectus. Si in aliis peccatis non licet de quoquis homine male opinari, propterea quod pater illius fuit simili criminis infectus, nescio cur potius hoc licebit suspicari in Iudaismo, vt filius ad Iudaismum colendum revertatur, propterea quod pater, aut avi fuit olim Iudæus. Præterea si hoc licet suspicari de iis qui originem suam à Iudeis trahunt, eadem ratione licebit etiam suspicari de illis qui à Paganis originem suam ducunt: quia non est maior ratio cur potius de illis quam de istis suspicari liceat, cum notissima experientia cognitum sit multos ex Paganis post receptum baptisma rediisse ad Paganismum. Si hoc licere suspicari de Paganis fatentur, consequens est vt concedant, de omnibus sine ullo discrimine hoc licere suspicari: quia quotquot ad Christianismum conuersi sunt, aut à Iudaismo, aut à Paganismo venerunt. Deinde etsi hoc de illis forte suspicari liceret, quorum parentes à Iudaismo ad Christianismum conuersi sunt, & qui à parentibus in Iudaismo geniti & nutriti & edocti sunt: non tamen hoc liceret de illis, qui etsi à Iudeis suum genus derivent, multos tamen habuerunt prædecessores verè Christianos, ita ut proximi parentes, & avi, & proavi. & tritaui fuerint veri Christiani. Hæc omnia testor Deum & angelos eius, quod non dixi ut meam causam defendarem, quia alienus ab omni Marranorum consanguinitate sum, prout omnibus poterit esse manifestum, qui meū genus vindique scutari voluerit, sed urgente conscientia hoc dixi, ut communī vulgi errori aliqua ex parte obuiarem:

ne si vltterius error iste grasseatur, schisma aliquod in ecclesia pareret, quod conuersos à iudeis & conuersos à gentibus diuideret. Mopsarabes, nec hæretici, nec de hæresi suspecti sunt. Nullum enim errorem contra fidem Catholicam tenent: neque alicui hæresi fauent, neq; ab obedientia ecclesiæ Romanae sunt separati: sed solis ceremoniis, quas in diuini officij ordine, & Missæ celebratione tenent, à communi Latinorum vsu differentes. Quæ ceremoniæ, & si ab illis, quibus Romana vtitur ecclesia differant, non tamen sunt ab eadem ecclesia Romana, unquam reprobatae. Nam morem illum Mopsarabum, Romana ecclesia approbante, olim tota seruabat Hispania tempore sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, & sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani, qui ante noningenios annos illis ecclesiis præfuerunt. Qui celebrandi mos à tempore illo adusque præsentem diem in Toleto ciuitate Hispaniæ opulentissima, in quibusdam illius parrochiis perpetuo tenore seruatus est, & obseruatur adhuc. Extat etiam hodie in magnificentissima illa eiusdem ciuitatis ecclesia cathedrali insignis quædam, & valde opulenta capella, in qua iuxta Mopsarabum ordinem, & ritus, & ceremonias, missa quotidie celebratur, & statutis septem diei horis reliquum totum diurnum simul, & nocturnum Deo offertur laudis sacrificium. Quo autem tempore, & ob quam causam desierit hic modus seruari in aliis Hispaniæ partibus, qui voluerit scire, legat generalem Hispaniæ historiam, quam illustrissimus, atque doctissimus Castellæ, & Legionis Rex Alfonsus huius nominis Decimus composuit. Hic enim in quarta parte præfatæ historiæ capite tertio longam & scitu dignissimam de hac re texit narrationem. Verum quia apud alias nationes hæc historia difficilime inueniri posset, ideo quæ Rex ille doctissimus multis verbis descripsit, brevibus ego perstringere decreui, vt rem scitu dignissimam omnibus notam facerem. Tota Hispania, inquit ille, olim missæ sacrificium faciebat iuxta modum Gotthicum à beato Isidoro, & beato Leandro, institutum, longè à consuetudine, & ritu ecclesiæ Romanae diuersissimum. Hoc itaque more, & ritu vbique Hispaniarum seruato, Alfonsus Hispaniæ Rex huius nomi-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

nisi sextus, qui Toletum à Saracenis recepit, Constantiam Gallorum Regis filiam duxit vxorem. Quæ cùm vidisset sacrum Missæ officium longè alio more, & ritu in Hispania, quæ in Francia celebrari, quæ mores, & ritus ecclesiæ Romanæ in illo officio seruabat, orauit magnum Regem, ut morem illum, & Missæ ceremonias ex vniuersa prorius Hispania tolleret, & loco illius Gallicū substitueret, qui Romanæ Ecclesiæ erat conformis. De qua re nihil voluit Rex definire: nisi prius (ut par erat) consuleret Gregorium septimum huius nominis summum Pontificem, qui tunc vniuersæ præerat ecclesiæ. Pontifex vero re (ut decebat) plene examinata, legatis respondit, antiquum Hispaniæ morem, qui bonus & sanctus erat, & à sanctis patribus institutus, non esse deservendum, quinimò potius per omnia seruandum.

Regina vero iterum Regem pro abrogando illo officio instantissime precatur, cuius votis Rex satisfacere cupiens, conuentum generale tam ex ecclesiasticis, quam ex secularibus congregatum celebrat. Huic congregatio ni Rex, Reginae votum prodit, petitque, ut illi satisfacere vellent, cui Reginae petitioni cū omnes cōtradicerent, tandem ex illorum omnium, & Regis concordia sententia decretum est, ut res hæc armorum confictu definitur, datis duabus, qui duello pugnarent, alter pro officio Gotthico, aut Mopsarabico à toto regno eligendus, alter pro officio Gallico aut Romano à Regina, & Rege signandus. Ventum est ad pugnam, & qui pro officio Mopsarabum decertabat victor euasit. Sed nec his visis Regina quiescere voluit: sed, ut sunt importunæ & pertinaces feminæ, quoisque satis suis votis fiat. Regem iterum acris, & vehementius sollicitat, qui, ut Reginae placeret totum regni conuentum iterum hortatur, ut Gotthicum officium deserere, & Gallicum, seu Romanum recipere vellent. Illis autem omnino contradicentibus ex communij omnium cōsensu decretum est, ut magno aliquo, atque vasto igne accenso duo libri in illum prossicerentur, quorum unus Missæ officium contineret iuxta ritum Gallicum, alter iuxta antiquum Hispaniæ morem. Et illo die, quo hæc facienda erant, indictum est à Bernardo Archiepiscopo Toletano generale ieiunium

nium res enim hæc Toleti agebatur) ut per ieiunii merita
tum Deus exoratus reuelare vellet per miraculi ostensi-
fione, quid esset agendum. Proiiciuntur duo illi libri
in medio ignis, & liber, qui Gallicum, siue Romanum
tenebat officium, cœpit ex igne stridorem quandam fa-
cere, & statim saltu quodam ab igne resiliit. Liber au-
tem, qui officium Gotthicum, siue Mopsarabum conti-
nebat, perseverauit absque vlla læsione in medio ignis
quousque ille fuit prorsus extinctus. Sed nec tanto mira-
culo viso Regina cedere voluit, ob quam causam Rex
deinceps noluit regnum (ut ante fecerat) hortari: sed pre-
cipere, & variis minis cogere, ut officio antiquo relicto
Gallicum, siue Romanum reciperent. Quod non sine la-
chrymis fecere coacti, quamuis in aliquibus Toletanis
templis mos ille, & ritus antiquus remansit, qui inibi usq[ue]
in hodiernum diem seruatus est. Et inde ortum est vul-
gare proverbiū apud Hispanos: Alla van leyes, do quie-
rem Reyes. Quod in Latinam linguam versum idem est,
ac si diceretur. Ad arbitrium Regum leges dispensan-
tur, Hanc tam largam historiam hic retexere voluimus,
ut aperte inde ostenderemus, quām fine causa Bernardus
de Luthzemburgo in suo Cathologo hæreticorum,
Mopsarabes inseruit.

DE SOLVTIONE QVORVM:

dam dubiorum, quæ ex dictis in p̄cedenti capitulo
oriuntur. Cap. VIII.

EN his, Quæ in proximè p̄cedenti cap. disseruimus,
aliqua non paruæ difficultatis dubia occurrere pos-
sunt, quibus omnibus hic respondere decreui, ut omnem
dubitacionis causam tollâ, & sic rem absolutâ relinquam.

Primum dubium est de Cathecumino, qui nondum
Baptismum suscepit: sed solum habuit firmum propo-
situm suscipiendi baptismum, si antequam baptismatis
vnda tingatur in aliquam hæresim laberetur, an hære-
ticus dici debeat? Et fortè alicui videbitur talem non esse
hæreticum dicendum, nec velut talem puniendum, pro-
pterea quod nondum baptismum suscepit, atque ideo ec-
clesiæ domum non intravit, & per consequens ecclesiæ iu-
dicio

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

dicio nondum fuit subiectus. Sed qui sic sentit, maximè fallitur, & toto (vt dicitur) errat cœlo. Nam Cathecuminus, qui firmo animo statuit baptismatis vnde mundari, si in hoc proposito perseverans ab hac luce necessitate coactus sine aquæ aspersione decedat, proculdubio saluabitur: quoniam & si baptismus aquæ non sit baptizatus, est tamen baptismus flaminis, qui per secretam sancti spiritus infusionem fit, baptizatus: de quo baptismus Christus in cœlos ascendens, sanctumque Apo-

Act. 1. stolis suis promittens spiritum, ait: Vos autem baptizæ bimini spiritu sancto non post multos hos dies.

Spiritu baptizandos dixit propter gratiam, quam in aduentu spiritus sancti recepturi erant, & per quam ab omni peccatorum inquinamento erant mundandi. Ba-

pptisinus igitur, quia à theologis scholasticis flaminis di-

citur: sicut animas à peccatis mundare valet, ita etiam sal-

uare. At extra ecclesiam non est salus. Est enim ecclesia

(vt beatus Petrus interpretatur, figurata per arcam Noë,

1. Pet. 3. extra quam quotquot inuenienti sunt, periere, & soli, qui in illam intrauerunt, saluati sunt. Ex his aperte consequitur

eum, qui firmo animo baptismum aquæ suscipere statuit,

iam tunc ecclesiam intrasse cum sit in statu salutis, quæ

extra ecclesiam (vt diximus) haberi non potest: & si hoc

animæ suæ firmum esse propositum ecclesiæ palam ostendit, ab illa baptismum publicitus petens hoc ipso ecclesiæ

se subdidit quamvis ab illa baptismum, quem petit non

suscepere. Et confirmatur per capitulum. Veniens de

presbytero non baptizato, vbi hæc habentur verba. Non

solum per sacramentum fidei: sed per fidem etiam sacra-

menti, quis efficitur proculdubio membrum Christi. Hęc

ibi Si per solam fidem sine sacramento baptismi efficitur

homo membrum Christi, ergo etiam membrum ecclesiæ,

quæ est corpus illius, ergo ab illa poterit iudicari, & pu-

niri rāquam pars, & membrum illius. Quo sit, vt Ca-

thecuminus, qui firmo, & constante animo baptismū ab

ecclesia petiit, si postquam fuerat de recta fide edocitus, in

hæretism aliquam antequam baptismum aquæ suscepit,

labatur, & illam pertinaciter tueatur, sit censendus hære-

ticus, & velut talis: nisi resipuerit puniendus, non tamen

(vt existimo) ita acriter, ac si baptismum aquæ suscepisset.

Hæc

Hæc tamen de illo solo intelligenda esse volo, qui post firmum de suscipiendo baptismate propositum, tuit sufficienter de recta fide edocetus, & post huiusmodi doctrinam receptam propositi pœnitens in hæresim lapsus est. Alioqui si in hæresim laberetur antequam fuisset plene de Catholicæ fide instructus (ut infra proxime dicimus) talis non esset hæreticus censendus.

Secunda dubitatio est de paruulo baptizato, qui ante usum rationis ab infidelibus captus, & postea cum ad annos discretionis peruenit, idem Catholicam noluit suscipere: sed Mahometricam legem, de qua fuit instrutus, est amplexatus, an hic talis sit hæreticus, & apostata censendus, & velut talis si à Christianis caperetur, puniendus? Et quod talis sit hæreticus dicendus, videtur conuinci: quia omnia, quæ in vulgari hæretici definitione describuntur, illi aptissime conueniunt. Nam hæresim pertinaciter tuetur, aut fidem prorsus deseruit, postquam Christum per baptismum induerat. Verum ego aliter dicendum esse sentio: quoniam ut quis hæreticus meritò dicatur (mea quidem sententia) non sati est illum hæresim post susceptum baptismum pertinaciter tueri, nisi post eiusdem baptisini susceptionem fuerit de vera fide edocetus. Sola siquidem fides infusa, quæ per baptismum datur, sine aliqua viua voce doctoris exterius docentis, iuxta consonam omnium Theologorum sententiam, minime sufficit ad credendum. Quomodo credent (ait Paulus) ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? sicut scriptum est. Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangeli. Esaias enim dicit: Domine, quis eredit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Quibus verbis Paulus Apostolus apertissime docet veram fidem sine verbi Dei prædicatione nullum hominem per se assequi posse. Oportet igitur, ut hæreticus non dicatur, qui sine verbi Dei prædicatione fidem plenam non est assequutus, quam (ut diximus) assequi non poterat. Indignum quippe est, ut quis damnetur: quia non fecit id, quod nullo modo facere poterat. Idem etiam dicendum censeo de Iudæis, & Saracenis, & aliis infa-

Rom.10.

Naum.1.

Esaï.53.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

infidelibus, qui adulterate baptisma suscipiunt, non es-
se illos statim dicendos hæreticos, si post baptismum suscep-
tum, & antequā de fide fuerint plene credocti, in hæresim
aliquam lapsi fuerint. De his enim merito suspicādum est
illos tunc ex ignorantia errasse, ac propterea cum tales
fuerint deprehensi, sunt docendi, & cum misericordia ad-
monendi, & si post admonitionem & charitatiuam cor-
rectionem in eundem labantur errorem, iā non ex igno-
rātia, sed ex malitia illos errasse merito credetur. Ille igi-
tur qui baptismo suscepto ante annos discretionis captus
a Sarracenis, & cum illis nutritus, illorum sectam colit, si
postea a Christianis capi contingat (vt ego sentio) erit
admonendus & de vera fide docendus, non tamen est hæ-
reticus censendus neque ut talis puniendus.

Tertia dubitatio est de illo qui baptizatus est non in
vera & necessaria forma, qui & si verum baptismum non
suscepit, tamen propter baptismum, se Christianum dicit,
& prædicat & pro tali ab omnibus existimari contendit,
si hic hæresim aliquam pertinaciter tueatur, an sit dicens
dus hæreticus? Guillelmus Ocam parte prima suorunt
dialogorum, libro tertio, capite secundo & tertio, dicit
talem esse dicendum hæreticum. Ego tamē ab illo in hac
parte longissimè discedo, & merito: quia omnis hæreti-
cus ab ecclesiæ Catholicæ domo quam semel per baptis-
mum intrauerat, exit. Nam beatus Ioannes de hæreticis

i. Ioan. 2.

in sua prima Canonica epistolæ loquens postquam illos
Antichristos esse dixerat, hæc ait: Ex nobis exierunt: sed
Didymus. non erant ex nobis. Didymus Alexandrinus in exposi-
tione huius epistolæ declarat quo pacto hæretici sint di-
cendi Antichristi, sic inquiens. Consequēs est enim quod
qui semetipso collegio fidelium segregarunt, Antichris-
ti sunt. Quomodo non sunt Antichristi, qui contraria
sapient, quam Christi confitetur ecclesia? Hęc, Didymus.
Hi Antichristi ex nobis exeunt, quia ab ecclesiæ vnitate
cui se in Baptismo inseruerunt, separantur, sed ex nobis
non erant, quia inter illos qui ad gloriam æternam sunt
prædestinati, non sunt numerati. Hoc autem sic probat
Beatus Ioannes. Nam si fuissent (inquit ille) ex nobis per
mansissent utique nobiscum. Omnis igitur hæreticus ab
ecclesiæ domo recedit. At qui ecclesiæ domum nunquam
intrat.

Intrauit ab illa recedere non potest, eadem igitur ratione consequitur ut qui ecclesiā nondum intrauit, hæreticus esse non possit. Ille autem qui non iuxta veram & necessariam Baptismi formam est baptizatus, sicut non suscepit verum Baptismum, ita nec etiam intra ecclesiā dominum intrauit. Ille ergo quamvis in hæresim aliquam labatur eamque pertinaciter tueatur, hæreticus dici non debet. Hoc autem tunc verum esse credo, quando ille sciuit se vera Baptismi forma qua omnes Christiani videntur non esse baptizatum, & vult sic permanere. Tunc enim nec baptizatus esset Baptismo fluminis, nec Baptismo flaminis. Alioqui si ipso nesciente sic baptizatus est, putans se bene baptizatum, tunc si usum rationis habet quamvis non sit baptizatus Baptismo aquæ, est tamen baptizatus interiore Baptismo, & hoc (ut supra diximus) satis est, vt hæreticus meritò dici possit.

Quarta dubitatio est. An ille sit dicendus hæreticus qui alicuius hominis opinionem tam firmiter tenet & docet, ac si esset verus articulus fidei: & ita pro illius opinionis defensione est mori paratus, sicut ficeret pro illis quæ ad fidē pertinere sunt nota? Et certe de hac re libenter vellem aliorum audire sententiam quā dicere meam. Dicam tamen quod sentio ne gratis videar mouisse quæstionem. Ego quidem non dubitarem talem dicere hæreticum, propterea quod ille talis errat in fide, & pertinaciter. Omnis autem qui post susceptum baptismum, pertinaciter circa fidem errat, concordi omnium recte sapientium sententia censetur hæreticus, ergo iste de quo presens agitur sermo censendus est hæreticus. At quod iste talis erret in fide, quia fortè aliquis dubitabit, dubitationis causam tollam testimonio Augustini qui errorem definiens in Enchiridio ad Laurentium cap. 17. sic ait. Nihil aliud est errare quem verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertumque pro certo, siue falsum sit, siue verum. Hæc ille. Iste qui alicuius opinionem putat esse Catholicam fidem, & tam firmo animo illam opinionem ac fidem Catholicam tueretur, incerta tenet pro certis, ergo iuxta Augustini sententiam, errat. Præterea iste sic sentiens, eo ipso ecclesiæ Catholicæ contumeliam facit, & illam in fide errare putat,

quia

August.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

quia illa quæ iuxta istius sententiam sunt certissima, ^{Nec} Ecclesia tenet pro incertis. Errat ergo, iudicio istius ecclesie: quia (vt Augustinus dixit) errare est certum habere pro incerto. Hæc autem de ecclesia quæ diuino semper illus: stratur spiritu quisquis putauerit, hæreticus ab omnibus Catholicis censebitur. Merito igitur, ille dicetur hæreti: cus qui alicuius hominis opinionem tam obstinato ani: mo ac fidem Catholicam tuetur. Ut autem quod dicimus clarius ostendamus, exēplum aliquod ob oculos propo: nere decreui. Ecclesia nihil de conceptione deiparæ virgi: nis hactenus definiuit, an fuerit cum peccato originali aut sine illo cōcepta? sed liberum cuiq; dimittit, vt quam voluerit, de hac re teneat opinionem. Sic enim definiuit. Sextus Pontifex huius nominis quartus, in extrauagan: ti quæ incipit. Graue nimis, quam decretalem extrauagan: tem concilium Tridentinum sessione quarta confirma: uit. Si quis stante hac ecclesiæ definitione, alterutram op: nionem tam firmo animo tueretur, vt illam putaret esse fidem Catholicam, & admonitus de hac re, in eadem ni: hilominus sententia tam pertinaciter perseuereret vt pro illa sit mortem subire paratus, hic talis absque vlla dubi: tatione erit censendus hæreticus. Quia ecclesiæ definī: tioni sic parere refugit, vt illā errare pertinaciter credat, cum ea quæ istius iudicio sunt certa, illa pro incertis te: neat. Ego quidem virginem deiparam sine peccato origi: nali conceptam fuisse credo. Quia hoc magis pium est, & magis dignitati Matris Dei conueniens, & filij eius to: tius generis humani redemptoris, dignitati, & excellen: tie, nec pilum detrahens. Attamen non tam firmo animo hanc teneo sententiam, vt illam putem esse fidem Catho: licam, atque ideo pro huic sententiæ tutela, non libenter ceruicem gladio opponerem. Et iuxta hunc modum de aliis iudicandum esse arbitror: ita vt quisquis opinionem aliquam de rebus fidei differentem tam firmo animo & tam certo tueretur, vt tueretur fidem Catholicam, sit hæ: reticus censendus. Nam fidem Catholicam tam constanti: animo quisque tueri tenetur, vt si Papa, aut conciliū uni: versale recte congregatum Deus contrarium docere per: misisset, imò nec si angelus de cœlo (vt ait Paulus) oppo: situm annuntiasset, illi credere non deberet. Tam con: stantem

stantem autem animum circa illa, quæ de rebus fidei sub contiouersia tractantur, nemini citra hæresis notam licet habere. Nam qui tam firmo animo huiusmodi sententias contioueras tueretur, ut Ecclesiæ a iud dicentis non esset obediens paratus, eo ipso putaret Ecclesiam in fidei definitione errare posse, quod est apertissima hæresis. Si quis vero aliquam opinionem de rebus fidei disserentem, quantumlibet firmo animo teneat: & putet illa esse fidem Catholicam paratus tamen Ecclesiæ aliud docenti obedire, etiam si erret, nunquam ob hoc dicetur hæreticus.

QVID SIT PERTINACIA, ET
quis sit pertinax dicendus, vt per hoc mea-
ritò hæreticus possit censeri. Cap. IX.

QVanuis longam, & (vt arbitror) satis exactam de hæretici definitione disputationem fecerim propterea id tamen quod de pertinacia ibidem dictum est quisquam forte hæsitare poterat nesciens quid esset per-
tinacia: & quis esset pertinax censendus: vt (si alia ad sint) posset meritò hæreticus appellari. Ut igitur rem vndiq; absolutam relinquerem : visum fuit mihi necessarium, hunc nodum, in quo non modica videtur esse perplexi-
tas explicare. Pertinacia a pertendendo dicitur. Nam (vt dixit Marcus Varro) in quo non debet pertendi, &
quis pertendit, pertinacia est. In quo vero oporteat ma-
nere, si in eo persistet, perseverantia vocatur. Aliquando tamen in bonam partem sumitur pro perseverantia.
Seneca lib. 7. de beneficiis. Vincit malos pertinax boni-
tas, & Liuius ait: Vincit omnia pertinax virtus. Vterque pertinacem dixit pro perseverante, propter nimiam illo-
rum inter se vicinitatem. Nam (vt ait Cicero in officiis)
pertinacia finitima est perseverantia, quia utraq; in re-
bus cœptis persistit. Separantur tamen per id, circa quod
versantur: quia perseverantia occupatur in bono, perti-
nacia in malo. Hac igitur vocis significatione premissa,
rei definitionem statuere oportet, iuxta quam sit quilibet de pertinacia examinandus. Pertinax est, qui per-
sistit in errore, quem sub reatu culpæ deserere tenet. Ex
prima huius definitionis parte colligitur non solù illum esse pertinacem dicendum, qui falsum asserit: sed qui de

G veris.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Veritate dubitat. Quoniam (vt supra septimo huius libri capite diximus) ita errat, qui de certa veritate dubitat: sicur qui aliquid illi contrarium asserit. Quo fit, vt ita etiam quis possit esse pertinax dubitando id, de quo dubitare non licet: sicut esset pertinax asserendo aliquid contra id, quod credere tenetur. Et ob hanc causam loco proxime citato docuimus, dubium in fide esse dicendum hæreticum, si cum pertinacia dubitauerit. Tunc autem aliquem in errore persistere dicimus, quando admonitus, errorem suum reuocare contemnit. Deinde additum est in definitione pertinacis, q̄ teneatur deserere errorē in quo persistit: quoniā licet quis erret, si errorem suum relinquere non tenetur, nequaquam erit pertinax dicens. Multi quidem sunt errore aliquo decepti, qui sic errantes, non peccant propterea q̄ veritatem illi errori op̄ positam scire non tenentur. Potest enim quis citra omnē culpam errare circa numerum, & vim elementorum, motum cœlorum, effectus syderum, naturas animalium, & cetera huiusmodi, ad quæ scienda, fides Catholica non cogit. Nam Augustinus de huiusmodi erroribus loquens in Enchiridio cap. 21, ita ait: In his atq̄ huiusmodi falsitatibus, salua fide, quæ in nobis est, fallimur: & via non resticta, quæ ad illum nos ducit, erramus. Qui errores etiā si peccata non sunt, tamen in malis huius vitæ deputandi sunt, quæ ita subiecta est vanitati, vt approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Hæc Augustinus. Nec in his solū: sed etiam in his, quæ sunt in sacra scriptura expressa, possunt multi sine omni labe peccati errare: quia cū nō omnes teneantur scire omnia ibidem contenta, oportet, vr̄ quī per ignorantiam alicuius illorum errauerit, sit (vt supra docuimus) excusatus à culpa. At errans qui non peccat, pertinax non est censendus: quoniam pertinax sine peccato esse non potest. Ex quibus colligimus illum, qui in errore aliquo persistit, nō esse dicendum hæreticum, nisi errorem suum sub reatu culpæ deserere teneatur. Videntur igitur quis teneatur renuntiare errori, quem asserit, aut ruetur, & inde luce clarius euadet, quis sit pertinax censendus. De hac re hanc in primis statuo certam regulam. Quisquis scit assertionem suā esse contra sa-

crum

etram scripturam, aut alicuius cōciliī generalis decretum
aut Papæ legitimam definitionem, aut cōtra cōmunem
omnium Catholicorum doctorum sententiam, aut con-
tra tacitum totius Ecclesiæ consensum, errat, & peccat, &
si à peccato liberari cupit, tenetur statim errorē suū reuo-
care. Is igitur, qui sic sciens errat, statim sine vlla ulterio-
ri monitione est pertinax censendus. Quoniā sacra scrip-
tura, aut Ecclesiæ definitio, quam optimè nouit, plusquā
pro centum, nedum pro duabus, aut tribus monitionis-
bus valet. Nam sicut qui agit contra præceptum cuius
transgressioni est à iure adiuncta excōmunicatio, cense-
tur contumax: quia quanvis nulla præcesserit hominis
admonitio, præcessit tamen iuris cautio, quæ pluris est
extimanda, quam tres hominis monitiones, ita etiā, qui
contra scripturam sacram, aut Ecclesiæ diffinitionem sci-
ens errat, etiam si nulla illi fuerit adhibita admonitio,
pertinaciter errare dicetur. Cæterum si quis contra aper-
tam Catholicæ Ecclesiæ sententiam aliquid asserat, prop-
terea: quia ignorat id, quod asserit esse contra fidem Ca-
tholicam, non est pertinax, & per consequens, neq; hære-
ticus censendus. Neq; ad id dicendum gratis moueor,
sed plurimis sanctorum doctorum autoritatibus, & vi-
gentissima ratione motus id assero. Poteſt quidem fieri,
ut quis in vniuersali fidem Catholicam habeat, credens
omnia in scriptura sacra contenta, & omnia, quæ Eccle-
sia tenet, & docet, esse vera, & nihilominus erret circa ali-
quod particolare: quia ignorat illud esse contra scriptu-
ram sacram, aut contra Ecclesiæ determinationem, imò
potius credit Ecclesiam ita sentire, sicut ipse sentit, & pro-
pterea credit, quia putat Ecclesiam ita credere, non credi-
turus, si constaret sibi Ecclesiam aliter sentire. Nullus fa-
næ mentis dicet hunc talē peccare: quia ignorantia il-
lum excusat, si res est talis, ut ille eam scire nō teneatur.
Nam Christus Pharisæis loquēs ait: Si cæci essetis, nō ha-
bereris peccatum. Quæ verba exponēs Theophylactus su-
per Ioan. ait: Vos quidē de corporali cæcitate interroga-
tis, ego autē de animi cæcitate dico, q; si essetis cæci, hoc
est, imperiti scripturarū, non habereris tale peccatum: quia
per ignorantiam peccaretis. Hæc ille. Certum est enim nō
omnes eadem lege teneri circa fidem: quoniam plus exi-

G 2 gitur

Ioan. 9.
Theop.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

gitur, à viro docto, quā ab idiota, plus à viro ecclesiastico & facris dedito, quā à laico & prophano, plura oportet scire prælatum quā subditum. Labia sacerdotis (atque Deus per Malachiam prophetam) custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Prælatos & prædicatores licet ignorantia saepe excusat ab hæresi, non tamen ita excusat à peccato: quia tenentur scire omnia, quae ad officium suū exequens dum sunt necessaria. Nihil debet prædicator coram populo effundere, quod non sit illi perfecte exploratum, & de quo non sit certus verum esse, quod prædicat, & si per ignorantiam errauit, ignorantia non excusabit illum à peccato, quia tenebatur scire. Si tamen re vera paratus est corrigi cum Ecclesia aliud docuerit, quanvis peccauit quia quod ignorauit, docere tentauit, non tamen est hæreticus censendus, & per consequens non tanquam hæreticus, sed tanquam temerarius erit puniendus. Alii viri docti possunt per ignorantiam excusari aliquando etiam in his, quae sunt explicitè damnata: quia videlicet nesciebant esse damnata. Non enim tenentur viri eruditii scire omnes hæreses, quae sunt aperte damnatae: quia non omnia conciliorum decreta scire tenentur, & ideo si per ignorantiam aliquid dixerint, parati corrigi non sunt hæretici censendi. Plebs indocta, & promiscuum vulgus non tenetur scire plusquam eos fidei articulos qui in Apostolorum symbolo explicantur, neq; ad subtilem illorum intelligentiam obligatur, sed satis est illi si grosso modo intelligat, dummodo hanc habeat animi promptitudinem, ut paratum sit credere quidquid aliud Ecclesia docuerit. Si rusticus homo quidquā aliud præter hos fidem articulos ignorauerit, non peccabit, quia ignorantia illius excusabit. Ex quibus apertissime consequitur, ut talis ob hanc causam hæreticus non sit dicendus, quia error cui non est adiuncta malitia, non valet hominem efficere hæreticum. Nullus enim homo qui est sine peccato, est hæreticus censendus, quoniam qui est sine peccato, est in statu salutis, hæreticus autem non est in statu salutis, quia sine fide (ut ait Paulus) impossibile est placere Deo. At vulgaris homo qui errauit per ignorantiam eorum quae scire non tenebatur, est sine peccato, ergo ille talis non est hæreticus censendus. Præterea b. Augustinus in

Mala. 2.

Heb. II.

libro

libro de Baptismo contra Donatum hoc idem confirmat
sic inquiens. Si aliquis hoc idem sentiat de Christo quod
Fotinus opinatus est, & in ecclesia Catholica baptiza- August,
tur, & hoc credit esse fidem Catholicam, nondum
dico esse hæreticum, nisi manifesta doctrina Catholicæ
fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. Hæc Augustinus. Et beatus Hieronymus in epistola
quadam ad Damasum, hic fauet sententia, sic inquiens.
Si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio
comprobatur, quicunque me culpare voluerit se imperi- Hieron.
tum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, sed hæ-
reticum comprobabit. Hæc Hieronymus. Et habentur hæc
verba in cap. Hæc est fides. 24. q. 1. In quibus verbis Hiero-
nymus innuit non omnem qui contra Papæ iudicium &
determinationem sentit, esse dicendum hæreticum, quia
possibile fore censuit ut talis per imperitiam & igno-
rantiam sic sentiret. Quod si contigisset, non putauit il-
lum dicendum esse hæreticum, sed imperitum; atque ideo
non dixit absolute illum talem esse dicendum hæreticum
sed sub disunctione posuit imperitum vel maleuolum,
vel hæreticum. Ex his omnibus colligimus nullum ho-
minem etiam si quamlibet pestilentem errorem teneat
& doceat, dicendum esse hæreticum si absente malitia ex
sola id dixerit ignorantia. Qualiter autem poscit quis à
pertinacia per allegationem ignorantiae excusari, hoc
iura positiva docent, quibus inter alia dicitur. Allegans
ignorantiam probare debet illam. Tradunt etiam iura
quibus argumentis, testibus & iudiciis possunt & debent
iudices ecclesiastici presentem vel præteritam ignoran-
tiam in errante conuincere. De hoc solo hæretorum in-
quisitores admonere decreui, ut cum aliquem in fide er-
rantem comprehendenter, diligenter considerent perso-
næ & erroris qualitatem, & his bene circumspectis facile
intelligent quis & in quo errore poscit per ignorantiam
ab hæretici nota excusari. Quia si res quam asserit est ex
illis puas non omnes scire tenentur inuestigandum est pri-
mo an possit per testes aut alio modo cōuinci illum scire
assertionem suam esse contra fidem Catholicam? & tunc
merito pertinax & per consequens hæreticus merito cen-
sebitur. Si autem illum sic scire, aperte probari nō poscit,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Tunc examinandus est an sit paratus eam fidem suscipere quam Catholica tenet Ecclesia? & si se vere paratum ostenderit, tunc per ignorantiam illum errasse credendum est, & ob id pertinax non dicetur. Si autem non sit paratus eam fidem suscipere quam Catholica tenet ecclesia, ob eam solam causam pertinax & hæreticus dicetur. Et quod de ignorantia diximus, hoc idem de obliuione dicendum esse censeo, quia qui rei alicuius est prorsus oblitus, tunc censeri debet ignarus. Et certè hic talis quantus in fide erret etiam cù: ca illa quæ eum olim sciuisse constat, si se oblitū iam fuisse quovis modo persuadere poterit, est à pertinacia & hæresi excusandus. Persuadebit autem se fuisse oblitum si eum reuocatum fuerit ad memoriā id cui contradicit, statim sine villa repugnantia illud complectitur, & errorem suum reuocat. Nam hoc modo aliquos sanctos doctores ab hæresi excusamus, qui nūlo modo excusari possent, nisi illos cum aliqua dixerunt, aliorum quæ illos legisse certum est, oblitos esse credemus. Hieronymus siquidē exponens illud saluatoris apud

Mat.16. Matthæum, Quem dicunt homines esse filium hominis?
Hieron. Hæc ait: Non dicit quem me dicunt esse homines? ne instanter de se quærere videretur. Hæc Hieronymus. Quæ

Luc.19. Hieronymi interpretatio apertissime contradicit Lu: cæ Euangeliste qui eandē narrans historiam, refert Christum dixisse, Quem me dicunt esse turbæ? Credendum est tamen Hieronymum cum illa scripsit, oblitum fuisse huiusmodi verborum Luc. Idem beatus Hieronymus in commentariis super Matthæum interpretans illud ex Matthæi nono, Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam dicit. Ciuitatem eius non aliam intelligimus quam, Nazareth: vnde Nazaræus appellatus est. Hæc ille. Hæc tamen interpretatio, apertissime contradicit Marco Euangelistæ, qui capite secundo eandem narras historiam, dicit ciuitatem illam in quam tunc Christus intravit esse Capharnaum. Beatus Ambro: sius interpretans nonum Lucæ caput, dicit Jacobū illum qui Christum in monte transfiguratum simul cum Petro & Ioanne vidit, fuisse primum Hierosolymitanū episcopum. Hæc tamen sententia velut ex diametro pugnat

Ambro.
Mat.17. cum Matthæo, qui transfigurationem Christi describēs, dicit

dicit Jacobum illum fuisse fratrem Ioannis, qui (ut ex historia Actuum Apostolorum conuincitur) non fuit Hie rosolymorum Episcopus. Multa alia similia apud sacros, & sanctos doctores, inueniuntur, nec tamen per hæc, eorum sanctæ vitæ, aut doctrinæ, vel tan: illum detractum est. Piè siquidem credendum est illos hæc tunc scripsisse non recolentes nec attendentes quid de illa re alibi scriptura sacra narasset, & si illam attendissent, nequaquam ea, quæ scripserunt, scripsissent. Verum hic admonere oportet lectorem, ut non statim aliquem pertinacem, & hæticum censeat, quamvis ille propositionem asserat, quam scit ab Ecclesia damnatam, nisi in illo sensu eam asseruerit, in quo scit esse ab Ecclesia damnatam. Poteſt quidem fieri, vt vna propositio ab ecclesia damnata plures habeat sensus, vnum falso, iuxta quem ab ecclesia reiicitur, aliud verum, iuxta quem minime damnatur. Hæc enim propositio: Deus creat mala, hæretica est, & ab Ecclesia damnata. Nam beatus Augustinus in libro de hæresibus cap. 67. Florinianos dicit esse hæreticos ob id solum: quia Deum creasse mala dicebant, contra scripturam sacram, quæ ait: Vedit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et cap. 65. Idem pater Augustinus inter hæreticos recenset Coluthianos: quia Deum creasse mala negabant, contra id, quod Deus per Esaiam prophetam dicit: Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Hæc autem simul stare non possunt, ut ambo contradictoria falsa, & hæretica esse dicantur, nisi utrumque eorum duplum sensum habeat, ita ut iuxta vnum sensum vera, & Catholica assertio, iuxta alium vero falsa, & hæretica censeatur. Est enim malum quoddam poenæ est etiam malum aliud culpe. Creat igitur Deus mala (ut Augustinus ibidem ait) poenas iustissimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas, atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantię: qua in se Florinus errabat. Si quis igitur hanc damnatam propositionem asseruerit: Deus creat mala, aut illius contradictriam: Deus non creat mala, quāvis sciat esse ab ecclesia damnatam, non est ob hoc pertinax & hæreticus censendus, nisi in illo sensu asserat, in quo scit esse ab Ecclesia

Gene. I.

Esa. 45.

Hilarius. damnatam. In cuius rei confirmationem, dicit Hilarius in libro de trinitate. De intelligentia enim hæresis non de scriptura orta est, & sensus non sermo fit crimen. Hæc ille. Circa præfata hoc vnum addere statui, & de illo admonere lectorem decreui, ut omissa quæ hoc cap. diximus de illo qui firmo animo aliquid cōtra fidem Catholicam asserit, illa etiam de illo qui dubitat, dicenda esse putet, ita ut qui de aliquo eorum quæ scit ab ecclesia Catholica pro fide teneri, dubitat, etiam si nulla præcedat monitio, pertinax & (vt alio capite diximus) hæreticus meritò dicetur: quoniam is talis etiam errat, & persistit in errore quem sub interminatione gehennæ deserere tenetur.

August. Secunda de pertinace regula sit hæc. Quisquis contra fidem quam ecclesia Catholica tenet, per ignorantiam errat, si legitime admonitus fuerit, tenetur errorem suum reuocare, & si non fecerit, est pertinax, & hæreticus censendus. Hæc regula probatur testimonio beati Augustini contra Manichæos sic dicentis: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti ut sanum, rectumque sapient, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt: sed defensare persistunt, hæretici sunt. Hæc Augustinus, & habentnr. 24. q. 3. cap. quia in ecclesia. Sed fortè contra hanc regulam quis obiiciet quod is, qui per ignorantiam in fide errat, putans verum esse, & Catholicum, quod asserit, non tenetur errorem suum reuocare: quia sic reuocans mentiretur, & qui contra conscientiam agit (vt commune Theologorum prouerbium ait) ædificat ad gehennam. Hanc obiectionem facilime reficimus, dicentes hunc tales qui per ignorantiam in fide errat falsum pro vero asserens: sicut tenetur errorem suum verbum reuocare, ita etiam tenetur sententiam mente mutare, & conscientiam deponere, vt quod prius credebat esse verum, postea credat esse falsum. Prius quidem mentis sententiam mutare tenetur, deinde vero errorem suum ore reuocare. Quo ordine seruato, corde credit (vt Paulus præcipit) iustitiam, & ore faciet confessionem ad salutem.

Rom. 10. Tertia regula sit hæc: Omnis qui per ignorantiam in fide errat postquam fuerit, quamvis non legitime, de errore

errore suo admonitus, tenetur diligenter veritatem inquirere, & viros doctos & Catholicos de ea re consulere animo amplectendi eam doctrinam, quæ ab illis sibi fuerit ostensa. Hanc sententiam docet Augustinus in epistola ad Gloriū, & Eleusium, quæ est in ordine epistola: rum illius.¹⁶² sic inquiens: Qui sententiam suam quantus falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint: sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, ne quaquam sunt inter hæreticos deputandi. Hæc Augustinus. In quibus verbis id considerandum est quod ait, & querunt cauta solicitudine veritatem, ex quibus satis aperte colligitur eum qui in fide Catholica errat, si veritatem cauta solicitudine querere contemnit, esse pertinacem & hæticum censendum.

Quarta regula sit hæc: Omnis qui contra fidem quam Catholica tenet ecclesia per ignorantiam errat, & iurat se nunquam assertionem suam deserturum statim absq; vlla prævia admonitione est pertinax & hæreticus censendus. Huius regulæ certitudo sic conuincitur. Quisquis non est paratus corrigi, est pertinax censendus, sed qui iurat se non discessurum ab ea sententia quam tenet, nō est paratus corrigi, ergo ille est pertinax censendus. Sed contra hoc quis forte arguet, dicens hunc talem non esse pertinacem: quia cùm hic per ignorantiam erret, non tenetur errorem suum reuocare nisi prius admonitus fuerit, ex quo videretur colligi illum non esse dicendum pertinacem. Nam iuxta ea quæ superius diximus, nullus est dicendus pertinax qui nō tenetur reuocare errorem quem tenet. Respondeo concedens hunc talem non teneri, ad reuocationem sui erroris, ante admonitionem, tenetur tamen non tam firme animo suo errori adhædere, vt non sit paratus obedire corrimenti. Tenetur quidē illam animi firmitatem reuocare, vt paratus sit obedire iis quibus obedire tenetur & illorum doctrinam suscipere. Sed dices. Nunquid hic talis poterit per ignorantiam à pertinacia excusari? Nam ignorantia excusat à mendacio illum qui afferit falsum quod putat esse verum, iuxta sententiam

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

August. tentiam Augustini in Enchiridio, dicentis. Nemo mens-
tiens iudicandus est qui dicit falso quod purat verum,
quia quantum in ipso est, non fallit ipse sed fallitur. Hæc
ille, & habentur hæc verba in cap. Is autem. 22. q. 2. Fateor
quidem aliquem excusari posse à mendacio, qui tamen
nullatenus à temeritate excusari potest. Propter quod
Augustinus post illa verba quæ nūc proxime citauimus,
continuo hæc subiungit. Non itaq; mendacij sed aliquā-
do temeritatis arguendus est qui falsa incautus credit &
pro veris habet. Hæc Augustinus. Ita etiam ego dico il-
lum qui iurat se nō recantaturum sententiam suam, quā
per ignorantiam putat esse veram, excusari ab errore &
mendacio, sed nō excusari à temeritate iuramenti, & ab
illa animi firmitate quæ omnem prorsus correctionem
excludit. Et de aperto pertinace hæc dicta sat erunt.

QVALIS DE BEAT LEGITIMA admonitio esse, vt qui illam contempse- rit, sit meritò pertinax censendus.

Caput. X.

Multi sunt circa fidem Catholicam errantes, qui
(vt præcedente capitulo præfati sumus) antequam
legitimè admonescantur, errorem suum reuocare non te-
nentur, atque ideo ante huiusmodi admonitionem non
sunt pertinaces censendi. Cùm igitur horum pertinacia
vt manifestari possit, ex admonitione pendeat, operæpre-
cium, & necessarium fuit de admonitione differere, qua-
lecm illam esse oporteat, & à quo sit facienda, & quoties
iteranda, vt legitima meritò censeatur. Ut autem hæc om-
nia melius absolvantur, varias hæresum conditiones &
qualitates ante omnia considerare oportet, quoniam iu-
xta illarum varietatem, diuersam etiam admonitionem
sieri oportebit. Sunt enim aliquæ hæreses apertè dñatae,
aliæ sunt non apertè sed latenter dñatae. Apertè damna-
tas hæreses illas esse dico, quæ per expressam ecclesiæ defi-
nitionem sunt damnatae aut quarum cōtradictoriæ sunt
expressæ & manifestæ in sacra scriptura aut ex aliis in sa-
cra scriptura contentis manifestissima cōsequentia dēdu-
cuntur. Si quis gratia exempli diceret. David non fuisse
Regem, hæresis esset apertè damnata quia licet nō sit in
aliquo

aliquo concilio damnata, illius tamen contradictoria est expressa in sacris literis. Si quis etiam diceat, et Jacob Patriarchā non esse nepotem Abrahæ, hæresis esset apertè damnata, quia licet contradictoria illius non sit expressa in sacra scriptura sub eisdem vocibus, manifestissima tamen cōsequentia colligitur ex aliis in eadē scriptura cōtentis. Nam illi habetur Jacob esse filiū Isaac. Et Isaac filium Abrahæ: ex quibus evidenter colligitur Jacob esse nepotem Abrahæ. Hæresis non apertè damnata est illa, quæ non est damnata per expressam ecclesiæ definitionem, neque illius contradictione est expressa in sacra scriptura aut ex aliis in sacra scriptura contentis manifestissima & immediata consequentia deducitur, sed solum per ambages & per multos discursus, qui non sunt omnibus noti, ex aliis contentis in sacra scriptura conuincitur esse hæretica. Tales sunt omnes istæ propositiones. Non sunt tres partes penitentiæ. Aqua benedicta nullius prorsus est valet plusquam aqua non benedicta. Omnes benedictiones, quas ecclesia facit aut dicit super aquam, vinum, panem, salem, cæram, & cætera huiusmodi, sunt irridendæ, & contemnendæ. Christianis nullo pacto bellare licet. Animæ in purgatorio possunt mereri, & demereri. Episcopi non sunt superiores simplicibus sacerdotibus. Omnes istæ assertions sunt hæreticæ, non tamen expresse damnatae, nec facilè quisque cognoscet illas esse hæreticas: quia ut hæreses esse pateat, multis argumentationibus est opus. Multos oportet facere discursus, & longa indiget lectione, quisquis illas propositiones hæreticas esse conuincere voluerit. Hac igitur hæresum varietate præmissa, aliquas certissimas cōclusiones subiungam, ex quibus quidquid ad hanc rem pertinet facillime colligi potest. Sit igitur hæc prima conclusio. Si quis in hæresim apertè damnatam inciderit, ut errorem suum reuocet, ad monendum est per expressam hæresis suæ damnationem, ostendendo illi expressam ecclesiæ definitionem, aut contradictionem illius hæresis ostendendo in sacra scriptura, aut contradictionem illius evidenti, & immediata consequentia deducendo ex aliis in sacra scriptura contentis. Nec opus est hanc admonitionem iterato facere, ut ille legitimè admonitus sit dicendus: quia & si se-

si semel duntaxat id fiat, legitima dicetur admonitio.
 Nam legitimam admonitionem nos illam esse dicimus,
 per quam tam aperte ostēditur errantii assertionem suam
 Catholicæ veritati repugnare, vt quisquis deimens non
 fuerit, fateatur illum aperte esse de errore conuictum. Ex
 his sequitur, vt qui huiusmodi admonitionem nō suscipit:
 sed illa posthabita errorem suum reuocare contemnit,
 pertinax, & per cōsequens hæreticus sit censendus. Nam
 hic talis ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ iam est sibi mani-
 feste ostensa, oppugnare non veretur: quo sit, vt (tuxta
 illa, quæ in præcedentī capitulo diximus) non sit corrigi
 paratus, & ita pertinax sit dicēdus. Sed nunquid si taliter
 errans habet aliqua argumenta, quibus motus est, vt er-
 rorem illum teneret, licebit illi ante erroris sui reuoca-
 ne, talium argumentorum dissolutionem petere? Mi-
 nime: Quia tenetur captiuare intellectum suum in obse-
 quium fidei. Et (vt Hieronymus ait) fides pura, & aperta
Hieron. confessio non querit strophas, & argumenta veborum.
 Postquam autem errorem suum reuocauerit, tunc licebit
 illi argumentorum quibus ligatus erat ne veritatem ag-
 nosceret, solutionem petere, vt fidem quā credit, melius
 intelligere valeat, & in illa plenius confirmari. Fortè ad-
 huc insuper quis interrogabit. An liceat huic sic post er-
 rorem suum admonito, à Parrhoco ad Episcopum, & ab
 episcopo aut inquisitore ad summum Pontificem appell-
 are? Respondeo quod illi qui legitimè admonitus aut
 correptus est appellare nō licet, & si appellare tentauerit,
 eius appellatio est inanis & maligna censenda. Quo sit
 vt non obstante tali appellatione, sit per ecclesiam tanquam
 pertinax & hæreticus censendus. Nam ea quæ iam semel
 sunt legitimè per ecclesiam definita nō opus est vt nouis
 posimodum tractatibus iterum definiantur. Vnde Leo
 Papa huius nominis primus epistola vigesimasecunda
 scribens Martiano Augusto de his quæ in concilio Chal-

Leo cedonensi tractanda erat, sic ait. Per Dominum nostrum
Papa. Iesum Christum qui regni vestri est autor & rector, obte-
 stor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti synodo
 fidem quā beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam
 prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, &
 quæ olim maiorum sunt autoritate damnata, rediunis
 non

non permitta:is conatibus excitari. Hæc Leo Papa.
 Et idem dicit Gelasius Papa. in cap. Maiores. 24. quæst. 1.
 & Felix Papa in cap. Achatius. eadem causa & quæstio:
 ne. Secunda conclusio: Qui errat afferens aliquam hære:
 sim non apertè damnataam quanuis sit admonitus à præ:
 dicatore, aut Parrocho, aut Episcopo, aut alio quoquis ho:
 mine summo Pôtifice inferiore, non tenetur reuocare er:
 torem suum, nisi per manifesta, & evidentia argumenta
 illi ostendatur assertionem suam esse contra fidem Ca:
 tholicam, præfetti: si est vir doctus, qui sciat intelligere
 argumenta, quæ contra talem hæresim possent afferri.
 Nam de viro idiota (vt infra dicemus) alia est habenda
 ratio. Quo fit, vt admonitio, quæ sine huiusmodi argu:
 mentis illi facta fuerit, non sit dicenda legitima. Hæc con:
 clusio probatur. Nullus præter summum Pontificem (vt
 supra cap. 5. diximus) potest de hæresi sic censere, vt il:
 lius censuræ omnes obedire teneantur, ergo ad nullius
 præterquam summi Pontificis monitionem tenetur quis
 assertionem non apertè hæreticam reuocare. Nam qui
 in his, quæ ad fidem spectant non tenetur alteri firmam
 fidem adhibere, non tenetur etiam ad solam simplicem
 illius monitionem, assertionem erroneam reuocare, quo:
 niam qui assertionem erroneam reuocat, debet assertio:
 nem contrariam firma fide tenere. sed subditi in his, quæ
 sunt fidei non tenentur prælati suis inferioribus fir:
 mani fidem præstare, quia tunc fides subditorum in sa:
 pientia hominum (quod Paulus negat) consisteret: ergo
 ad illorum simplicem monitionem non tenetur sub:
 diti errores suos reuocare. Præterea quisquis à sententia
 alicuius appellare potest non tenetur illius sententię obe:
 dire: sed à prælato monente subditum de errore, & non
 monstrante apertè per regulas fidei, quod error ille ve:
 ritati Catholicæ repugnet, licitum est appellare: ergo il:
 lius monitioni non tenetur obedire, & per consequens
 illius admonitio non est legitima censenda. Maior hu:
 ius syllogismi est manifesta ex definitione appellationis
 quoniam ab ea sententia, cui quis obedire tenetur, non
 licet illi appellare. Minor probatur autoritate Pelagiⁱ Pelagius.
 Papæ dicentis. Si verò in qualibet prouincia ortæ fue:
 rint quæstiones, & inter ipsos prouinciæ Episcopos dis:
 crepare

trepare cōperit ratio, atq; inter ipsos disidentes nō conueniat, ad maiorem tunc sedem referantur: & si illic quidem facile, & iustè non discernuntur, vbi fuerit synodus regulariter congregata, canonice & iustè iudicentur. Maiores verò & difficiliores quæstiones (vt sancta synodus statuit, & beata cōsuetudo exigit) ad sedem semper referantur Apostolicam. Hæc Pelagius Papa. Et habentur hæc verba in cap. Multis. 17. dist. Et idem ait Iulius Papa. in cap. Qui se. 2. qu. 6. Sed nunquid licebit illi, sic errantibus per ignorantiam, appellare ab Episcopo, aut inquisitore postquam per euidentia argumenta fuerit illi ostensum suam assertionem aperte repugnare Catholicæ veritati? Si argumenta talia sunt, quod iudicio virorum doctorum manifestissimè Catholicæ veritatem probant, nequaquam licebit appellare. Si verò argumenta nō sunt tam euidentia, non est illi interdicta appellatio. Forte causam petes cur magis hic, quam ibi liceat appellare. Causa est manifesta: quia is, qui per euidentia argumenta admonitus appellat, nullā habet appellationis occasionem quapropter sic appellans peccat, etsi ab appellatione non recedit, rebellis & proterus, & pertinax est censendus, & velut talis puniendus. At is, qui non est per manifesta argumenta admonitus, iustā habet appellationis causam: quia nondum sibi est manifeste ostensum assertiōnēm suā Catholicæ veritati repugnare. Is etiam, cui nondum est Catholicæ veritas aperte ostensa, si aliqua habet, quanuis falsa argumenta, quibus impellitur ad tuendū assertiōnēm suā, iustè potest petere huiusmodi argumentorū solutionem, antequā errorem suum reuocet. Hoc tamen (vt proxime diximus) non liceret si iā per euidentia argumenta esset sibi veritas ostensa. Rursum eadē conclusio probatur sic. Episcopus debet esse paratus (vt beatus Petrus ait) omni poscenti rationem reddere de ea, quæ in eo est fide: ergo subditus non tenetur ad simplicem Episcopi admonitionem errorem suum reuocare: nisi ille rationem reddiderit, per quā conuincat tales errorem fidei Catholicæ cōtradicere. Ifra collectio est euidentis: quia si aliquis absque redditâ ratione teneretur assertiōnēm suā velut errorneam reuocare, alius nō teneretur illi rationem reddere, ut per illā cogat illum ad assertiōnēs suā reuocationem.

1. Pet. 3.

Verum

Verum hæc cum solis viris doctris facienda esse censeo: quoniam hi ea, quæ sibi ad probationem Catholicae veritatis offerentur argumenta intelligent. Idiotæ vero sicut argumenta, quæ illi possent ostendri, non intelligunt: quo sit, ut illi non sint dicenda: quia esset solum verberare acrem, & inuanum verba proferre. Is enim (ut ego censeo) ad solam Parrhocum aut saltem Episcopis simplicem admonitionem suum tenetur reuocare errorem. Si autem Parrhocum & Episcopum contemnit, propterea quia ignorantes, ut frequenter eos esse contingit, putat, tunc inhibendi sunt viri docti, qui simplici verbo sine vlla argumentatione illum iterum, atque iterum admoneant: quos si secundo & tertio contempserit, erit (meo quidem iudicio) pertinax censendus. Ex his omnibus apertissimè convincitur errasse Bartolum, qui in l. Tutor. paragrapho.

Bartolus.

Tutores ff. de suspec. tut. dicit illum esse cendum hæc ticum pertinacem, & velut talē puniendum, qui inquisitori aliquid asserenti non credit. Si omnes tenerentur semper credere inquisitori aliquid asserenti, verum esset, quod dicit Bartolus omnem illum cendum esse pertinacem, qui inquisitori aliquid de fide asserenti credere contēnit. Tunc enim ille persisteret in ea sententia, à qua recedere tenetur, atque ideo iuxta pertinacis definitionem, meritò pertinax dicetur. At non ita est, ut oēs necessariò teneātur credere semper inquisitori aliquid asserenti, Alioqui fiet necessario, ut homines teneantur aliquādo errori, aut hæresi credere. Potest enim esse, ut inquisitor erraret in fide: quia per officium sibi confirmatum non est confirmatus in fide nec factus est indeuabilis. Nam si, qui plurimum Papæ auctoritati fauēt, admittunt illum errare posse in fide, si illam, quam tenetur circa veritatis examinationē, omiserit face re diligentiam. Sic docet Ioannes de Turre Cremata in summa ecclesiæ, libro secundo capite. 112. Multo ergo facilius errare poterit inquisitor, cum pro illo non rogauerit Christus, ut fides illius non deficeret, sicut rogassem pro Petro sacra perhibet scriptura. Non ego inquisitorem, qui euidam prædicatori indignatus est, eum quod publicè prædicauerat confessionem esse ex iure diuino necessariam, præcepitque illi, ut sententiam suam publicè reuocaret. Erat quidem inquisitor ille in iure cano-

Luc. 22.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

canonico peritus, qui sortè legerat glosam decretorum in principio distinctionis quæntæ de penitentia, dicentem confessionem non esse ex iure diuino: sed humano, & Abbatem in capi. Omnis vtriusque sexus. extræ de penitentia. & remissi. hoc idem afferentem, atque ideo prætauit hanc esse irrefragabilem sententiam. Percontabor igitur nunc Bartolum, an talis prædicator tenebatur tunc credere inquisitori afferenti confessionem non esse ex iure diuino: sed solum ex iure humano? Si dicat prædicatorem non esse ad hoc obligatum, falsum igitur hæratione conuincitur esse, quod dixit, omnem illum esse censendum hæreticum pertinacē, qui inquisitori aliquid afferenti non credit. Si vero dixerit Bartolus prædicatorem illum fuisse obligatū ad præceptum inquisitoris sententiam illam publicè reuocare, tunc fateatur necesse est prædicatorem illum fuisse obligatum veritatem Catholica recantare, & loco eius hæresim prædicare. Nam dicere confessionem peccatorū non esse ex iure diuino: sed solum ex iure humano, hæreticum est, & à sede Apostolica per apertam sententiam iam damnatum. Quam coram damnationem nos inseruimus in eo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidimus, in titulo de confessione. Neque à sola sede Apostolica damnata est illa sententia, sed etiam per generale concilium legitimè cōgregatum. Nam cōcilium Tridentinum, qnod sub Paulo tertio fuit inceptum, & postea illo defuncto sub Iulio tertio processit, sessione quarta sub eodē Iulio celebrata, in qua de sacramentali cōfessione me ibidem præsente tractatum est inter multos quos tunc de hac re protulit canones, tres potissimum videlicet, tertium, sextum & septimum ad hunc scopum direxit, vt anathematis vinculo innoderet eos qui dicunt confessionem sacramentalem non esse de iure diuino necessariam illi qui in mortale peccatum est lapsus. Et hos conciliij Tridentini canones etiam nos inseruimus in titulo de confessione in illo prædicto operre quod aduersus omnes hæreses ædidimus. Ex quibus aperte conuincitur pessimè errasse inquisitorem illum, qui conabatur cogere prædicatorem, vt recantaret sententiam suam, quam dixerat publicè ad populum prædicans confessionem esse de iure diuino. Non est igitur pertinax

Pertinax hæreticus censendus, omnis ille, qui inquisitorum aliquid asserenti non credit, quia non omnibus, quæ ille dixerit credere tenetur. Quando autem sit pertinax hæreticus censendus, qui inquisitori credere noluerit, ex dictis, & dicendis in hoc capitulo, aperte constare poterit. Argumentum autem Bartoli, quo ille suam sententiam probare videtur, nullius est roboris. Nam ex hoc, quod in præfata illa. I. Tutor. peragraphe. Tutorum dicitur illum pertinaciter resistere, qui iudici præcipienti non obedit, deducit Bartolus illum esse dicendum pertinacem, qui inquisitori asserenti aliquid, non credit. Hæc tamen argumentatio multipliciter peccat. Primo, quia lex illa non loquitur uniuersaliter de omni iudicis mandato: sed solum de mandato inuentarij per tutorem faciendi, & tutor, qui iudici præcipienti tale inuentarium fieri, non vult obedire, dicitur iuxta verba legis pertinaciter resistere iudici. Ex hoc autem particulari legis decreto, inferre legem generalem ad omnem, qui non vult iudicis obedire, pessima est illatio. Non est enim omnium negotiorum æqua conditio, ut sint omnia eadem lege regulanda. In illo enim negotio, de quo ibidem lex illa loquitur, tutor tenetur obedire iudici præcipienti, atque ideo si non vult obedire, merito pertinax dicetur. Multa tamen sunt alia negotia, in quibus homines non tenentur iudici obedire: quia si semper, & in omnibus tenerentur iudici obedire, nunquam liceret alicui à mandato iudicis appellare, fieretque inde necessarium, ut superior iudex, quem appellavit, teneretur semper sententiam contra appellantem dicere, propterea quod iniuste appellauit. Constat autem multorum appellations iustas esse & velut tales à superiore iudice declaratas. Ex quo manifeste colligitur illos tunc non fuisse obligatos iudicibus inferioribus obedire, & quibus fuit licitum appellare, & per consequens non esse tunc pertinaces censendos. Secundo errauit Bartolus in præfata sua argumentatione: quia & si verum esset omnem illum esse censendum pertinacem, qui iudici seculari non vult obedire, non erat inde trahenda consequentia ad illum, qui inquisitori de rebus ad fidem expectantibus aliquid asserti non vult credere. Quoniam res, quæ ad fidem spe-

Etant non sunt eiusdem conditionis cum negotiis foren-
sibus, neque eadem mensura cum illis metiendæ. Nam
a. Cor. i. res, quæ ad fidem spectant, omne humanum iudicium su-
perant: atque ideo dicit Paulus, fidem nostram non esse
in sapientia hominum; sed in virtute Dei. Propter quod
in illis non tenetur homo inquisitori aliquid afferenti
obedire: nisi constet illa, quæ afferit ab vniuersali ecclesia
teneri, in qua virtus, & sapientia Dei eluent. Forensia au-
tem negotia non sunt tam sublimia, vt humani intelle-
ctus vires superent, atq; ideo ex sapientia hominum illa
pendere possunt.

Tertia conclusio: Si quis inciderit per ignorantiā in
hæresim aliquā, & à parrhoco, aut Episcopo, aut quocunq;
alio homine fidelī fuerit per evidentia argumēta admo-
nitus, assertionē suam esse contra fidem Catholicā, tene-
tur statim errorē suum reuocare: quod si non fecerit, erit
pertinax, & hæreticus censendus. Hæc conclusio est satis
a. Cor. i. nota cuilibet, si considereret, quod nihil interest à quo quis
edoceatur, modo sit illi veritas apertè ostēsa: quia (vt om-
nes sapientes Philosophi docent) semper considerādum
est quid, & non à quo dicatur. Præterea apostolus Paulus
ait, fidem nostram non esse in sapientia hominū, esset au-
tem illorum sapientia, si eadē admonitio à subdito facta
non esset æquē potēs, ac si diceret à prælato. Rursum si is,
qui per ignorantiā contra fidem Catholicam errat, po-
stea per seipsum legens in aliorum libris, inueniret argu-
menta, quæ apertè Catholicam veritatem conuincerent,
teneretur sine ulteriore monitore assertionem suam erro-
neam reuocare: ergo si aliquis aliis per evidentia argu-
menta eandem Catholicā veritatem illi ostendat, tenebitur
etiā assertionem suā erroneam reuocare. Sed dicet alii
quis. Quæ igitur erit differentia inter illū, qui à prælato,
& qui à subdito monitus est? Nōnne erit aliqua excellē-
tia in prælato supra subditum? Magna quidē, prælatus
siquidem illū, qui contra fidem Catholicam errat, potest
etiam nolentem vocare, vt coram se appareat, & ab illo
fidei rationem exigere: potest quidem cōpellere illū, vt
argumenta, quibus ille fidem Catholicam persuadere co-
natur, audiat. Potest etiam illum ad sui erroris reuocatio-
nem constringere. Et si in his, & aliis ad suum officium
pertinen-

pertinentibus obedire cōtempserit, poterit illi iuxta criminis sui meritum, debitas infligere pœnas. At subditus nihil horum potest, quāvis alius ad illius legitimam motionem æquē teneātur errorem suū reuocare, ac si fuisse à suo prclato admonitus. Hæc de admonitione ab inferioribus summo Pontifice facta dicta sunt. An autem idem prorsus sit dicendū de admonitione à summo Pontifice facta, varijs loquitur. Non enim inter omnes de hac re cōuenit. Nam quidā eadem mensura summum Pontificem in hac parte metiuntur, qua cæteros Episcopos, & dicunt illum etiā hac lege teneri, vt paratus sit omni poscenti rationem reddere de ea, quæ in eo est fide.

Quam nisi reddiderit, neminem propter illius admonitionem obligari dicūt ad reuocationem sui erroris, quem contra fidem Catholicam propter ignorantiam tuetur. Huic opinioni fauet Guillelmus Ocam parte prima dialogorum cap. 20. & Ioannes Gerson in prima parte Alphabeto decimoquarto, vbi differit, an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare? Ego tamen contra sentio, tutius esse putans, credere simplicem Papæ admonitionem satis esse, vt quis errorem suum reuocare teneatur, præsertim cum ille rem (vt decet) adhibito prius virorum doctorum cōsilio, plenè examinauerit. Nam alioqui etiam liceret in causa, quæ est de fide, à Papa appellare, quod nefas est dicere, cum non sit, ad quem confugere possit, aut appellare. Si dicas ad concilium posse fieri apellationem. Ridicula quidem appellatio, quia hac via essemus semper dubij, & langueremus sine vlla spe medicinæ, cum tam difficile sit concilium congregari legatum, vt iam sit pene impossibile propter tot principum simultates, qui perpetuo, & irreconciliabili bello inter se digladiātur. Præterea, hac via anfa præbetur cuilibet omnes, quas voluerit hærefes impune docere, quia cum à Papa damnatus fuerit, statim cōcilium appellabit. Fecit quidē hoc Lutherus, cum se à Leone decimo damnatum intellexit, qui tamen postmodum rumorem de congregando concilio audiens, libellis æditis concilio detraxit dicens, non esse obtemperandum cōcilio, vt omnibus palam faceret, se, non vt veritatem disceret: sed vt suam pertinaciam aliquo fuso tegeret, concilium quod nunquam congregandum sperabat, appellasse.

Deinde ridiculum est dicere, propter cuiuslibet hominis dubitationem in fide, congregandum fore concilium, quod tamen secundum illos, qui oppositam partem tueruntur, fieri oporteret. Si hoc neges dicens, Papam posse sine concilij congregatione per euidentia argumēta errores contra fidem sāpē conuincere, quapropter non semper erit necessaria talis concilij cōgregatio. Sed quid si erras per ignorantiam neget argumēta illa esse vlliū valoris, & dicat nihil prorsus contra suam assertionem efficere? Quis tunc erit iudex, qui de argumentorum valore censeat? Si dicas iudicio virorum doctorum credēdum esse, qui dicent talia argumenta esse valida, eris tunc coactus fateri, autoritatem summi Pōtificis minorem esse in censura fidei, quām autoritas virorum doctorum, cū illa pendeat ex ista. Quo fit, vt quoties de argumentorum, quae à Papa fiunt, valore, & euidentia sit disceptatio, oporeat necessario concilium appellare, quod nullus sanx mentis dicet. Propter hæc & alia multa inconuenientia, quae oriri possent si à Papa ad futurū Conciliū appellare liceret. Pius secundus huius nominis summus Pontifex speciale condidit decretum cōtra illos qui huiusmodi interposuerunt appellationes. Et quia hoc decretum multis est ignotum, propterea quod non habetur inter illas Pontificum decretales extrauagantes, quae publicè circumferuntur coniunctæ cū aliis iuris canonici libris, ideo illud integrum hic inserere volui, vt omnibus deinceps notum esse possit.

Bulla Pī secundi Pontificis maximi, qua sub gra-
uisimis penitētis cauetur, ne quis à Papa ad fu-
turum concilium appelleat.

PIUS EPISCOPUS SERUUS SERUORUM DEI: ad futuram rei memoriam. Execrabilis & pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inoleuit abusus, vt à Romano Pontifice Iesu Christi Vicario cui dictum est in persona Petri: Pasce oves meas. Et. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo. Nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicij, commissi euafione peccati: ad futurum concilium prouocare præsumant. Quod quantum sacris canonibus aduersetur, quantumque Reipublicæ christianæ noxiū sit, quiuis

qui vis non ignarus iurium intelligere potest. Nanque ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissimè refrangantur, quis non illud ridiculum iudicauerit, quod ad id appellatur, quod nusquam est, neq; scitur quando futurum sit. Pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanet impunita scelera, nutritur aduersus primam sedem rebellio, libertas delinquendi cōceditur, & omnis ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo cōfunditur. Volentes igitur hoc pestiferum virus à Christi ecclesia procul pellere, & ouium nobis commissarum saluti consulere, omnemq; materiam scandali ab ouili nostri Saluatoris arcere, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, cunctorumque prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum cūriam sequentium consilio, & assensu, ac ex certa nostra scientia huiusmodi prouocationis introductiones damnamus, & tanquā erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes, & penitus annulantes, si qua haec tenus taliter interposita reperiantur, easque tanquam inanes ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus, ac declaramus, præcipientes, ut deinceps nemo audeat, quo quis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis, siue mādatis quibuscumq; nostris, ac successorum nostrorum talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere seu ea quomodolibet vti. Si quis autem cōtra fecerit à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cuiuscumq; status, gradus, ordinis vel cōditionis fuerit, etiā si Imperiali, Regali vel Pontificali, præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat: à qua nisi per Romanum Pōtificem & in mortis articulo absolui non possit. Vniuersitas verò siue collegium ecclesiastico subiaceat interdicto. Et nihilominus tam collegia & vniuersitates, q; prædictæ & aliæ quæcunq; personæ, eas poenas ac censuras incurvant, quos rei læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis fautores incurrere dinoſcuntur. Tabelliones insuper, ac testes qui huiusmodi actibus interfuerint, & generaliter qui scienter cōſilium, auxilium dederint, vel fauorem taliter appellatibus, pari poena plectantur. Nulli ergo omnino hominū liceat, hæc paginam nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tionis, annulationis, decreti, declarationis & mādati interfringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare p̄̄sumperit, indignationem omnipotens Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinagesimo nono, quintodecimo Calendas februario, Pontificatus nostri anno secundo. Ex quibus omnibus aperi-
tissimè cōstat, nullo pacto licere à sententia, quā summus Pontifex in causa fidei bene prius exaginata dedit, appellare. Erit ergo proculdubio (vt ego censeo) simplici Papæ monitioni semper credendum, præsertim si ille facta prius cum multis viris doctris collatione rem plene (vt decet) examinauerit. Alioqui nihil certi in multis rebus ad fidem pertinentibus habere possemus: quia multa sunt ad fidem pertinentia, quæ per solam Papæ definitio nem firmiter teneimus, in quibus nullam proflus suę definitionis causam Pontifex dedit. Sed dices. Ergo fides nostra esset in hominis alicuius sapientia, si ad solam simpli-
cem illius monitionem teneretur quilibet suum errorem reuocare. Respondeo quod non erit in sapientia hominis: sed in virtute Dei qui dixit se rogaturum pro Pe-

Luc. 22. tro, vt non deficeret fides eius. Si tamen Papa, omnium virorum doctorum consilio posthabito: sed soli suo iudicio innitens aliquid definire tentaret, quo casu illum, errare posse nō dubito, tunc ego crederem, illum debere reddere rationem de fide, ad quam alios cogere tentat.

Præsertim si res est talis, quæ multo examine indiget, & circa quam viri docti, & alias Catholici hēsitat. Et talem simplicem Papæ admonitionem ego nō putarem esse fas-
tis, vt quis contra illam sentiens, sit eo ipso pertinax, & per consequens hæreticus censendus. Petrus siquidem

Act. 12. quanuis summus Pontifex compulsus fuit ab Apostolis, & fratribus, qui erant in Iudea, reddere rationem quare intrasset domum Cornelij hominis gentilis, & cum eo fuisset conuersatus. Decretum autem circa fidem à Pon-
tifice æditum, etiam si in eo non reddatur ratio, quæ ad talem fidem cogat, quoniam (vt supra docuimus) satis est ad hæreses cōuincendas, illi erranti ostendere satis esse existimo pro legitima admonitione. ita vt quisquis contra

contra illud sibi notum repugnauerit sit pertinax, & per consequens hæreticus censendus: Quoniam, & si nulla in illo decreto apponatur ratio, quæ illum ad tale decre-
tum cedendum mouerit, credere tamen oportet, ecclesiam nunquam tale decretum recepisse: nisi illi constitisset
fuisse magna cum ratione æditum.

DE PROTESTATIONE FIDEI ANTE
assertionem hæresis ab aliquo facta, an
valeat illum ab hærefo nota
liberare. Caput. XI.

Viri docti & fideles consideranres fidei nostræ subli-
mitatem, quæ omnes sæpè humani intellectus vires
superat, cum de mysteriis fidei, aut verbo, aut scripto tra-
stare aggrediuntur, timentes ne in ipso tractatu deficiat,
& sic hærefo macula, quā maxime horrēt, inficiantur, in
initio suæ disputationis protestari solent, se nolle, vel la-
tum pilum à recta fidei Catholicæ regula deficere: sed in
omnibus se eam fidem velle amplecti quā Catholicæ te-
net ecclesia, & sic eiisdē Catholicæ ecclesiæ definitioni, &
censuræ se in omnibus subiicere dicunt. **Q**uod si in poste-
rum aliquid contra Catholicam fidem eos dicere contin-
gat, ex tunc se per imperitiam, aut inconsiderationem id
dixisse protestantur, & ex tunc se id reuocare dicunt, ac
pro recantato haberī petunt. Hoc me fecisse recolo in præ-
fatione illius operis, quod aduersus omnes hæreses ædi-
di, & in hoc opere tū in præfatione, tum etiam alibi sæpè
id me dixisse scio. Dubitatigitur à plerisq; & non im-
merito, quid hæ protestationes valeant, an hi, qui aliquid
contra fidem Catholicam asseruerunt, possint, & debeat
propter huiusmodi protestationes per eos factas à crimi-
ne, & nota hærefo excusari? Vt autem de hac re aper-
tiorem, & firmiorem proferamus definitionē, duplīcem
in ea oportet habere consyderationem. Nam excusatio
illa de crimine hærefo, aliter est apud Deū facienda, qui
nouit secreta cordium, aliter apud homines, qui solū vi-
dent ea, quæ foris patēt. Potest siquidem aliquis apud deū
excusari, qui tamen apud hominū iudicium non erit ex-
cusatus, & econtrario. Deus siquidem non iudicat: nisi iu-
xta nostræ conscientiæ testimonium: quia agnoscens

qualis in nostro pectore lateat fides, qualis etiam sit ejusdem fidei à nobis facta protestatio, talem de nobis profert sententiam, nō curans de aliis, quæ à nobis voce proferuntur. Humanū iudicium id solū considerat, quod foris agitur, & ita solū aduertit opera, & voces, & alia, quæ foris patent, vt ex illis tāquam ex quibusdā signis conicit, quid in corde lateat. Contingit autē sāpē, vt ea, quæ foris patent, non sint vera signa eorū, quæ sunt in corde: vt manifestā est in viris hypocritis: qui aliud foris simulant, & aliud corde versantur. Hinc euēnire necesse est, vt multi apud Deum sint innocētes, quos humanū damnat iudicium: multi econtrario humano iudicio probati, qui reprobi sunt apud deū. Prius igitur de excusatione apud Deum dicamus: postea de excusatiōe apud homines. Sit igitur de hac re talis conclusio. Protestatio generalis de fide, & cōditionalis de hæresi reuocatio, si verē, & ex animo fiant, excusant coram Deo ab hæresi criminē cum, qui per ignorantiam in aliquam lapsus est hæresim. Hæc conclusio inde erit cuiq; manifesta, si consideret, quod is qui verē, & ex intimo corde vnuersaliter fidem Catholicaṁ profitetur, & ex animo omnēs damnat hæreticum errorem, paratus est: si errauerit corrigi, & si in hæresim lapsus fuerit, eam reuocare, & damnare cūm de illa fuerit plene edoctus. Alioqui non verē, & ex animo generalem fecisset de fide protestationem, nec ex corde vero conditionalem de hæresi: in quam labi poterat, fecisset reuocationem. At is qui paratus est, cūm errauerit corrigi, etiam si in hæresim aliquam per imprudentiam labi contingat (vt supra docuimus) nunquam dicetur hæreticus: quoniam (vt Augustinus ait) errorem suum nulla pertinaci animositate defendit. Neque in hac parte vllum ponō discrimen si ille erret circa ea, quæ scire tenebatur, aut circa illa, quæ nulla prorsus lege erat obligatus scire: quoniam quocunque modo erret, si ille vere & ex animo fidem est in vniuersum protestatus: & eodem veraci animo hæresim omnem, si in illam labi contingisset, reuocauit, semper est apud Deum excusatus. Ille enim talis, qui sic fidem puro corde protestatus est, & hæresim si in illam labi contingat verē reuocat, si circa ea, quæ scire tenebatur, errat pro peccato ignorantie, id est:

quia

quia ignorauit id, quod erat oblitus scire, tenebitur apud Deum reus, non tamen pro crimine hæresis. Dixi, & non immoritò, si ex vero animo illam fecerit de fide protestationem, aut conditionalem hæresis reuocationem: quoniam si non ex intimo corde: sed sola voce, & simulato animo fidē fuerit protestatus, nihil illi apud Deum suffragabitur talis fidei protestatio, aut conditionalis hæresis reuocatio. Hi enim sunt, qui dicunt Deo: Domine Matt.y.: Domine: quibus tamē Deus dicet in iudicio: Quia non noui vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Hi etiā sunt, qui teste Apostolo, confitentur se nosse Titum.1. Deum, factis autē negant. Talis fuit Martinus Lutherus in principio publicationis, & iactationis suarū hæresum: quoniam tunc voce fidem Catholicam protestatus est, & doctrinam suam sanctae Romanæ Ecclesiæ examini, & censuræ se subiicere dixit: sed simulatam hanc fuisse protestationem, multis postmodum, & clarissimis ostendit testimoniis. Quo factum est, vt nullam apud Deum qui scrutatur renes, & corda, habuerit de suis hæresibus excusationem. In eo siquidem opere, quod Leoni Pontifici maximo huius nominis decimo nuncupauit, hanc fecit protestationem. Primum protestor Luther. (Inquit ille) me prorsus nihil dicere, aut tenere velle: nisi quod in, & ex sacris literis primo, deinde ecclesiasticis patribus ab Ecclesia Romana receptis, hucusque seruatis, & ex canonibus, ac decretalibus Pontificis habetur, & haberri potest. Et paucis interiectis, hæc subdit. Hac mea protestatione credo satis manifestum fieri, quod errare potero: sed hæreticus non ero. Hæc Lutherus. Fortassis hac sua protestatione, Lutherus homines fallere potuisset, qui solum ea, quæ foris patent, intuentur: non autem Deum qui abditissimos cordis recessus suis oculis penetrat, & quidquid in illis latet clarissime agnoscit. Quām vera autem fuerit hæc protestatio, & quām ex animo facta, ipse non longè postea declarauit, cum ab eodem Leone Decimo de suis erroribus admonitus, non solum non obtemperauit admonitioni, nec ad illius præceptum hæreses suas reuocauit: sed pertinacius easdem tutatus est, & in eundem Leonem Decimum, cuius censuræ prius se subiici finxe:

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

rat, postea debacchatus est, & multis illum impetuis iniurias. Non potuit diu latere hypocrisis : sed necesse fuit, ut ebulliens, atque sui impotens superbia, & insolens arrogantia aliquando erumperet. De excusatione apud Deum hæc dicta satis esse putamus, nunc vero qualem generalis de fide protestatio valeat facere apud homines de hæresi excusationem, discutiamus.

Vt autem apertius, & clarius id facere possumus, oportuit id primo admonere, posse homines bifariam circa fidem eriare, & in aliquam hæresim labi. Sunt enim aliqui, qui nescientes errant. Sunt rursum alii, qui scientes à vera fidei regula decuiant. Illos dico scientes errare, qui sciunt aliquid esse ab universalis Ecclesia definitum, aut ab ea pro vera fide receptum, & nihilominus contra eiusdem ecclesiæ sententiam docere, aut opinari non verentur. Illos vero in fide errare dico nescientes, qui ignorant aliquid ad fidem Catholicam pertinere, & proinde sentiunt, aut docent contra eandem fidem. Si tamen scirent illud, quod opinantur, esse contra fidem Catholicam, statim suam sententiam reuocarent. His igitur præmissis, alias conclusiones subiiciam, ex quibus quid ad hanc rem pertinet facilime quisque intelligere poterit. Prima conclusio. Qui nesciens errat in fide circa ea, quæ scire non obligatur, excusatus est ab ecclesia per talem generalem reuocationem. Hæc conclusio est manifesta ex illis, quæ supra capite nono huius libri docuimus. Nam (vt ibi diximus) non omnes æqua lege ad fidei cognitionem tenentur. Qui ignorat id, quod scire non tenetur, non peccat, qui autem non peccat, hæreticus non est, ergo, qui per ignorantiam eorum, quæ scire non tenebatur, errat, per generalem fidei protestationem apud ecclesiam de hæresi excusatus est. Secunda cōclusio: Qui nesciens, errat in fide circa ea, quæ scire obligatur per generalem fidei veram protestationem, & si corā Deo (ut diximus) si excusatus, non tamen excusat apud homines : nisi forte ignorantiam suam probare potuerit. Hæc conclusio probatur : quia quamvis ille nesciat, ecclesia tamen præsumit, & meritò illum scire ea, circa quæ errat. Nam cum ille sit obligatus scire illam rem, præsumit illum optimè

time illam nosse, & propterea ita de illo sentit, ac si sciens errasset. Qui autem sciens errat, ut mox dicemus, per nullam fidei protestationem prius factam valet ab heresie crimine excusari. Si tamen ignorantiam suam ille probare voluerit, vt se ab hereticis crimine hac via purgare valeat, non est repellendus, sed benigne audiendus. Qua liter autem poscit quis ignorantiam suam probare juris peritis discutiendum relinquo. Hic tamen cauta consideratione est opus, vt is, qui alium de heresi iudicare debet, prius diligentissime attendat, an ille obligatus erat scire id, circa quod errauit? Sunt enim aliqua etiam ad fidem spectantia tam recondita, ut doctissimos viros saeppe lateant, prout sunt aliqua, quae ex scriptura sacra difficilime elici possunt, ac propterea circa illa dubitare licet, & saeppe viri docti circa illa nutant, & vacillant. In tabulis, quidem rebus dubiis, & nondum aperte ab ecclesia definitis, generalis protestatio de fide facta valebit errantem ab heresie crimine excusare, ita ut si ecclesia aliquid de illa re in posterum definiret, is qui ante ecclesiæ definitionem contrarium sensit, nequaquam hereticus dicatur, propterea quod ecclesiæ definitioni sententiam suam libenter subiecerat. Nam ob hanc causam Abbas Iоachim non fuit in concilio Lateranensi sub Innocentio tertio velut hereticus damnatus, quavis illius doctrina fuit illuc ab ecclesia de heresi notata. Subiecerat enim doctrinam suam Ecclesiæ determinationi, vt patet per ea quæ habentur in cap. firmiter, extra de summa trinitate, & fide Catholica. In his etiam quæ sunt contra expressam ecclesiæ definitionem, valent huiusmodi generalis fidei protestationes, illi de quo incertum est an ecclesiæ definitionem nouerat? Quoniam propter illam generalem fidei protestationem quam fecerat, suspicari licet illum ex ignorantia definitionis ecclesiastice errasse. Confirmavit autem ille hanc aliorum suspicionem, & suam excusationem, si cum illi ostensa fuerit ecclesiæ definitio statim suum recantat errorem, & heresim, quam tenebat, dñat. Tertia conclusio, Quisquis asserit aliquid, contra id quod scit esse ecclesiæ Catholicæ fidē, aut dubitat de illo, quamvis generalem fidei protestationem fecerit, nullo modo talis

Iоachim
Abbas.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

talis fidei protestatio illi suffragari poterit , quin sit abs Ecclesia pro hæretico reputandus , Is enim pertinax est; quia & tñ dicat se paratum de errore suo ab Ecclesia corrigi, re vera non est paratus . Nam qui fieri potest , vt quis sit obedire paratus illi quem aperto marte oppugnat ? At, is qui ab Ecclesiæ sententia sciens discedit, aper-te Ecclesiam oppugnat , non est igitur ille paratus errorem suum ad Ecclesiæ præceptum emendare . Quo fit, vt pertinax & hæreticus sit dicendus , Iquamuis genera-lem fidei fecerit protestationem . Alioqui latissima via pateret omnibus, per quam omnes , quas vellent intro-ducerent hæreses, imò maxima præstaretur hæreticis occasio quamlibet hæresim impune docere . Faciet enim quisque hæreticus primum generalem fidei protestatio-nem, & conditionalem cuiusque hæresis , in quam labi contingeret, reuocationem, & satis sibi esse putabit , vt, quamuis pestilentissimam hæresim postea afferat, ab hæ-retici nota se possit excusare . Nam huiusmodi dolo & astutia usus est hoc sæculo Martinus Lutherus hæretico-rum omnium pestilentissimus, qui in eo opere quod Leo-ni decimo Pontifici maximo obtulit, quamuis multas & apertissimas hæreses in eo aspersit, eam tamen in princi-pio operis protestationem fecit, quam proxime supra in hoc capitulo retuli . Verum & si talem fecerat protesta-tionem, idem summus Pontifex Leo non dubitauit illi hæreses notam inurere, & meritò, quoniam simulatam esse & non veram talem illius protestationem optime in-tellexit, sicut ipse idem Lutherus in eiusdem operis con-textu declaravit . Nam & si multis velaminibus quis men-dacium velit obtegere, ipsum tamen mendacium talis est conditionis vt seipsum tandem prodat . In eodem siqui dem opere quod Leoni decimo nuncupauerat , huius præfatae protestationis aut pœnitens aut oblitus , verba hæc cum præfata protestatione apertissime ex diame-tro pugnantia, effundere non erubuit . Et vt aliquando (inquit Lutherus) audax sim, ea quæ iam dixi, protestor me non dubitare : sed paratus sum ignem & mortem fu-scipere , & hæreticum afferam omnem qui contra sapue-rit . Hec Lutherus . His verbis satis aperte se prodidit, qui prius tacuerat in occulto . Quid ultra exigere oportebat,

Lutherus.

tebat, vt illum pertinacèm hæreticum censeremus? Quā
 fieri potest, vt paratus sit corrigi, qui ignem & mortem
 sustinere paratus est pro illis quæ docet? Putauit quidem
 astutus serpens huiusmodi præstigiis viros Ca-
 tholicos eludere. Et vt illius diabolicam malitiam aper-
 tius toti mundo ostendamus, alia illius verba referam,
 per quæ suum diabolicum spiritum multò clarius ille
 prodidit. Nam in libro actorum coram Reuerendissi-
 mo Domino Thoma de Vio Cardinale tituli sancti Six-
 ti legato ad componendas Lutheranas similitates ab
 Apostolica sede misso, quæ idem Lutherus in unum vo-
 lumen collegit, hæc, quæ sequuntur verba inseruit:
 Nunc mi lector (inquit ille) tu mihi conueniens es.
 Posteriorem istam responcionem meam, & si cum multa
 reuerentia dedi, ac veluti in arbitrium summi Pontifi-
 cis reposui: non tamen id me fecisse credas, quod de
 re ipsa dubitem, aut animi mei sententiam sim vñquam
 mutaturus. Veritas diuina est, etiā Domini Papæ.
 Non enim iudicium hominis expecto, vbi iudicium
 hominis agnoui. Hæc Lutherus. Vides iam candide
 lector quām vera & quām ex animo Lütheri prodierit
 illa sua primum facta protestatio? Te nunc rogo an
 Lütherum velis propter illam protestationem ab hæreti-
 corum cathalogo excludere? Non puto virum aliquem
 Catholicum esse, nisi demens aut stupidus ille sit qui suf-
 fragiis tam friuolæ & inanis protestationis, hominem
 hæreticissimum velit ab hærefoes nota vindicare.
 Dico igitur ac firmissimo animo teneo, neminem qui
 Catholicæ ecclesiæ sententiam quam optime nouit, op-
 pugnat, posse per quamcumque generalem fidei protesta-
 tionem prius ab eo factam ab hærefoes crimine apud ec-
 clesiam excusari. Quo sit, vt si quis in scriptis suis aliquid
 ässeruit contra expressam ecclesiæ definitionem, quam il-
 li fuisse notam ex eiusdem scriptis aperte constat, potest
 & debet etiam post mortem suam, non obstante quacunq;
 que protestatione per eum facta, tanquam hæreticus dam-
 nari: nisi illum huiusmodi erroris ante mortem pœni-
 tuisse constiterit. Ovare ego fateor me nescire quo pa-
 sto possum aliquot doctores, qui pro Catholicis haben-
 tur, à criminē hærefoes excusare, cūm in eorum scriptis
 aliquas

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

aliquas reperiam sententias, quæ apertissime, & ex dia-
metro pugnant cum ecclesiæ definitionibus : & ex eo-
rundem doctorum scriptis constat eas ipsas ecclesiæ defi-
nitiones, quas oppugnant, fuisse illis notas . Si autem
non constat illum sciuisse ecclesiæ definitionem, cui con-
tradicit , & aliunde appareat illum in aliis recte de fide
sentire, crederem generalem fidei protestationem prius
per illum factam, debere illi suffragari, ut per illam possit
ab hæreleos macula meritō liberari.

DE BLASPHEMIS, AN SINT hæretici censendi. Cap. XII.

EXPL E T A iam generali hæreticorum confidera-
tione, declaratisq; omnibus quæ ad consummationem hæ-
reticorum cognitionem habendam satis esse mihi vide-
bantur, nunc (ut rem ipsam clariorem relinquem) mihi
visum est, lapidem (ut dicitur) ad filium referre, & de quis
busdam personis, quæ fortè dubitationem mouere pos-
sent, an hæretici sint censendi, pertractare . Et primo de
blasphemo de quo nō parua dubitandi habetur occasio,
an sit hæreticus dicendus ? Nam theologi non computat
blasphemiam inter precata infidelitatis, ac proinde negant
blasphemiam ad hæresim pertinere. At si blasphemia non
est hæresis, consequens est ut nec blasphemus censeatur
hæreticus. Oppositum tamen quodammodo persuadere
videtur, quod hæreticorum inquisidores puniunt blas-
phemos, quos tamen punire non auderent, nisi illos hæ-
reticos esse censerent. Pro huius rei apertiore & certiori
definitione opus est, ut primo de blasphemia confidere
possimus, quale illa sit peccatum, & inde de blasphemo quæ
inquitimus, facilius inueniemus . Blasphemiam diffinit
Hugo de sancto victore in libro de fructu carnis & spiri-
tus cap. sexto, sic inquiens. Blasphemia est cum quadam
probrosa irreligiositate conuitiosorū iaculata in alium
maledictio : aut est diuini vel humani nominis diminu-
tio iurando vel exprobrando facta . Hæ ille. Ex quibus
duabus definitionibus constat, quod blasphemia proprie-
tate vituperium, aut con uitium cum diminutione hono-
ris diuini . Et propter hanc causam illi qui iurant per

Hugo de sancto victore, sic inquiens. Blasphemia est cum quadam
probrosa irreligiositate conuitiosorū iaculata in alium
maledictio : aut est diuini vel humani nominis diminu-
tio iurando vel exprobrando facta . Hæ ille. Ex quibus
duabus definitionibus constat, quod blasphemia proprie-
tate vituperium, aut con uitium cum diminutione hono-
ris diuini . Et propter hanc causam illi qui iurant per
mem

membra Christi aut aliorum sanctorum pudenda, blasphemare dicuntur. Quia & si Christus re vera habeat illa membra pudenda ut quilibet alius verus & integer homo, ac proinde sic illa nominantes non mentiantur, tamen illa in Christi ignominiam & vituperium nominant, volentes ex ipso modo pronuntiandi, innuere aliquid esse in Christo ignominiosum, & vituperabile.

Verba igitur illa & si non sint ex se blasphema, ipse tamen pronuntiandi modus, qui fit cum vituperio, & irrisione, inducit blasphemiam. Quod autem in diffinitione sua posuit Hugo, conuictosorum iaculata in alium maledictio, & non expresit in quem, ideo sic posuit, quia non solum conuictia in Deum putauit esse blasphemiam sed etiam conuictia quae dicuntur in sanctos: propterea quod conuictia quae in sanctos dicuntur, inde ad Deum quodammodo deriuantur. Nam sicut laudatur Deus in sanctis suis, eo quod laudantur opera que Deus in sanctis suis & per sanctos suos facit, ita econtrario cum vituperantur aut itridetur ea quae Deus in sanctis suis operatur, ex consequenti vituperatur, & irridetur Deus, qui est illorum operator. Hæc autem derogatio honoris diuini potest bifariam contingere: quoniam aut sit intus in corde, aut extra per voces, vel alia signa exteriora. Illa quae est intus in corde, adhuc trifariam fieri potest: quoniam aut sit tantum in intellectu, aut tantum in affectu, aut simul in intellectu & affectu. Illa est blasphemia in solo intellectu, per quam quis de Deo intra se dicit id quod diuinæ derogat bonitati nec tam propterea est male circa deum affectus. Deus autem (ut docet Dionysius cap. primo de diuinis nominibus) est ipsa essentia veræ bonitatis, vel ipsamet bonitas. Ex quo aperte sequitur, ut quidquid deo tribuitur pertineat ad bonitatem ipsius: & quidquid est à Deo alienum, logè etiam sit à ratione perfectæ bonitatis, quae est eius essentia. Quicunque ergo dicit aliquid Deo cōuenire quod illi repugnat, vel dicit illi repugnare quod est illi propriū, & ob hoc nō male afficitur in Deum. hic talis blasphemat Deum in intellectu tantum. Non est enim dubium quin possit esse blasphemia in intellectu absq[ue] peruersa voluntate blasphemādi, vel diuinę bonitati derogandi. Quia licet omnis blasphemia inquantu[m] est voluntaria,

fit à voluntate mala , non tamen omnis est cùm voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati . Sicut enim omne credere est voluntarium, non tamen omne credere est à voluntate affecta charitate Dei - ita omnis blasphemia est voluntaria, non tamen omnis est à voluntate affecta malignitate , vel voluntate blasphemandi. Habet se enim hæc voluntatis malitia , de qua nunc loquimur, ad blasphemiam intellectus, sicut charitatis ad fidem. Quò fit , vt sicut fides potest esse sine charitate, ita etiam blasphemia intellectus sine malignitate, aut sine blasphemia affectus . Illa est in solo affectu, & sole voluntate blasphemia , per quam quis credens de Deo, quod credendum est, male tamen circa Deum afficitur. Non enim repugnat blasphemiam simul esse cum fide. Potest enim aliquis credere Deum esse omnipotentem, & dicere intra se, vt iniurietur Deo , quod Deus non est omnipotens, & delectari in tali mendacio. Simile quid contingere videmus circa iniurias , quæ hominibus dicuntur, in quibus sæpe contingit, vt quis alteri iniuriam facere volens dicat illi, quod scit minime illi conuenire, vt puta cùm cœcutire dicit illum , quem scit optime vide, aut dicit ruderem, quem scit optime cantare. Sic possit quis, vt Deo iniurietur, dicere illum nihil posse, cùm tamen certo sciat illum esse omnipotentem. Potest etiam credere Deum esse iustum, sapientem, omnipotentem & nolle aliquid eorum Deum esse : vt puta quia nollet Deum esse tam sapientem, vt nihil illum lateat etiam secretissimas cordis nostri cogitationes, aut nollet illum esse tam potentem ad sua peccata punienda, vt nemo illi resistere valeat, aut nollet denique tam iustum, vt nullis precibus , aut muneribus quis valeat vel latum pilum à rectitudine illum deflectere . Hi tales blasphemiam habent in voluntate, quamuis veram fidem habeant in intellectu. Tales sunt illi de quibus dicitur in Psalmo. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Demones siquidem (vt ait Iacobus Apostolus) credunt, & contremiscunt. Et idem dicendum est de damnatis hominibus: hi tamen omnes Deum semper odiunt : quia nollent Deum esse tam potentem , aut tam iustum , vt illos pro suis peccatis puniret. Dolēt de peccatis, quæ cōmiserunt,

Psal.73.

Iaco.2.

non

Non propterea quod ipsa peccata habeant exosz : sed quia
 odio habent pœnas, quas pro illis sustinent. Habent qui
 dem illi voluntatem suam male adhuc suis peccatis affe-
 ctam, & vellent adhuc si possent male uti rebus ipsis, pro
 quibus puniuntur, nolent tamen pœnas pro illis sustine-
 re: ac proinde dolent, quod Deus sit tam iustus, vt semper eos
 punire velit, aut tam potens, vt illius potestati resistere
 nemo possit. Et hoc est Deum odisse, & hoc est Deum bla-
 sphemare in sola voluntate. Sic enim de damnatione homi-
 nibus dicit Ioannes in Apocalypsi. *Aestuauerunt homi-*
nnes æstu magno, & blasphemauerunt nomen Domini
habentis potestatem super has plagas. Ideo blasphemat:
quia dolent Deum talem potestatem habere, vt illas pla-
gas inferre valeat. Sic enim exponit illum locum glossa
quædam, quam citat sanctus Thomas in secunda secun-
dæ. q. 14. articulo. 4. non tamen expressit ille cuius auto-
ris sit illa glossa. Ego quidem cum legi in beato Thomæ
putauit id reperiendum esse in glossa, quæ vulgo dicitur
Ordinaria: ad illam tamen recurrens nihil tale repert,
quale ille citat. Cuiuscunq; illa sit, si illius autoritas non
sufficeret, certe sufficere deberet autoritas beati Thomæ
illam citantis, atq; probantis. Talis ergo blasphemia, de
qua nunc agimus (vt dicit S. Bonaventura) est quæ in
Euangelio vocatur spiritus blasphemieæ. Dicit enim ille
in secundo sententiarum, dist. 43. in commentariis super
literam Magistri, non esse prorsus idem blasphemia, &
spiritum blasphemieæ: habent enim se hæc duo (vt ille
dit) tanquam generale & speciale. Omnis spiritus blasphemieæ
est blasphemia, non tamen econtrario. Spiritus bla-
phemieæ est affectus & desiderium vituperationis diuinæ.
Spiritus blasphemieæ sic spirat ad odium Dei, sicut
spiritus sanctus ad dei amorem. Et hunc talem spiritum
blasphemieæ, hoc est, affectum vituperationis diuinæ
dicunt Theologi esse maximum peccatorum & ir-
remissibile, non quod non remittatur, si de illo debita fiat
pœnitentia: sed quia tale est (vt dicit Beda super tertium
*Marsi caput) quod nunquam de illo pœnitentiam ager de-
 bitam qui illud semel commisit: quoniam propter nimiam
 illius malitiam Deus illi auxilium suum subtrahet, sine
 quo ad pœnitentiā peruenire non poterit. Vel secun-*

S. Bonaventura.

Beda.

dum Alexandrū de Ales ideo dicitur irremissibile: quia prouocat oculos diuinæ maiestatis ad non miserendū vel non remittendum. Ex his omnibus iam patet quæ sit blasphemia simul in intellectu & affectu. Est enim illa per quam quis male de Deo sentit, & propterea male illā afficitur & illum vituperare non veretur. Veluti si quis crederet Deum nō esse omnipotentem, & inde audaciā sumeret ad derogandum illius honori, & illum vituperandum, & in contumeliam illius omnia eius præcepta contemnendum. Hęc blasphemia certe nō est tam graue peccatum ex se, quia ignorantia quam habet annexam, & vnde maligna illius voluntas oritur quodammodo excusat à tanta grauitate peccati. Hęc enim est blasphemia in filium quia est per ignorantiam, illa autē est blasphemia in spiritum sanctum, quia est ex pura malitia & ideo peior. Hęc de blasphemia quæ in corde versatur, dīcta sufficiant. Est adhuc alia blasphemia exterior, quæ solet dici blasphemia oris, non q̄ in solo ore & solis votibus exerceatur, sed quia pluries per voces quam per alia signa exterius demonstratur, sicut ab his quæ pluries accidentunt denominatio. Potest enim blasphemia in factis sicut in vocibus exterius demonstrari. Nam qui per contumeliam spueret Christi aut Virginis Dei paræ imaginem, aut illam fustibus percuterer, aut pedibus per contemptū conculcaret, vel alia sicut ilia quæ Dei aut sanctorū eius contemptū & vituperiū ostenderent, faceret, hic sine dubio esset blasphemus existimandus, & velut talis puniendus. Vnde Beda exponens illud ex secunda Petri Apostoli epistola, per quos via veritatis blasphemabitur, sic ait: Via veritatis blasphematur per hæreticos non solum in eis quos suæ hæresi seductos associat, sed in eis quoq̄ quos per impurissima facta sua & sacrificia vel mysteria execranda, quæ faciunt in odium Christiani nominis concirant, existimantibus imperitis nō Christianos huiusmodi flagitiis esse mancipatos. Quare libus dicit scriptura. Per vos nomen meū blasphematur in gentibus. Haec tenus Beda. Ex cuius verbis apertere constat blasphemia exteriorem nō solum in verbis, sed etiam in operibus committi, quanvis cōmuni vocabulo soleat (vt dixi) omnis talis blasphemia, nominari blasphemia oris.

Beda.
2. Pet. 2.

Esa. 52.

oris. Sic enim confessio & negatio, frequentius verbis effici solent, & ideo omnis exterior confessio vel negatio, solet dici confessio oris vel negatio oris, & tamen quilibet harum potest operibus sicut vocibus exerceri. Nam de peccatoribus Paulus loquens, ait: Conscientur se nosse Deum, factis autem negant. Hec igitur exterior blasphemia potest etiam trifariam distingui, sicut supra diximus de blasphemia cordis. Cum enim voces & alia opera exteriora sint signa eorum quae sunt in anima, & ab illis procedant, hinc evenire est necesse, ut voces & alia opera distinguantur iuxta distinctionem eorum quae sunt signa, & a quibus oriuntur & procedunt. Et ita potest esse aliqua blasphemia exterior quae tantum procedat a blasphemia sola intellectus sine mala affectione voluntatis, alia quae solum procedat a blasphemia voluntatis: alia quae procedat a malitia intellectus & voluntatis simul. Quilibet istarum talis est necessaria iudicanda, qualis est interior illa blasphemia a qua processit: ideo necessarium est videre, an aliqua istarum sit heresis dicenda, vel habeat aliquam cum heresi connexionem? Et certe de illa blasphemia quae est in solo affectu licet sit grauissimum peccatum, & (sicut diximus) irremissibile, non tamen habet aliquid cum heresi aut cum infidelitate. Quia heresis & quodlibet infidelitatis vitium pertinet ad intellectum, sicut fides cui opponitur. Opposita enim (ut dicit Aristoteles) habent fieri circa idem. Hec autem solius affectus blasphemia est in voluntate: non est igitur heresis, nec infidelitas. De alia vero blasphemia, quae est in intellectu, siue illi sit coniuncta malitia in voluntate, siue non: est difficultas, an aliquo modo ad infidelitatem pertineat. Et pro huius rei consummata declaratione, de hoc prius admonere lectorum decreui, ut consideraret aliud esse dicere aliquid, & credere illud. Nam mentiens dicit id, quod tam non credit esse verum, nec refert, an dicat illud ore, an corde? Potest enim quis in corde suo aliquid dicere & illud secum pertractare quod tam non credit esse verum. Deinde aduertendum est, duo haec esse consideranda in fide, Primus est, credere omnes fidei articulos, Alterum est ipsos fidei articulos dicere ore, vel corde. Primus horum spectat ad fidem, & hoc vere dicitur fides, Secundus vero dicitur confessionis.

Titum. I.

Rom.10. fessio fidei, iuxta id quod dicit Paulus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ex op: posito etiam in infidelitate oportet considerare hęc duo; puta dissensum circa ea quae ad fidem pertinent, & dicere intus vel extra aliquid contra fidem. Primum horum videlicet dissensus pertinet ad infidelitatem, & est hæresis. Secundum verò scilicet dicere corde vel ore aliquid contrarium fidei, est vitium blasphemiae: ita q̄ blasphemia non consistit in credere, sed in hoc quod est dicere aliquid corde, vel ore contra Deum, siue credat ita esse quod dicit, siue non: si tamen illud dicat hac intentione ut Deo iniuriam faciat. Quoniam vt blasphemia vitiū dici possit, non satis est vt dicat aliquid diuinæ derogas bonitati, nisi illud voluntariè dicat. Ex quo manifeste colligitur blasphemiam nō esse vitium oppositum fidei, sed esse vitium contra confessionem fidei. Et inde deducitur blasphemum ea ratione qua blasphemus est, non esse dicendum hæreticum, nisi aliunde aliquid præter blasphemiam adiungat, quod illum efficiat hæreticum. Si quis enim dicat vel faciat aliquid quod diuinæ derogat bonitati, & id quod de Deo credit ita esse, simul blasphemus dicitur & hæreticus. Quatenus dicit aliquid contra diuinam bonitatem blasphemus est: quatenus vero credit id quod dicit, hæreticus est. Si quis crederet aliquid de Deo quod diuinæ bonitati repugnat, & id non diceret: hic talis hæreticus esset, & non blasphemus. Si quis autem econtrario aliquid intus vel extra Deo diceret quod à diuina esset bonitate alienum, & tamen q̄ dicit non credit ita esse, hic talis blasphemus dicetur, & nō hæreticus. Tales blasphemii sunt multi, qui à passione aliqua aut infirmitate deiecti, vim tribulationis, aut afflictionis non ferentes, de Deo, à quo tribulationem fibi inflictam esse putant, vindicari cupientes, quia aliter hoc efficere non valent, ore polluto & maledicto execrandas illi dicunt iniurias: quasi verba illa, quamlibet execranda Deo vel tantillum nocere possent. A quibus si postmodum peteretur, an talem credant esse Deum, quem illi dixerunt, certè ipsi firmissime negarent. Tales ego noui multos, qui post blasphemias per passionē ore prolatas, cœuicem gladio opponerent antequā verum esse

esse faterentur, id quod de Deo per blasphemiam effuderunt. Cum igitur tanta sit blasphemiarum varietas, oportet, ut varia sit etiam illarum punitio, & varius iudex, qui illas debita poena ferire debet. Blasphemia, quae nullam prorsus habet cum haeresi communionem, qualis est illa, quae committitur in iuramento emissio per membra Christi, aut sanctorum pudenda: cum illorum vituperatione, & ignominia, huiusmodi talis, aut cuiusvis alterius similis punitio non spectat ad inquisidores haeticorum ex parte eorum ordinario. Nec illi quoquis modo ex eodem iure, nisi aliunde sit illis delegatum, possunt se ingerere, ut de illis inquirant aut judicent. Sed illorum punitio spectat ad ordinarios iudices tam laicos quam ecclesiasticos. Blasphemia autem quae habet quandam cum haeresi vicinitatem vel connexionem, haec merito ad inquisidores haeticorum spectabit, ut de illa inquirant, judicent & puniant. Sicut qui dicere Deum iniuste punire aliquem, aut non posse hoc aut illud efficere, aut insipienter rem aliquam egisse: hic talis est blasphemus & ab inquisitoribus haeticorum examinandus. Non propterea solu quod blasphemus est, sed quia per talem blasphemiam dedit non modicam de haeresi suspicionem. Nam ex abundantia cordis (ut summa veritas ait) os loquitur. Qualis quisque est, talis est eius loquutio. Tanta est verborum cum moribus connexio, ut propter hoc Solomon (prout de illo refert Laertius) dixerit, orationem esse factorum simulachrum: quoniam animi vis in loquitione perinde ut in speculo representatur. Quo fit ut merito de unoquoque suspicemur, illum cum de re aliqua loquitur, ita sentire prout dicit. Quoniam (ut est apud Aristotelem) voces sunt earum quae sunt in anima passionum nota. At, cum omnis res de qua merito vehemens oriatur haeresis suspicio, pertineat ad iudicium & tribunal inquisitorum, oportet ut omnis talis blasphemia subdatur, etiam ex ordinaria eorum potestate, examini & iudicio inquisitorum. Cum tamen de huiusmodi inquirunt, oportet illos diligenter considerare personae qualitatem, sicut in ceteris criminibus, an sit persona que alias de illo errore prolato aut quoquis alio dederit aliquam suspicionem, an nullam. Deinde consideret tem-

Mat. 12.

Solon.

Aristot.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

poris quo blasphemauit circumstantiam, an tunc in tribulatione aliqua fuerit? an extra omnem tribulationem? quoniam inde coniicere valebit adiuncta etiam personæ qualitate, an ex infidelitate? an ex impatientia blasphemauerit? Si consideratis bene temporis & personæ circumstantiis, constet illū ex infidelitate blasphemasse procedet inquisitor ad illius tanquam hæretici punitionem, præsertim si ille, se credere dicat. Si neget se credere id, quod dixit, imo dicat se credere oppositum, & consyderatis præfatis circumstantiis, adhuc maneat suspicio illum ex infidelitate dixisse, iniungatur illi purgatio, & deinde moderata pœnitentia. Quod si in purgatione sua defecerit, ego de illo idem faciendum censerem, quod de aliis hæreticis qui in purgatione deficiunt, iura canonica disponunt. Si verò præfatis circumstantiis bene consideratis, constet illum non ex infidelitate, sed ex impatientia & passione aliqua blasphemasse: tunc quia ille non hæreticus sed solum blasphemus censetur, non habet inquisitor hæretorum quid ex iure ordinario amplius circa illum agere possit. Solent tamen inquisitores hæretorum, præsertim in Hispania, hanc habere sibi specialiter delegaram authoritatem, vt huiusmodi blasphemos punire valeant, & meritō. Tum propter criminis gravitatem & enormitatem, quod (vt supra docuimus) est gravissimum peccatum. Tum etiam propter negligentiam eorum iudicium tam Ecclesiasticorum, quam laicorum, quibus ex officio incubebat huiusmodi execrandas blasphemias acerbissime punire. Nam quia illi in hoc negligentes sunt, iussum est, vt hoc negotium aliis delegetur, qui auctiore correctione, & duriore disciplina blasphemias punientes, possent ab hoc execrando, & horrendo vitio homines reuocare.

D E S O R T I L E G I S , E T A V G V :
ribus, aliisque diuinatoribus, an sint hæretici
dicendis Cap. XIII.

TANTA inest hominibus multis sciendi curiosa cupiditas, vt ea, quæ ignorare esset vtilius, etiā cum fidei Catholicæ dispendio improba curiositate discere conentur. Ob quam causam non immeritè à multis dubitari solet, de huiusmodi hominibus, qui diuinatores nuncu-

nuncupantur, an sint illi omnes hæretici censendi, & ver
lut tales ab hæreticis prauitatis inquisitoribus puniendi.
Ad cuius rei pleniorē intelligentiam, oportebit ante om
nia inquirere quid sit, & quotuplex diuinatio & inde col
ligere valebimus: an illi, qui illam exercent sint hæretici
dicendi, an non? Diuinatio est enuntiatio eorum, quorum
notitia per naturam haberi non potest, neq; à Deo reuelat
a est. Res autem sunt aut præsentes, aut præteritæ, aut fu
turiæ. Præteriorum & præsentium scientia per naturam
haberi potest quoniam præsentia possunt videri, præterita
quaia aliquando fuerunt præsentia, aliquando visa sunt:
& ex illorum intuitione remanet notitia, quam Philoso
phi vocant abstractuam, per quam potest quis de præteri
tis certo aliquid scire, & aliis enuntiare. Futura autem quaia
nondum habent esse, videri nō possunt, & ideo nihil cer
tum de illis haberi potest. Propter quod diuinatio semper
per circa futurorum præcognitionem considerari solet:
quia illa sunt quæ ex se per naturam cognosci non pos
sunt. Si quis autem præsentia, aut præterita quæ per na
turam cognosci nō possent, enuntiaret, & certo assereret,
ego illum etiam diuinatorem appellarem. Sicut qui à
Roma per centum milliaria distans, diceret quid eo tem
poris articulo Romæ agatur: aut diceret homini, quem
nunquam vidit ea, quæ toto viæ suæ decursu egit, is certè
mea sententia etiam dicetur diuinator, ac si prædictisset
futura Nam sicut propheta dicitur etiam proprie ille, qui
per reuelationem agnoscit præterita, aut præsentia, quæ
alijs scire non poterat, quamvis frequentius dicatur pro
pheta, qui per reuelationem prænoscit futura: ita ei iam
proprie dicitur diuinator ille, qui præterita, aut præsentia
quæ naturaliter scire non poterat. absq; Dei reuelatione
cum certitudine asserit. Illa siquidem mulier Samarita
na, cui Christus dixerat quinque viros habuisse, & quem Ioan. 4.
eunc habebat non esse suum, statim hoc auditio exclama
uit dicens: Domine, vt video propheta es tu. Prophetam
siquidem censebat dicendum eum, quia præterita, aut
absentia, quæ in secreto latebat optime noscebat. Quan
tuis tamen hæc ita se habeant, solet frequenter ille solus
dici diuinator, qui futura cum certitudine, & absque de
ceptionis metu asserit. Futura autem (yt egregie beatus

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Thomas in Secunda Secundæ. quæstione nonagesima-
quinta docet) duobus modis cognosci possunt. Aut enī
cognoscuntur per suarum causarum cognitionem, aut
cognoscuntur per se ipsa. Causæ autē futuorum tripliciter
se habēt ad effectus suos. Nā aliquæ sunt, quæ ex necessitate:
te & semper suos producunt effectus. Huiusmodi effectus
futuri cum certitudine prænoscit, & prænuntiari possunt,
per cognitionem suarum causarum, quemadmodū astro:
logi præcognoscere, & prædicere solent æquinoctia, sol:
stitia, eclipticas solis, & lunæ. Talis prænuntiatio non dici:
tur diuinatio: quia non usurpatur per eam, quod propriè
diuinum est. Aliæ sunt causæ, quæ producunt suos effe:
ctus non ex necessitate, & semper, sed raro contingit eas
à suorum effectu productione deficere. Ex harum etiam
causarum cognitione possunt homines futuros effectus
præcognoscere, non quidem cum certitudine: sed per
quandam coniecturam. Ad hunc modum multa præ:
dicunt astrologi de pluviis, siccitatibus, terræmotibus,
de fertilitate, aut sterilitate terræ: & medici prænuntiant
de morte, aut conualescētia infirmorum, in quibus rebus
aliquando prædicunt vera, aliquando falluntur. Hæc
etiam prænuntiatio non potest dici diuinatio: quia limi:
tes naturalis cognitionis non excedit. Aliæ sunt cauſæ,
quæ nullam prorsus necessitatem habēt, vt suos effectus,
aut semper, aut pluries producunt: sed dubiæ semper ex se
sunt, & anticipantes, vt modo hos, modo oppositos effectus
producere valeant. Tales causæ vocantur liberæ, vt sunt
homines, & angeli. Effectus qui ab huiusmodi causis pro:
ducendi sunt, non possunt cum certitudine aliqua, siue vt
semper, siue vt in pluribus, per cognitionem causarum
præcognosci: quia causæ huiusmodi nullam habent ad
suos effectus coactionem. Quantumlibet quis cognoscat Petrum, non potest ex hac cognitione certo scire, an
Petrus cras ieiunabit, an nō, an loquetur, an tacabit: quia
cūm ille liber sit ad hos effectus, potest & vnum, & alte:
rum efficere. Tales ergo effectus, qui ab huiusmodi causis
pendent, nullus agnoscere potest, nisi dum sunt præsen:
tes, vt puta cūm videt Petrum comedentem, aut ieiunan:
tem, vel racentem, aut loquentem. Cognoscere hæc cum
certitudine, aut prædicere, ante quam siant, soli Deo con:
uenit,

uenit, qui (vt dicit Paulus) vocat ea, quæ non sunt tantum Rom. 4.
 quæ sunt. De huiusmodi futuris intelligendum est id, quod Salomon ait. Multa hominis afflictio: quia Eccle. 8.
 ignorat præterita, & futura nullo scire potest numeratio. Quæ verba in commentariis super Ecclesiasten in- Hieron.
 terpretatus Hieronymus, ait. Licet diuersa eveniant, & nō possit iustus scire quid ei futurum sit, nec singularum rerum causas, rationesque cognoscere. Nemo enim est conscius futurorum, tamen scit a Deo cuncta in utilitatem hominum fieri, & non absque eius voluntate disponi. Est enim magna afflictio generi humano: quia (vt Poëta ait) nescia mens hominum fati, fortisque futuræ, aliud sperat aliudque evenit, de altero loco expectat hostem, & alterius iaculo vulneratur. Hæc Hieronymus. Quisquis ergo talia futura prædicere, aut prænoscere: nisi Deo reuelante præsumpscerit, usurpare conuincitur, quod solius Dei est, & hic talis dicitur diuinator. Nam (vt dicitur causa Igitur. 26. quæst. 4.) diuini dicti sunt quasi Deo pleni. Diuinitate enim se esse plenos simulant, & astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant. Si quis vero huiusmodi futura contingentia, quæ a causis liberis dependent, Deo reuelante præcognoverit, aut prædixerit, non dicetur diuinator: quia non ex se, & per se talem habet notitiam, sed a Deo: & ita ipse non usurpat sibi diuumnum aliquid: sed Deo tribuit, quod ab illo se recepisse factetur. Alioqui omnes Dei Prophetæ dicentur diuinatores, eò quod tam multa de futuris prædixerunt. Nullus tamen sanctorum illos diuinatores: sed Prophetas appellavit. Ille enī solus diuinator dicitur, qui sibi indebito modo usurpat præcognitionem, aut prædictionem futurorum eventuum, quæ a liberis causis pendent. Et talis diuinatio semper est peccatum, & quidem graue: quia contra religionem, & cultum Deo debitum, non tamen omnes diuinationes æquali culpæ sunt obnoxiae: quia una peior est alia, quo peiora media ad futurorum prænotionem assumunt. Aliquæ enim sunt, quæ dæmonum inuocatione vtuntur, ut futura præscire possint, velut sunt Necromantici, aut Arioli. Alij vero sunt, qui sine expressa dæmonum inuocatione futura prædicunt, ut sunt Augures, qui ex garitu aviū, aut Aruspices, qui ex avium Aruspices.

Chiro- aspectu, aut Chiromantici, qui per signa manus, multa
mantici. de faturis prædicere solent. Et Sortilegi aliqui sunt, qui
Sortilegi. sub nomine Christianæ religionis, per sacrarum scriptu-
 rarum inspectionem, aut per quasdam, quas sanctorum
 seu apostolorum (vt Isidorus, s. lib. Ethy. ait) vocati for-
 tes, diuinationis scientiam profitetur. Et hi propriè sunt
 sortilegi, qui in iure canonico reprehenduntur, atq; dam-
 nantur. Sunt enim multi alij sortilegi minimè à iure re-
 prehensi, sed ab illo tollerati, & sunt illi, qui quanuis faciat
 aliquid, vt ipsius eventu considerato, occultum aliquid,
 siue præsens, siue futurū agnoscant, non ramen illoū co-
 gnitionem à dæmone: sed à Deo spectat, vt contingit in
 sorte diuisoria. Ea diuinatio, quæ cum dæmonum inuoca-
 tione exercetur. Est adhuc inter ipsas diuinationes aliud
 non paruum discrimen. Sunt enim aliquæ, quæ quodam
 modo hæresi miscentur, & sine alicuius hæresis admini-
 culo exerceri non possunt. Vt si quis mortuū baptizaret,
 ea forma, & eo ritu, quo baptizatur viuus, vel puerum ba-
 ptizaret, vt inde sortium emissarum responsum habeat,
 aut Eucharistiæ sacramento, ad maleficia, & incantatio-
 nes exercendas abuteretur, aut coram idolis execrandas
 effunderet preces, ad incantationes suas peragendas.
 Talia enim sortilegia, aut auguria, sine hæresis admixtio-
 ne nō fiunt. Nam credere mortuos utiliter baptizari pos-
 se, hæresis fuit Martionistarum, prout nos in eo opere,
 quod aduersus omnes hæreses ædidimus, titulo de bap-
 tismo, hæresi tertia, docuimus. Rebaptizare pueros, hære-
 sis Anabaptistarum est apertè damnata. Idola orare est
 idolatria, & si quis in illa, Deos adoratione dignos esse
 putat, apertissima est hæresis. Eucharistiæ sacramento ad
 maleficia peragenda abuti, vehementissima est hæresis
 suspicio. Quoniam hoc faciens, p̄æter magnā irā eueren-
 tiam, quam sanctissimo exhibet sacramento, meritō cre-
 ditur illum opinari, sanctissimum Eucharistiæ sacra-
 mentum, aliquid ad maleficia exercēda valere, & vim aliquā,
 & virtutem ad illorū maleficiorum exercitium habere:
 quoniam si hoc non crederet, non vteretur illo ad talis
 maleficij perpetrationem. Hoc autem sentire aperta est
 hæresis, & blasphemia. Si quis autem dæmones inuoca-

ret, ut sortibus emissis, aut figuris aliquibus factis, de futuris ab eis edoceretur, licet grauiter peccaret, nō adhuc diceretur hæreticus, si res, quas à dæmonibus scire procurat, tales sunt, quæ à dæmonibus bene p̄t̄noscī possunt. Nam dæmones, qui rerum naturas, & earum virtutes, & motus (ut habetur in cap. Sciendum. 26. quæst. 4.) melius quam homines noscunt, possunt ex cognitione causarum præcognoscere effectus, quos illæ ex necessitate, & semper producūt, prout superius de Astrologis diximus, circa prænitionē eclipsium solis, & lunæ. Si quis huiusmodi eclipses, aut fertilitatem terræ, aut sterilitatem futuram, à dæmonie præscire tentaret: quanuis grauissimè peccaret, non esset tamen censendus hæreticus. Si vero ea, quæ per naturam scire non poterat, per dæmonum invocationem scire niteretur, hic mea sententia est præsumendus hæreticus: quoniam dæmones ad illa prænoscenda non inuocaret: nisi crederet dæmones illa præscire. Hoc autem de dæmonibus sentire, aperta est hæresis: quo niam qui dæmones credit posse cum certitudine prænoscere ea futura cōtingentia, quæ ex hominis arbitrio pendent, credit illos esse Deos: quoniam hoc soli Deo conuenire, satis conuincitur per id, quod apud Esaiam prophetam legitur. Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum & sciemus: quia Dñs estis vos. De talibus solū, qui dæmones inuocant, ut ea ab illis sciant, quæ non nisi à Deo sciri possunt, ego censeo debere intelligi capitulum, Episcopī, quod habetur vigesima sexta quæstione quinta. in quo capitulo Sortilegi, & Magici vocantur hæretici. Hoc ideo ibi dictum est, nō quod semper oporteat sortilegos & magicos viros esse hæreticos: sed quia aliquando tales diuinationes, sine alicuius hæresis admixtione exerceri non possunt. Ad eundem modum etiam intelligentum est, capitulum, non obseruatis, vigesima sexta quæstione septima. Aliæ sunt diuinationes, quæ licet sine peccato graui fieri nequeant, sine tamen alicuius hæresis adminiculō exercentur. Veluti si quis per sortilegia, aut auguria, à dæmonie inquirat de futuris, ea, quæ ille per suam naturam præscire potest, aut ab illo petat, ut faciat, quæ certum est dæmonem Deo permittente facere posse, & non credit dæmonem plura scire, quam scit aut

Esa. 47.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

aut plura posse, quā potest, nec aliquid aliud suis sortilegiis, aut maleficiis admiscet, quod ex aperto fidei errore procedere confiter. Si quis dæmonis adiutorio velit, & instantissimè procuret scire, quid Romæ, aut in exercitu Imperatoris agatur, aut quis alicuius maleficij in secreto, sine testibus commissi, sit auctor, aut quo loco malefactor lateat, non propter hæc est censendus hæreticus: quia tales diuinationes, aut talia sortilegia, siue maleficia, quan- uis grauissima sint peccata, non tamen habent ullam hæresis commixtionem. Nam sicur alia peccata per malitiā puram, & sine ullo errore, & ignorantia, sed ex industria committi possunt, ita etiam sortilegia, & auguria, & aliae diuinationes possunt ex pura malitia, & ex industria, si: ne ullo errore intellectus & per consequens sineulla hæresi exerceri. His igitur præmissis, tale pono documentū, ex quo totius huius rei summa pendet. Sortilegia, & auguria, & reliquæ diuinationes, quæ sine alicuius hæresis adminiculo exerceri non possunt: subduntur examini, & censuræ inquisitorum hæreticæ prauitatis, & ab illis puniri debent. Talia sunt opera Necromanticorum, quo niam illi (vt postea dicemus) semper male de fide sentiunt, credentes de dæmonibus, quod multa possint, quæ re vera non possunt. Sortilegia verò, & auguria, & aliae diuinationes, quæ ex sola malitia voluntatis, absq; ullo errore intellectus exercentur, non subsunt ex iure ordinario, censuræ inquisitorum hæreticæ prauitatis, nisi aliunde ad hæc causam illis fuerit delegatum. Hoc expresse definitum est ab Alexandro quarto, in cap. Accusatus. paragraph. Sane de hæreticis, libro sexto.

Episcopi verò de huiusmodi sortilegiis, quæ hæresim non sapiunt, inquirere, & iudicare possunt, quia istorum potestas latior est, quā potestas inquisitorum. Ut autem inquisitor hæreticorum sciat, an sortilegus, aut augur, aut alius qui uis diuinator, suę subsit iurisdictioni, an nō, hoc mea sententia illum facere oportet. Interrogabit de dæmonum potestate, de illorum scientia, vtputa, quid credit illos scire de futuris, quid illos posse agere circa hæc inferiora. Interrogabit etiam, an dæmon possit hominis secreta, quæ in solo illius versantur corde, rimari, & perfectè cognoscere. Nam quod hæc solius Dei cognitioni sub-

Subdantur, scriptura sacra testatur, dicens: Scrutans cor-
da & renes, Deus. Et Apostoli orantes Deum: dixerunt. Psal. 7.
Act. 1.
Tu Domine, qui corda nostri omnium, &c. Ex quibus hoc
stat, hæresim esse, dicere quod dæmon secreta hominum
noscat. Huiusmodi autem erroribus solent sæpe sortile-
gia misceri. Et si ille de omnibus his iuxta regulas fidei
responderit, credendum est illum ex pura malitia, & non
ex errore intellectus, tale peccatum commisso: nisi opus
ipsum tale sit, quod vehementer præbeat de hæresi sus-
pitionem. Qualia sunt ea, quæ supra enarrauimus, vide-
licet, baptismus mortui, rebaptizatio puerorum, abusus
sacramenti, ad maleficia exercenda. Hæc enim, & his si-
milia, licet hæreses non sint, cum hæresis non sit in ope-
re, sed in intellectu (vt supra capite primo docuimus) ve-
hementissimam tamen præbent hæresis suspicionem.

DE MAGIS, AN SINT HÆRETICI
censendi, & velut tales puniendi.
Cap. XIII.

Multo sunt, proh dolor, homines, qui vero Deo illo-
rum, & aliorum omnium creatore relicto, ad dæ-
monem omnium hominum capitalem hostem confugere,
non verentur: & cum a Deo, illi seruientes, omnia vere
bona certo sperare possent, dæmoni seruare, & illi per om-
nia obedire malunt, a quo nil nisi malum recipere valent.
Nam dæmon ipse quanvis est sublimi illo statu, in quo a
Deo conditus erat, propter insanam illam, prodigiosamque
superbiā, qua Deo se æquare tentauit, ad inferos usque de-
iectus est, in ea tamen cæca ambitione obstinatus hucusque
persistit, ut Deo se æquare contendat, & diuinos appetere
honores non vereatur. Quos cum in celis ex quibus se
deiectum conspicit, se iam assequi posse, non speret, illos
ab hominibus, quos certissime scit facilius decipi posse,
accipere quotidie procurat. Ut autem hos, quos tam an-
xiè concupiscit, diuinos assequatur honores, nihil inten-
tatum relinquit. Nam quosdam fraudibus decipit, trans-
figurans se (ut de illo refert Paulus Apostolus) in ange-
lum lucis: alios variis, prout quemque concupiscere nos-
cit, propositis donis, & premiis allicit. Quibus fraudibus

2. Cor. 11.

&

. T U N I F .

Technis multos hactenus utriusque sexus homines sed
dixit: qui illum summè venerantur, & tanquam Deum
adorant. Non tamen omnes, qui illi obediunt, eodem ri-
tu, & ordine illum venerantur, nec omnes eodem cen-
sentur nomine. Nam quemadmodum Christiana reli-
gio varios continet intra se ritus, quibus verus colitur
Deus: varias etiam hominum congregations, qui licet
habitu, & nomine ceremoniisq; inter se diuersi sint, om-
nes tamen ad hunc tendunt scopum, vt Deum colant:
& illi obediant: ita ille superbiè parens Sathanas, Deum
in hoc imitari volens, plures sui diabolici cultus habet
professores, qui licet diuerso censeantur nomine, diuer-
sosq; habeant in dæmonis cultura, ritus & mores, hoc
tamen inter illos conuenit, quod omnes laudant dæmo-
nem, & illum venerantur, illi:q; per omnia obedire pro-
curant. Diuersitas autem istorum variis modis considerari
potest. Primò quidem considerari potest, ex diuersitate
mediorum, quibus ad consequendum id, quod optant,
vtuntur. Sunt enim, qui incantationibus mortuos susci-
tare se dicunt, vt ab illis edocti, de futuris aliquid prædi-
cere, aut diuinare possint. Et hi (vt docet Augustinus lib.
10. de ciuitate Dei) dicuntur Necromantici, quia vi pos
Græcè, Latinè dicitur mortuus, verò dicitur di-
uinatio. Necromantia igitur dicitur diuinatio ex mor-
tuis habita, vel accepta. Alij dicuntur hydromantici ab
aqua, quæ Græcè dicitur, ex cuius inspectione
vmbras dæmonum euocare se putant, & imagines eorum
videre, à quibus quod putant (vt ipsi aiunt) edocentur.
Sunt alij similes diuersis nominibus appellati diuinato-
res, quorum nomina recensentur in cap. Episcopi. 26. qu. 5.
de quorum diuinatione, quoniam in proximè præceden-
ti cap. differuimus, ideo de illis nihil aliud dicere statui.
Potest etiam inter eos, qui dæmonem venerantur: altera
considerari diuersitas, quæ sumenda est ex diuersitate
earum rerum, quas dæmonis adiutorio exercent, & quas
à dæmone impetrare cupiunt. De his omnibus sigilla-
tim hoc ordine differere statui, vt primò osīēdam, qui, &
quales illi sint, deinde inuestigem, an sint inter hæreti-
cos censendi, & velut tales puniendi. Sunt igitur aliqui,
qui magna aliqua mirabilia se facere posse vehementer
simè

August.

Simè cupiunt, vt per horum mirabilium operationem, ab aliis suspiciantur, & sint illis in miraculum, & stuporem, & ob hanc causam dæmoni se subdunt, vt illius auxilio, & potentia mirabilia multa facere possint. Hi (vt Augustinus docet) vocantur Magi, quales fuerunt illi, qui coram Pharaone (vt Exodi historia narrat) Moysi resili-
terunt omnia illa mirabilia dæmonum auxilio facere conantes, quæ Moses Dei virtute faciebat. Talis etiam fuit Simon ille, qui (vt Lucas in actibus Apostolicis re-
fert) existimauit Dei donum pecunia posse possideri.

Exod. 7.

Act. 8.

Hic enim tot, tantaq; mirabilia dæmonis auxilio opera-
tus est, vt à Samaritanis, vnde originem traxerat, pro
Deo habitus sit, & Romani (vt Iustinus martyr in suo
apologetico refert) publicam illi tanquam Deo statuam
erexerint. Ut autem de ipsis certius, & apertius definire
valeamus, an hæretici sint dicendi, an non ? hoc impri-
mis animaduertere oportet, quod nullus Magus aliquid
horum mirabilium operatur, sine aliquo pacto, inter il-
lum & dæmonem facto. Non enim gratis hæc omnia Sa-
thanas docet, nec gratis suam magis impartitur eam,
quam habet potentiam, sed aliquid ab ipso mago recipit
vt illum ad illa mirabilia perpetranda iuuare velit.

Consideranda igitur est ante omnia ipsius pacti qualitas
& conditio: quoniam inde magna huius rei notitia pen-
det. Pacta autem ista dupliciter fieri contingit, quoniam
quædam aperte, & expressè fiunt, alia verò non, nisi ta-
citè & latenter. Pactum apertum & expressum est, quod
cum ipsomet dænone emittitur, & illi in propria perso-
na datur. Et hoc iterum duplex. Est enim aliquod publi-
cè & solenniter factum, est etiam aliud priuatim, & sine
ulla prorsus solennitate factum. Pactum publicum &
soleenne est, quod si cum dænone sedente in solito re-
gali, & multitudine suorum subditorum stiparo, in ge-
nerali quadam congregatiōne veluti in quibusdam co-
muniis generalibus, quo omnes, qui sub dænone militat,
& illi nomina dederunt, conueniunt. Ibi enim coram
omnibus illis promittunt aliqui (vt longius infra dice-
mur) dæmoni obedientiam, & illius mandata se per om-
nia seruatores vount, Deo & omnibus operibus eius re-
nuntiant, aliaque innumera scelera se patratores iurant.

Qua

Quæ per illos emissa promissione, dæmō illis statim promittit se illis datum ea, quæ scit illos concupiscere. Non enim omnibus omnia promittit, sed quo quisque ius se dæmoni tradit, & plura in illius honorem se factum spondet, eo plura etiam dæmon illi promittit, & plura condonat. Pactum priuatum & expressum est, quod cum ipso fit dæmonie promissionibus vltro citoq; datis, nulla tamen habita solennitate, nullisq; etiam adhibitis testibus. Quæ autem dæmon promittit se illis datum, pro viribus præstare laborat, ne si mendax in promissis inueniatur, hi qui illi se dederant ab eo iterum recedant, & sic amittat, quos iam velut seruos habebat. Sunt tamen aliqua non pauca, quæ dæmon minimè efficeret valet: quia aut suas naturales vires excedunt, aut licet eas non excedunt, Deus tamen sine cuius nutu nihil agere potest dæmon, illa agere non permittit. Si quid igitur horum dæmon illis promisit illusionibus quibusdam & præstigiis sic illos sæpè fallit, vt illi putent id, quod à dæmon sperabant, se assequutos fuisse. Pactum tacitum cum dæmonie est, quod quis facit non cum dæmonie, sed cum eo, qui est dæmonis discipulus, & seruus promittens illi obedientiam integrum, & absolutam, & renuntiat Deo, & fidei Catholicæ, & reliqua omnia spondet, quæ ipsi dæmoni alij promittunt. Is autem cui hæc promittitur, vice versa promittit illis, quod propter hæc multa magna, & mirabilia assequentur. Hoc autem pactum quanvis non cum ipso dæmonie factum, dæmon ipse ratum habet, & omnia in illo contenta, perinde adimplere nititur, ac si fuissent ab eo promissa. Quo fit, vt non solum illi, qui expressum, sed etiam qui tacitum cum dæmonie pactum fecerunt, multa insolita, & stupenda, dæmonie illos adiuuante faciant, aut facere videantur. De his omnibus non incongruè dici potest id, quod de aliis peccatoribus Dominus per Esaiam prophetam dixit:

Esa. 28. Percusimus fœdus eum morte, & cum inferno fecimus pactum. His igitur annotatis, vt sciamus de Mago aliquo, an hereticus ille sit, an non? duo sunt consideranda. Primum est, ipsius pacti, quod cum dæmonie fecit qualitas, & cōditio, siue tacitum illud sit, siue expressum nihil refert. Si per pactum illud promisit se adoraturum dæmonem

moniem, & alios diuinos honores illi daturum, & hoc vel aliquod aliud simile promisit: quia ita faciendum esse credidit, merito proculdubio ille censendus erit hæreticus: quia dæmonem Deum esse credit, quem illum tanquam Deum adorat, aut adorare promisit, & venerari. Nam verus Deus creator omittium, qui loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius, per Esiam prophetam loquens ait: Ego Dominus, & non *Esa. 43:1* est alius: extra me nō est Deus. Et in eodem loco iterum: Ego Dominus & non est alter. Et rursum: Nunquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absq; me? Si nullum fecit pactum de re, fidei Catholicae repugnante, quod rarissime contingere potest, quoniam (vt diximus) nunquam solet dæmon gratis, & sine aliqua certa lucri spe eam, quam habet potentiam hominibus impartiri, & per illam hominibus ad eorum nutum inseruire, tunc Magnus ille erit examinandus, quid de dæmonis potestate credat. Si certò cognosci potest illum credere de dæmino, quod posset aliquid, quod Deo soli conuenire fides Catholica docet, erit sine villa dubitatione hereticus censendus. Ut gratia exempli, si credit dæmonem posse aliquid creare, prout Manichei, & Priscillianistæ dixerunt, aut credit dæmonem posse mortuos suscitare, quod re vera solius diuinæ potestitiae est proprium. Nam sicut fide credimus animam humanam à solo Deo creari posse, ita etiam fide tenendum est solum Deum posse eandem hominis animam corpori humano vnire.

Hoc enim ratione naturali certo, & evidenter scimus, quod nulla forma substantialis potest alicui materiae velut illius forma vniiri: nisi à solo illo agente, qui posset illam producere. Agens quod non potest formam substantiali p̄ducere, nec potest etiam illam materiae vniire, quoniam sic vniendo videretur ipsum cōpositum ex materia, & formā producere. At ineptia est maxima dicere, quod aliquod agens producat aliquod compositum, cuius nec materiam, nec formam producere potest. Deus igitur, qui solus animam hominis producere, & creare potest, etiam solus potest illam postquam à corpore suo separata fuerit, iterum eidem corpori vniire. Nam alias ille, qui animam corpori vniiret, hominem illum fecisse

DE IVSTA HÆRET. FVNT.

diceretur, quod nefas est dicere dæmonem hoc facere posse;

Gen. i. se; Quia dicente Deo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, aperte nos docuit, ipsius hominis productione tantam esse, ut propagatione seclusa, soli Deo cōuenire possit. Fortè quis hic mihi obiiciet Sa-

t. Reg. 28. muelem, qui (ut Regum narrat historia) per phytonis fam suscitatus est, & interrogatus responda dedit Regis Sauli. Huic obiectioni dupliciter respondere possumus, prout Augustinus in epistola ad Simplicianum docet:

Primo quidē dici potest iuxta illum, non fuisse Samuelis animā, quę apparuit, & cum Saule loquebatur, sed quoddam phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quā scriptura sacra in lib. i. Regum, & in

Eccle. 46. Ecclesiastico Samuelē vocat, eo loquutionis tropo, quo imagines suarum rerū nominibus solent appellari. Nam imagines illæ cherubin, super arcā testamenti existentes, cherubin appellantur in sacra scriptura, cū tamen re vera

Gen. 40. non essent Cherubin: sed illorum imagines. Et pincerna ilie Pharaonis in carcere cum Ioseph existens, vitem se in somnis vidisse dixit, in qua erant tres propagines, cū tamen nec vitem, nec propagines vidit: sed solas illarum rerum imagines. Iuxta hunc modum etiam angelī, qui olim à Deo ad homines mittebantur: dicebātur in veteri testamento Dñi, ob hoc solit̄ quia Deum, à quo mittebantur, representabāt. Nam de angelo illo cum quo luctatus

Gen. 32. fuerat, Iacob loquens dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Non enim Deum videbat Iacob (ut omnes sacri doctores concorditer docent) sed angelum à Deo missum, qui propterea quod speciali quodam modo Deum, à quo missus erat, representabat. Deus, aut Dominus, à Iacob dictus est. Sic etiam portuit illa Samuelis imago, quā dæmon ob oculos Saulis posuit, dici Samuel. Si vero scrupulus aliquem vrget, ut non imaginem Samuelis: sed ipsum Samuelem suscitatum esse credat, propterea quod is, qui apparuit, vera Sauli predixit, quae à maligno spiritu dici non poterant, propterea quod nihil de futuris certum ille præcognoscere potest, præsertim de illis, quae non à solis necessariis causis eueniunt. Hunc scrupulum tollit Augustinus, in illa præfata epistola, sic inquiens: Potest & illud videri mi-

rum,

rum, quod dæmones agnouerunt Christum, quem Iudei non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam infirmos spiritus aliqua vera cognoscere temporalia dñntaxat ad istam mortalitatem pertinentia, facile est nec incongruū, vt omnipotens, & iustus (ad eorum pœnam, quibus istz prædicuntur, vt malum, quod imminet, antequā veniat, patiantur) occulto apparatu, videlicet, mysteriorum suorum talibus spiritibus aliquid diuinationis impartiatur, vt quod audiunt ab angelis prænuntient hominibus. Tantum autem audiuit, quantum omnium moderator Dominus iubet, vel sinit. Hæc Augustinus. Secundo dici potest, iuxta Augustini sententiam, quod is, qui Sauli apparuit, fuit verus Samuelis spiritus à dæmone adductus, Deo id permittente propter aliquam rationem nobis occultam. Nam cum Christus permiserit se à diabolo assumi, & super pinaculum templi portari, & super montem excelsum collocari, nō est mirum, quod animam Samuelis ab inferis portare fuerit permisus, præsertim cum ipsa Samuelis anima propè infinitum minoris sit excellētiæ, quam ipse Christus. Aut certè dato quod fuerit verus Samuelis spiritus is, qui Sauli apparuit, dici melius poterit, illum non aliqua arte magica, aut dæmonis potestate ad hoc permissa: sed diuina potentia, & dispositio ne, quæ phythonissam, & dæmonem latebat, fuisse illuc adductum, vt Sauli sententiam diuinam propter sua demerita super eum proximè venturam, prænuntiaret, quæ admodum ipse net dum viueret eidem Sauli nuntiavit illum esse ex Dei decreto à regno deiectum. Si autem alii quis eam sententiam magis probare voluerit, que ait animam Samuelis fuisse à dæmone ex Dei permissione ab inferis suscitatam, hoc suimè cauete debet, ne credat, aut suspicetur animam illam fuisse suo proprio corpori restitutam, aut alicui alteri corpori sic infusam, vt ex illa coniunctione corporis cum illa anima, verus & integer fuerit homo conflatus, qualis ante mortem suam fuerat. Talem enim coniunctionem corporis cum anima, neq; etiam Deo permittente dæmon ex suis viribus facere potest. Et certè Augustinus, qui admittit animam hominis potuisse à dæmone ex Dei promissione ab inferis ad superos adduci, non admittit dæmonem potuisse ilam

corpori infundere. Ad solum enim motum localem dicitur animam Samuelis potuisse dæmonis potestati subesse, ut posset illam de loco ad locum, illa inuita mutare. Nam ad hoc solum valet exemplum, quod attulit de Christo, quem diabolus de deserto ad ciuitatem Hierusalem traxit, & posuit supra pinnaculum templi. Hoc tamen in auctor illa duo interest, quod Christus non inuitus: sed se permittente, ductus est a dæmonie. Anima vero etiam inuita potest a dæmonie, quo illi placuerit, duci, nisi dæmon sit a Deo ad hoc faciendum impeditus. Quisquis igitur hanc probare voluerit sententiam, ut dicat veram animam Samuelis a dæmonie ex Dei permissione fuisse eam Saule adductam, horum alterum illum dicere oportebit, aut animam illam non fuisse vero corpori, sed phantastico, & apparenti tunc coniunctam, cui non, ut vera illius forma vniebatur, sed solum illi assistebat ut motrix illius: aut si in vero corpore, cui verè, ut forma illius vniebatur, illam apparuisse dicat, talem animam cum corpore vniōnem a solo Deo factam esse ille dicere cogetur, ne hominem (quod impium est a dæmonie fieri posse dicat). Si quis vero contendit dæmonem posse animam hominis corpori vniire, is certe testimonio beati Leonis, huius nominis primi, damnatur, qui in epistola ad Toribium Astorigensem Episcopum differens de errore Priscilliani dicentis, animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cœlesti habitatione peccasse. atque ob hoc a sublimibus ad inferiora dilapsas in diuersæ qualitatis principes incidisse, & per aeras, ac sydereas potestates alias duriores, alias mitiores, corporibus esse inclusas, sic ait. Quam impieratis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos Catholica fides a corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter quod animam hominum priusquam suis insipientur corporibus, non fuere, nec ab ulla incorporentur nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator, & corpusrum. Haec Leo Papa, qui fide Catholica tenendum esse docet, animas a solo Deo corporibus humanis infundi. Cum igitur Magus aliquis mortuum aliquem suscitare se dixerit, nequam est illi credendum: quia nec dæmon ipse, a quo suauatur, hoc facere potest. Poterit quidem

Leo
Papa.

Quidem Deo permittente, & dæmone fauente animam solam alicuius defuncti ab inferis ad superos adducere, & corpori alicui phantastico, ad imaginem, & similitudinem corporis defuncti confitato illam infundere, non quidem, ut formam illi coniunctam: sed tanquam illius motricem. Et quia hoc dæmon facere potest, hinc est, quod ipse dæmon huiusmodi illusionibus, & præstigiis magos ipsos, & alios insipientes decipit, ut putent illum posse mortuos suscitare. Quisquis tamen hoc putat, impius est, & hæreticus: quia creaturæ hoc est, dæmoni tribuit id, quod soli Deo conuenit. Nam vnum ex præcipuis testimoniis, quo (ut concors omnium sacrorum doctorum sententia tenet) Christus suam nobis manifestè declarauit diuinitatem fuit mortuorum suscitatio. At si hæc mortuorum suscitatio dæmonum potestate fieri possit, non satis bene suam diuinitatem illo argumento nobis probasset Christus. Est adhuc aliud considerandum circa dæmonis potestatem, mutare videlicet, homines in pecora, aut volucres, aut quæcumque alia bruta animalia, de quo Magum examinandum esse censeo, & diligentissime interrogandum, an credat illud dæmonem facere posse. Nam & Magi sæpisimè hoc se facere dicunt, & de his multa olim facta esse fabulosa narrauit gentilitas.

Quæ omnia apud multos fidem obtinuerunt propter vanam & leuem Græcorum credulitatem, quæ eousq; processit, ut nullum fuerit tam impudens mendacium, quod teste, ac proinde fide apud illos caruerit. Lucianus scribit se quum in Thessalia noscendæ magiæ causa versaretur, mutatum in asinum, dum auem fieri optaret. Non quidem quod hoc illi contigisset: sed (ut opinor) ad artis magicæ irridionem, & subsannationem, hoc confixit argumentum homo, qui neminem, nec Deos ipsos nō subsannauit. Idem argumentum postea Apuleius suscipiens scripsit librum de asino aureo, ut suam ostenderet eloquentiam, quamquam multorum opinione id, quod optauit, non est assequutus. Circem famosissimam magam socios Vlyssis mutasse in bestias finxit potius, quam narrauit Homerus. Diomedis socios post Troianum excidium in volucres fuisse conuersos refert Ouidius lib. 14. Metamorpho. Et beatus Augustinus, libro. 18. de ciuitate Augusti,

Lucianus

Apuleius

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Dei, cap. 13. refert se, cum in Italia esset, similia quedam au-
diuisse de quadam regione illarum partium, vbi stabula:
rias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare so:
lere dicebant quibus vellent, seu possent viatoribus, vn:
de in iumenta illico verterentur, & necessaria quæc; por:
tarent: perfunctæq; opera, iterum ad se redirent: nec ta:
men in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem, hu:
manamq; seruari. Quæ vana, & leuis credulitas à Gen:
tilitate, præfertim ab antiqua illa Græcia ortum habens,
ad nostra usq; tempora procescit, in quibus non desunt
homines, qui credant, homines in lupos, aut canes, aut
cattos, magorum incantationibus, & dæmonum poten:
tia conuerti posse. Si Magus hęc, aut his similia à dæmo:
ne fieri posse credat, erit proculdubio hæreticus censem:
sus, quia ea dæmoni tribuit, quæ omnem superant natu:
ralem creaturæ potentiam, & quæ soli Deo cōuenire pos:
sunt. Nam (vt ex proximè præcedentibus constat) sicut
solus Deus potest animam humanā producere, ita etiam
ille solus potest illam corpori vnire: & inde sequitur, vt
etiam ille solus possit illam de corpore in corpus trans:
ferre. Pæterea anima humana talis est, & tantæ nobilita:
tis, vt non nisi corpus humanum, & organicum informa:
re & animare possit. Nam sicut quælibet forma substani:
tialis exigit certas aliquas dispositiones in materia, vt il:
lam fouere, & informare possit, veluti forma ignis requi:
rit calorem in materia, forma arboris, aut herbæ requiri:
humiditatem, aut viriditatem: ita anima humana requi:
rit in corpore figuram humanam, vt corpus illud anima:
re, & vegetare possit. Non tamen puto sic talem corporis
figuram requiri, vt Deus non possit animam hominis si
vellet, corpori bruto vnire, Deus tamen hoc nunquā fa:
cere decreuit, qui ab initio hominem creans, animam il:
lius non nisi corpori organico infudit, talemq; illum in
corporis figura tunc fecit, qualis perpetuo postea facien:
dus erat. Et ob hanc causam dicimus animam hominis,
si ad ordinem, & potentiam naturæ referatur, non posse:
nisi corpus humanum vegetare. Non est igitur creden:
dum illa dæmonum potentia posse homines in iumen:
ta, aut aues, aut alia bruta animalia mutari. Si quis verō
obiicit ea, quæ Circem illam magam olim feuisse Poëtæ
referunt,

referunt, & quæ hodie à multis Magis fieri dicuntur, his omnibus eleganter, & ingeniose respondet Augustinus August., libro decimoctauo de ciuitate Dei, capite decimocta- uo sic inquiens: Nec sanè dæmones naturas creant, si ali- quid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur questio: sed specie tenuis, quæ à Deo sunt creata commutant, ut videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum ani- mum: sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim de- monum arte, vel potestate in membra, vel lineamēta be- stialia, veraciter posse conuerti: sed phantasticum homi- nis, quod etiam cogitando, siue somniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, so- pitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad alio- rum sensum, nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci: ita ut corpora ipsa hominum alicui iaceat, viuentia quidem, sed multo grauius, atq; vehementius, quam sommo suis sensibus obseratis. Phantasticū autem illud veluti corporatū in alicuius animalis effigie appa- reat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videa- tur, sicut talis sibi videri posset in somnis, & portare one- ra, quæ onera si vera sunt corpora, portantur à dæmoni- bus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum cor- pora, partim iumentorum falsa cernentibus. Hactenus Augustinus. Et ad probationem huius suæ sententiæ, qua dicit illa non vera esse, sed dæmonum illusiones, ad- ducit experientiam ipsam, quæ multa vera docere solet. Ad ipsam autem experientiam comprobandum, duo nar- rat facta, in quibus id, quod dixit verum esse, certissime cognitum est. Quibus narratis, postea iterum sen- tentiam suam explicat, sic inquiens, Proinde quòd ho- mines dicuntur, mandatumque est literis à Diis, vel po- tius dæmonibus Arcades in lupos solere conuerti, & quod carminibus Circe socios mutauit Vlyssis, secun- dum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixi: si tamen factum est. Diomedes autem volu- cres, quandoquidem genus earum' per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis homini- bus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas, sicut cerua pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Neque enim dæmonibus iudicio Dei permisisti, huiusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt. Sed quia illa virgo postea viua reperta est, suppositam pro illa cœrueam esse facile cognitum est. Socij vero Diomedis, quia nusquam subito comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, per dentibus vltoribus angelis malis, in eas aues, quæ pro ilis occulte ex aliis locis, vbi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse contumeliæ. Hucusq; Augustinus, qui rem totam luculentiter, & ingeniosè (vt foler) explicuit. Iuxta hunc modum, quem Augustinus docet, sunt intelligenda multa alia, quæ magos facere posse, vana, & leuis gentilitas credidit. Nam (vt cætera ridicula pertranseam) fuit gentilitati persuasum, magicis incantamentis detrahi cœlo lunam, aut somorem obscurari. Ideo Ouidius de Medea loquens, dixit.

Ouid.

Illa reluctantem cutsu deducere lunam

Nititur, & tenebras addere solis equis.

Et Virgilius in Pharmaceutria.

Virgil. Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

Adiuuari putabant lunam sic laborantem sonitibus per magnis, ne voces incantantiū eò possent peruenire, ut ab ea exaudirentur, idcirco tympana, & cymbala pulsabuntur. Nam hæc omnia plurimum prodesse putabant. Vnde Propertius ait : Cantus & è curru lunam deducere tentat. Et facerent, si non æra repulsa sonent. Et Iuuenalis de fœmina loquacissima loquens, Satyra sexta dixit.

Propert.

Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Hæc omnia virtute dæmonum fieri nequeunt, qui naturæ ordinē à Deo institutum permutare non possunt. Sed (vt Augustinus de aliis rebus dixit) diabolica illustratione similitudines, & phantasmatæ illarum rerum dæmon ob oculos hominum sic subtiliter, & artificiose ponebat ut homines crederent se nō similitudines, & phantasma. ta: sed veras res vidisse. Ad cuius sententiæ confirmationem præter exempla: quæ ille adduxit alia multa possunt afferri, è quibus vnum solum referam, quod narratur in vitis patrum. Iuuenis quidam iuueniculam ardenter amabat, eamq; ad actus venereo, vt sibi consentiret quotidie solicitabat. Quam: quia nunquam consentire voluit, quidam Iudeus magus ad iuuenis petitionem, in equam

equam conuertit, ut sibi, & aliis aspici entibus videbatur. Ob hanc causam illa ad beatum Macharium ducta est, qui illam aspiciens dixit, sibi mulierem, & non equam videri. Non enim potuit dæmon sancti viri sensus illudere, quemadmodum aliorum sensus illuserat. Hic igitur Deum pro illa orans, suis precibus a tali illusione eam liberavit. Denique hæc sententia confirmatur auctoritate concilij Anquirensis, quod de hac re apertissimam dedit definitionem, sic inquiens. Quisquis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel in aliā similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior. Hec concilium Anquirense, ut citantur a Gratiano in cap. Episcopi. 26. q. 5.: Nam huius concilij decreta non reperiuntur inter illa, quæ duobus voluminibus magnis conclusa, anno ab hinc octauo impressa sunt Coloniæ. Sunt enim illic decreta concilij Ancyrani, & suspicatus Gratiani literam madosam (prout alias saepe in illo Gratiani volumine contingit) ita ut pro Ancyrano positum esse Anquirense, omnia concilij Ancyrani decreta perlegi, sperans præfatum decretum illic inuenire: sed nihil tale in concilio Ancyrano reperi. Collector tamen illorum conciliorum, post Ancyrani concilij decreta hoc addidit, dicens se in quodam codice manu scripto illud inuenisse.

DE MALEFICIS, AN SINT hæretici dicendi, & velut tales puniendi. Cap. X V.

IN T E R multos, quos sub suo imperio dēmō cōtinet homines, qui illū inuocāt, & pactum cū illo feriunt, ut illius adiutorio ea, quæ optat efficere valeant, quidam recessentur, qui ab operibus suis malefici appellantur, propterea quod tam malignantis, & pestiferi sunt ingenii, ut nulli bene: sed dæmonē ipsum imitātes, male multis face: re optent, & ob hoc solum dæmonis imperio se subdunt, ut ab illo doceantur, quo pacto aliis obesse possint. Nam licet magi, & incantatores, de quibus in præcedenti cap. disseruimus, possint etiam hæc maleficia dæmonis auxiliō opera:

Ilo operari, non tamen ob hanc maleficiorum peritiam,
 magi: sed malefici vocantur proprio vocabulo, prout ex
 ipsa vocis etymologia facile constare potest. Nam in I.
 Nemo. C.de malificis, & mathematicis, dicitur huiusmo-
 di homines ob facinorum magnitudinem maleficos à
 vulgo appellari. Huiusmodi autem maleficorum multa
 sunt genera, quæ non secundum varietatem mediorum,
 & instrumentorum, quibus malefici in sua arte vtuntur:
 sed iuxta diuersitatem malorum, quæ in aliis efficiunt,
 distinguntur. Est enim aliquod maleficium, quod dicitur
 amatorium, est etiam aliud, quod dicitur veneficum, &
 hoc etiam multiplex iuxta multipliciteam nocumento-
 rum, quæ per illa hominibus inferuntur. Maleficium
 amatorium est, quod fit ad flectendos animos virorum,
 aut mulierum ad libidinosum, & turpem amorem. Et
 qui hoc exercet, quo cuncti modo id faciant, grauiter pec-
 cant: quoniam (vt aperte constat) ad rem malam, & expresse
 à Deo prohibitam, solicitant. Rem autem malam, quæ si-
 ne peccato exerceri non potest, nullus sine peccato consu-
 lere alicui potest, neq; ad illam solicitare. Nam (vt ait Pau-
 lus) non solum, qui talia agunt: sed qui agentibus conser-
 tiunt, digni sunt morte. Maleficium veneficum est, quod
 fit ad nocumentum aliquod alicui inferendum. Solent
 enim multipharia huiusmodi malefici homines noce-
 re. Aliquando enim illis in propriis illorum personis
 nocent: aliquando in possessionibus eorum, aut in rebus
 illis coniunctis. Nam hi malefici sæpe dæmonis opera-
 tione secreta homines cito interimunt, fine aliqua pro-
 pinatione veneni. Aliquando verò non tam celeriter
 eos è vita tollunt: sed mortem in longum temporis spa-
 tum producunt, vt post longas luctuosasq; querelas, &
 miserabiles fletus, corpus personæ, quæ est maleficio in-
 fектa, paulatim conteratur, & debilitetur quousque tan-
 dem pereat. Propter hæc & alia nocumenta, quæ corpo-
 ribus inferre solent humanis, in I. fina. C.de malefi. & ma-
 the. vocantur hostes communis salutis. Hi oves, & boues,
 & reliqua bruta animalia, quæ forte pinguisima erant,
 brevissimo tempore spatio, macilenta aliquando efficiunt,
 aliquando prorsus interficiunt. Hi homines matrimo-
 nio coniuctos sic sæpe ligant, vt ad opus generatio-
 nis mi-

piis minime commisceri possunt. His sunt, quæ (ut dicitur in l. Multi C. de malefi. & mathe.) elementa turbant, aërem immutant, ventos, & tempestates suscitant, grandines, & lapides terrificos, qui frumenta, & fruges omnes deuastent, ex alto descendere faciunt. Ut autem hæc omnia facere possint, variis vntunt hi homines instrumentis, & mediis. Aliquando manifesta venena, in cibo, aut poculo, aut veste, aut alia re, quæ personam illum contingat, propinant. Aliquando nihil tale illi præbent: sed imagines quasdam, certis temporibus obseruat, & determinatis carminibus, & ritibus quibusdam, & signis conficiunt, quas in nomine Beelzebub Principe dæmoniorum baptizant., adhibitis, & expressis quibusdam aliis verbis, quæ vel referre non licet, nec si liceret, sine magno horrore, & tremore animi id facere possem. His sic peractis prædictas imagines ad ignem applicant, & ibi petunt infirmitates, aut alia mala, quæ in persona illa, cuius imaginem confecerunt, euenire optant. Quandoque etiam acubus, aut aliis acutis ferris perforant illius imaginis caput, aut pectus, aut ventrem, aut fœmora, aut aliam corporis partem, in qua cupiunt malum aliquod oriri in persona, cui nocere cupiunt. Quibus omnibus perfectis sepe cōtingit, ut persona illa cui nocere malefic⁹ procurauit, grauiter torqueatur, & doleat in capite aut stomacho, aut vêtre, aut repentinā quandam toleret infirmitatem, quam nullus medicorum cognoscere valet. Aliquando solis verbis ex ore suo prolatis nocent, de quibus Lucanus dixit. Mens hausti nulla sanie polluta veneni, incantata perit. Quæ omnia dæmonum operatio- ne fieri, duplici potest ratione probari. Prima sumitur ex eo, quod in his omnibus necesse est scribi quasdam figuræ, quæ naturaliter intelligi non possunt, & quædam dæmonum nomina prorsus ignota, & penitus horrenda, quamvis aliis sanctis nominibus mixta, illic scribuntur, quæ non nisi ad pactum cum dæmone initum imple- dum, posita esse credendum est. Secunda ratio per hoc euidentissime conuincit, quod illæ imaginum compositiones, & tactus, aut illi caræteres, aut verba prolatæ, non possunt ex sua natura mortem, aut morbos aliquos, aut nocumentum aliquod in corporibus humanis efficere.

Quo-

Lucanus.

Quoniam si hæc operandi vis esset huiusmodi rebus concessa, omni tempore, & omni loco, & omni subiecto eiusdem qualitatis, & dispositionis illa operaretur, quisquis similes imagines, aut characteres efficeret, aut similia verba proferret. Constat autem quod si alius nullum cum dæmonie pactum habens tales characteres faciat, aut talia verba proferat, nihil efficiet. Ex quo euidentissime colligitur, tales morbos, aut alia quævis nocimenta, nullo pacto virtute imaginum, aut verborum fieri. Et inde conuincitur, ut hæc ab ipsis dæmonibus, cum quibus malefici pactum sive publicum, sive priuatum inierūt, fiant. Nam ipsi dæmones, qui acutissimi sunt, lapidum, atque herbarum, cæterarumque rerum naturas, & proprietates optime norunt, melius quam omnes medici, & phisici, qui in orbe fuerunt. Dæmon enim peccas (vt beatus Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 4. docet) substantiam, & proprietatem sive naturæ angelicæ non amisit; sed omnia naturalia integra, & splendidissima retinuit. Hic igitur cum perspicacissimum habeat intellectum, facilime noscit ea, quæ mortem, aut morbos, aut cruciatus, aut alia quævis nocimenta homini inferre possunt. Scit miscere simplicia ex quibus venena confici possunt, quæ tale valeant homini nocumentum inferre, quale optatur. Cum igitur dæmo magnam huiusmodi rerum peritiam habeat, quando tales imagines (vt diximus) ac cubus punguntur, aut characteres fiunt, aut verba proferuntur, Deo permittente, ille venena, quæ homini, cuius imago perficitur, nocere possint, secreto, & inuisibiliter adhibet, & sic naturali potestate, & virtute venenorum dæmon facit ea, quæ maleficus efficere optat. Quæ venena, quia maleficus saepe ignorat, nec illa adhibere videt, putat ea omnia, quæ fiunt, virtute talium imaginum, aut characterum, aut verborum fieri, quæ tamen neque ab imaginibus, neque à figuris, aut verbis ullis, neque à dæmonie ipso: sed ab aliis agentibus, ad hoc virtutem naturalem habentibus, sunt, quæ per dæmones ipsos, qui illorum agentium virtutem agnoscunt, latenter applicantur, & admouentur, ut in ipsis corporibus humanis, ea, quæ maleficus cupiditate efficiant. Et contingit saepe, ut qui hæc maleficia operantur, remedia his malis, quæ intulerunt adhibere nestiantur,

quia

quia non amplius dēmon eorum magister eos docuit, vel
 (vt rectius loquar) non amplius dēmon illis promittit.
 Sunt tamen alij, qui optime, vt runque nouerunt, videlicet
 nocere, & nocumēta à se, vel ab aliis illato remedium
 adhibere. De qua re lectorem admonere decreas, vt intel-
 ligat, huiusmodi maleficos homines, non solum grauiter
 peccare quum nocent: sed etiam quando nōumento à se,
 aut alio illato, remedium per huiusmodi diabolicam ar-
 tem præstant, vt maleficium operatum obesse non valeat.
 Nam licet sic operantes proximo læso profint, tamen (vt
 ait Paulus) non sunt facienda mala, vt inde veniant bo-
 na. Mala est autem dēmonū inuocatio, malum est etiam
 & pessimum, cum dēmone pactum aliquod siue expres-
 sum, siue tacitum facere: malum igitur, & pessimum est
 maleficium iam adhibitum soluere si nō aliter quam per
 dēmonis inuocationem, & illius auxilium soluendum
 est. Id enim, quod ex se malum est, nulla adhibita bona
 intentione, nec quacunque alia bona circumstantia adiu-
 eta poterit bonum esse. Quo sit, vt licet bonum sit proxi-
 morum incommidis obuiare, non tamen bonum sit ma-
 leficia facere, ad proximorum nōumenta tollenda. Iu-
 stè, quod iustum est (inquit Dominus) exequeris. Si ta-
 men maleficium adhibitum tale esse dignoscitur, vt natu-
 rali aliqua virtute, sine vlla dēmonis inuocatione, & sine
 vlo pacto cum illo inito, impediri posse illius operatio,
 tunc bonum, & meritorium erit illud maleficium dissolu-
 uere, tantum abest, vt peccatum dici queat. Potest etiam per
 orationes sanctorum virorum tolli maleficium ne suum
 consequatur effectum. Similiter etiam potest licite male-
 ficium impediri, si imago illa, cui est acus infixa, aut aliud
 simile instrumentum per quod faciēdum est maleficium,
 inueniretur, & confringeretur. Tunc enim dēmon non
 amplius illum fatigaret, quia ex pacto quod cum malefi-
 cō fecit, non assistit: nisi quandiu signum aliquod ab eo
 datum permanet. Sed quæstio non parui momenti est, an
 liceat ab eo qui maleficia exercet, & paratus est quotidie
 illa exercere, petere, vt maleficium alicui adhibitum dis-
 soluat, aut impedit, ne operationem suam exercere va-
 leat, præsertim si credit illum non nisi dēmonis auxilio,
 & operatione maleficiarum illud posse dissoluere. Ange-

Rom.3,

Deut.16.

lus de

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

Ius de Clauasio in sua summa, in titulo : Supersticio p̄a-
ragra. 13. citat Petri Aureoli de hac re sententiam, & pro-
bat illam, qui quanto sententiarum. dist. 34. q. 2. dicit li-
cite hoc posse peti à quocunque malefico, quem scitur esse
paratum ad huiusmodi maleficia exercenda . Hanc au-
tem suam sententiam per hoc persuadere nititur , quod
cuicunque licet malo alterius vti ad commodum suum.
Pro qua re affert testimonium Augustini dicētis, licitum
mihi esse vti ad commodum meum iuramento hominis
infidelis , quamvis sciam illum iuraturum per Deos suos
falsos, quos colit. Posset etiam pro eadem re afferri simile
de illo, qui mutuum petit ab eo, quem scit non nisi ad vsu
ram daturum . Hæc autem petitio omnium doctorum
consensu licita est . Ex quo sequi videtur vt etiam liceat
cuicunque petere ab eo, qui paratus est maleficium face-
re, vt maleficium inceptum impeditat. Sed his omnibus
non obstantibus, ego oppositam teneo sententiam, & di-
co Petrum Aureolum , & Angelum de Clauasio qui il-
lum sequutus est, fuisse in hac parte deceptos, eo quod nō
bene rem considerarunt, ac proinde non viderunt, quām
lata sit differentia inter propositum negotium, & alia ex-
empla, quæ loco similitudinis adducta sunt. Nam quod
ille, qui petit à malefico, vt maleficium maleficio dissol-
uat, peccet, vel ex hoc euidentissime conuincitur, quod
ipsemet maleficus (vt paulò ante diximus) grauiter pec-
cat quum diabolica arte inceptum maleficium tollit, ne
ad operationem perueniat. Fieri igitur non potest, vt ille,
qui à malefico petit, vt arte diabolica maleficium ince-
ptum dissoluat, non peccet. Quisquis enim petit ab alio,
vt faciat id , quod sine peccato facere non potest, peccat:
quia sic petens consentit iniquitati alterius inducendo il-
lum ad peccatum. Certum est autē, quod sicut par pœna
ita etiam par reatus cōstrinxit agentē, & consentientem.
Nec petēs excusari potest à peccato hac ratione, quod ma-
leficus ille, à quo petit paratus erat ad cuiuscunq; petitio-
nem maleficium operari. Nā etsi ille paratus esset, non ta-
men hoc particulare maleficium fuisse operatus, nisi ille
petiisset. Ex quo euidenter conuincitur, illius petitionem
causam fuisse proximam, quod maleficus ille particulare
illud maleficium fuerit operatus. Causam enim dicimus
illam,

illam, qua posita ponitur effectus, & qua remota remo-
uetur. Si petens non fuisset, maleficus non fuisset illud
particulare maleficium operatus, & illo petente fecit: ergo
ille petens fuit causa, quod alius maleficium perpetra-
ret, & inde conuincitur illum peccare: quia alium ad pec-
catum induxit, & proximā peccati causam dedit. Et hoc
confirmari potest per id, quod habetur in cap. Nec mirū.
26.q.5. vbi postquam de Necromanticis, & Hydromanti-
cis dictum est, hæc adduntur verba. Ad hæc omnia supra-
dicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ
ars non commendat medicorum, seu in præcantationi-
bus, seu in caracteribus suspendendis, atque ligandis, in
quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera
societate hominum, & angelorum malorum exorta. Vnde
hæc cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus
execratione repudianda, atque damnanda. Hæc ibi in il-
lo cap. quod inscribitur nomine Augustini, & revera nō
est Augustini. Exempla autem de infideli parato iurare
per Deos suos, & usurario parato dare ad usuram, quæ lo-
co similitudinis ad oppositæ sententiæ probationem ad-
ducta sunt, nihil penitus efficiunt. Quoniam illa omnia
ad hoc negotiū de quo nunc disputamus, relata magnam
habent dissimilitudinem. Nam in illis exemplis addu-
ctis, res, quæ petuntur, non sunt ex se malæ: quia possunt
bene fieri, ab his, qui illas facturi sunt, si velint. Quod au-
tem male fiant, non est ex malitia ipsius rei: sed ex mali-
tia ipsius operantis, qui rem, quam poterat bene, noluit
nisi male facere. Ille enim, qui petit iuramentum ab infi-
deli non petit, ut per falsos Deos iuret, alioqui sic petens
peccaret: quia peteret id, quod est apertum peccatum: sed
solummodo petit, ut iuret: & si daretur optio petenti, eli-
getet illum iurare per verum Deum trinum & unum. Si
autem infidelis per falsos Deos iurat, culpa est ipsius iu-
rantis, non autem iuramentum exigentis: quia is, qui exi-
git, id petit ab illo, quod ille si vellet, bene facere potui-
set. Similiter is, qui petit ab usurario, non petit, ut det ad
usuram: quia sic petens peccaret, cum peteret ab illo id, quod
sine peccato fieri nō posset: sed petit dūtaxat, ut mutuum
sibi debet, quod non solum sine peccato: sed etiam cum
merito fieri potest. Si usurarius non vult dare mutuum
sine

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

sine usurâ, culpa est ipsius usurarij, non autem petentis; quia petit id ab illo, quod ille, si vellet, sine peccato & cùmerito facere posset. In his igitur omnibus exemplis, & aliis similibus ille, qui petit, non inducit alium ad peccatum: quia petit id, quod sine peccato fieri potest: sed vtitur ad commodum suum iniquitate alterius, qui non vult nisi male, & iniuste facere id, quod si vellet, poterat facere bene. Longè aliter se habet is, qui petit à malefico, vt maleficij diabolica arte dissoluat, ne nocere valeat. Is enim id à malefico petit, quod ille sine peccato facere nequit. Nam (vt paulò ante diximus) non solum peccat, qui maleficium operatur, vt noceat: sed etiam qui arte diabolica maleficium tollit, ne noceat. Quia artem diabolicam exercere, quacunque bona intentione id fiat, grauisimum est peccatum. Is igitur, qui à malefico petit, vt maleficium diabolica arte dissoluat, non solum vtitur ad cōmodum suum iniquitate malefici: sed etiam inducit illum ad peccatum, & per consequens peccat: quia petit ab illo, quod ille etiam si vellet, non posset facere sine peccato. Si autem maleficium tale esset, vt sine peccato posset à malefico dissolui, vt puta, quia scit vbi sit laqueus, aut imago, aut ligatura aliquæ, aut caræteres cum quibus est iam inceptum maleficium, tunc sicut ipse potest sine peccato dissoluere maleficium confringendo illa omnia, ita quilibet alias potest sine peccato petere ab ipso malefico, vt illo modo dissoluat maleficium. His omnibus prænotatis, superest, vt inquiramus an huiusmodi malefici sint hæretici censendi, & velut tales puniendi. De qua re, vt certa possit dari sententia, tria sunt prius ab his hominibus inquirenda. Primum est an aliquod pactum, siue expressum, siue tacitum, cum dæmone fecerint per quod promiserint se aliquid, quod fidei Catholice deroget facturos. Nunquam enim, aut rarissime (vt præcedenti cap. diximus) dæmon suum adiutorium hominibus sine aliqua spe lucri impendit. Si in pacto inter illos, & dæmonem initio interuenit aliqua promissio de rebus fidei repugnâtibus, vt puta de adoratione, & reverentia ipsi dæmoni prestanta, aut de eadem reverentia Christo salvatori nostro deneganda, aut de confractione, & conculatione imaginis Christi, aut crucis, in qua moriens ille salutem nostram operas

Operatus est, quæ dæmon summè expetere solet ab his, quibus se exorabilem exhibet: non est dubium, quin tūc tales malefici sint hæretici censendi, & velut tales puniendi. Quoniam nihil horum, quæ diximus, potest liberè & ex antīno sine manifesta hæresi exerceri. Nā licet sine multa, quæ voluntas contra iudicium rationis operatur quia ad illam voluntas est ex se prona, & illa ex se habet volūptatem quandam, per quam possunt voluntatem ipsam ad sui amorem allicere: sunt tamen alia, quæ (vt primo huius operis capite diximus) nunquā voluntas appetit: nisi quia intellectus iudicat esse bona: quia nihil habent illa in se, per quæ possint allicere voluntatem. Et inde sequitur, vt si voluntas aliquod illorum appetat, nō nisi ab intellectu iudicante illud esse bonum, moueatur ad illud appetendum. In his ergo omnibus operatio exterior aperte indicat errorem intellectus. Ex quibus omnibus evidenter concluditur, maleficos omnes, qui aliquid eorum, quæ nunc proximè diximus, ex pacto efficiunt, esse hereticos censendos, & velut tales puniendos. Secundum, de quo examinare oportet maleficos, est maleficium ipsum, quod exercent, de qua re varia est facienda inquisitio, sicut varia diximus esse maleficia. Nam illorum alterum diximus appellari amatorium, alterum veneficum. Ab illis, qui amatoria venefica exercent, diligenter inquirendum est, an credant maleficia, aut demone posse cogere alicutus viri, aut fœminæ voluntatem ad amorem aliquem libidinosum, aut quomodo libet in honestum habendum. Et quod illi hoc fieri posse credat, violenta est suspicio: quoniam nisi maleficorum arte, aut dæmonis potestate id fieri posse existimarent, nunquam talia maleficia pro re illa effecti, exercecerent. Si illos ita credere compertum fuerit, & de hoc errore admoniti ab illo discedere noluerint: sed in illo pertinaces fuerint merito censebuntur hæretici, & velut tales punientur, quoniam apertam hæresim pertinaciter tuerentur. Nam credere hominis voluntate posse à dæmons cogi ad aliquid amandum: hæresis est apertissima: quoniam illa coactio repugnat libertati, quam Deus nostræ indidit voluntati. Deus enim (vt ait Sapiens) ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit

L man

Ecclesi.

mandata, & præcepta sua: si volueris manda a conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam servare. Appoluit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuā. Ex quibus Ecclesiastici verbis aper-
tissimē constat liberā factam esse à Deo hominis voluntatem, & inde sequitur illam à dæmone cogi non posse: quoniam alioqui libera non esset. Si à dæmone cogi posset homo ad aliquid amandum, tunc iam non esset homo in manu sui consilii (vt dixit Ecclesiasticus) constitutus: sed in manu consilii dæmonis. Quui ergo pertinaciter asseruerit hominis voluntatem posse quibuscumque maleficiis, aut quacunque dæmonis potestate ad aliquid amandum cogi, est hereticus censendus, & velut talis puniendus. Possunt quidem dæmones voluntate in persuas-
tionibus allicere ad amandum, representando aliquam, quanuis falsam, apparentem tamen boni rationem in amore illo. Possunt etiam carnis appetitum, qui liber non est, excitare, vt apperat illud, & ardenter illud perquirat, etiam si alias ad illud frigeret. Nam (vt est apud

Iob. 41.

Iob) halitus eius prunas ardere facit. Appetitus autē carnis, postquam fuerit vehementer accensus, voluntatem ipsam etiam vehementer solicitabit, & illam validissimē impellet, vt in suam trahat sententiam. Ex hac tam vehe-
menti tentatione euenit, vt homines idiotæ dicant se cogi ad amorem, inuitos teneri, velle se discedere, & non posse. Sed revera falluntur: quia si vellent resistere, pos-
sent facile id efficere cum Dei adiutorio, qui omnem ad se confugientem paratus est adiuuare. Fidelis est Deus,

1. Cor. 10.

inquit Paulus, qui nō patietur vos iētari supra id, quod potestis. Deinde examinandi sunt, qui hæc maleficia exercent, an in illorum exercitio aliquid misceant, quod merito posse vehementem hæresis p̄ficiare suspicionē. Quoniam si hæc non adsint: Inquisitores hæreticorum nisi illis sit specialiter hæc provincia delegata, non poterū iure quidquam circa illas disponere: quoniā hoc est illis specialiter interdictum in cap. Accusatus, paragrah. fane, de hæreticis, libr. 6. Si vero talia in suis maleficiis miscent, vt de illis possit non levius suspicio hæresis sumi, merito de illis maleficiis Inquisitor maleficos ipsos diligenter, & curiose examinare potest, & debet. Nam quā

Papa

Papa in illo cap. Accusatus paragra. sane, inhibet inquisitoribus, ne de diuinationibus, aut fortilegiis inquiratur, statim excipit ea fortilegia, quæ hæresim sapiunt. Quo loco fortilegii nomen capiendum est iuxta latam illius significationem, ut comprehendit omnia maleficiorum genera. Nam iuxta propriam illius vocis significationem solum ad diuinationes pertinet, ut patet per Isidorum in cap. fortilegi. 26. q. 1. Sed quia in dicto cap. Accusatus, paragrap. sane, postquam Papa expressit diuinationes, statim addidit fortilegia, constat illum nomine fortilegiorum non solum diuinationes, sed etiam maleficia intellectuisse: quorum aliqua dicit esse, quæ hæresim sapiunt.

Videndum est igitur, & diligenter inquirendum, quæ sunt illa maleficia, quæ hæresim sapiunt. Paulus Grillanus in tractatu de hæreticis lib. 2. q. 10. pro huius rei cognitione quasdam assignat regulas, quas ex Oldrado in consilio. 210. se accepisse refert. Primum quidem dicit, qd si fortilegia, aut maleficia taliter fiunt, vt in illis ad sit in uocatio dæmonis per modum adorationis, tunc aperte sapiunt hæresim. Deinde addit, qd licet non fiat per modum adorationis, si ramen per illa maleficia petatur, aut expectetur a dæmonie, quod soli Deo facere conuenit, vt puta mortuos suscitare, secrera cordium reuelare, futura quæ ex causis naturalibus non pendent, prædicere, tunc talis peritio sapit hæresim. Tertio dicit, qd si est in uocatio dæmonis non per modum orationis, & peritut a dæmonie id solum, quod virtute naturali ille efficere valer, quanvis alia quælibet in maleficiorum exercitio adhibentur, dicit illa non sapere hæresim. Dicit itaqd celebrire missam de defunctis pro aliquo viuo, vt cito moratur, vel hostiam consecratam mulieris cum characteribus scriptram turpibus, dare, ad amorem prouocandum libidinosum, non sapit hæresim. Idem dicit de reliquiis sanctorum, de sacramentalibus, vt sunt calix, altare portabile, oleum sacrum, aqua benedicta, aqua fontis baptis malis, quæ omnia licet misceantur in maleficiis, dicit no sapere hæresim. Et hanc suam sententiam nititur probare per hoc, quod alia istis imponitur a iure poena, quam hæreticis. Et pro hoc adducit cap. Quicunq. 26. q. 5. & ca. De homine. de celebr. missæ. Addit insuper aliud, in quo

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

non possum non mirari, tantam fuisse illius ignorantiam
Dicit enim, φ si aliquis crucem, aut imaginem Deiparæ
virginis Mariæ, aut alterius sancti, irreuerenter proiecis
set in terra, & pedibus conculcarer, non sapient hæresim
Pro qua re adducit cap. Si canonici. paragrap. fi de offi.
iud. ordi. lib. 6. Ex his omnibus Pauli Grillandi dictis,
non inuenio, quod probare, aut tolerare possim. nisi illa
duo prima, quorum alterum est de adoratione dæmonis
& alterum de petitione, qua à dæmonе peccat id, quod
solus Deus præstare potest. Quæ duo dicit sapere hæresi-
sim. Et hoc ipsum nos etiam docemus. Reliqua vero om-
nia quæ in tertio dicto continentur, sunt manifestè fal-
sa, & acerba reprehensione digna. Ut autem hoc apertius
efficiamus, id primo annotandum est, φ sortilegiū, aut
maleficium aliquod sapere hæresim, idem est ac illud præ-
bere vehementem hæresis suspicionem. Nam altas non
videtur quomodo sortilegium, aut maleficium, quod in
exteriore operatione consistit, possit sapere hæresim : cù
hæresis (vt in primo huius operis capite diximus) nō in
operatione exteriore: sed in errore intellectus consistat.
Res autem sacras præsertim sacramentum, aut sacra-
mentalia ad maleficia exercēda adhibere, apertam & violen-
tam præbet hæresis suspicionem. Quoniam nullus illa
ad maleficia exercenda adhiberet: nisi crederet illa ad si-
milia opera exercenda, aliquam habere potestateim. Ta-
lis autem credulitas aperta est hæresis. Quia Deus, qui
sacramentis non naturalem, sed aduentitiam virtutem
dedit, non ad destructionem, & perditionem corporum
& animarum, sed ad salutem animarum illam dedit. Dæ-
mon tamen videns se minus potentem ad maleficium
amatorium exercendum, cùm (vt diximus) non posse
aliquem ad amandum inuitum cogere, ideo res quas li-
bet sacraiores miscere in huiusmodi maleficiis procu-
rat, quas raro in aliis maleficiis beneficis adhibet. Quia
maleficia venefica potest dæmon si à Deo permittatur
in homine inuito exercere. Sub hac igitur specie dæmon
multos fallit persuadendo illis φ istorum sacramentorum
abusus, inirabiles effectus quoad amorē producat, quos
ipse optime scit ab illis sacramētis, aut sacramentalibus
effici non posse. Hoc tamen ille mendacii pater homini-
bus

bus persuadere nititur, in vilipendium Christianæ religionis, & ut homines grauius Deum offendant. Nec ista a solis prophanis hominibus: sed etiam ab his, qui altius seruiunt, heri procurat. Legi enim de quodam facilego sacerdote, quod quum mulierem quandam impotenti, & impudico affectu adamaret, vt illam in sui amorem traheret, medietatem sanctissimæ hostiæ, quam in Missa consecrauerat, sumpsi: dicens turpia quædam verba, & execranda, quæ hic prodere non expedit, reliquam vero partem hostiæ misit ad predictam mulierem, non in forma hostiæ: sed contritam, & in puluerem redactam, vt: pote aptam ad sumendum in potu. Quæ autem à mulieribus hac in parte fiunt, tot sunt, ac tam turpia, & abominabilia, vt satius sit illa similitudo præterire, quam aliquid illorum proferre. Ut igitur rem hanc totam breui comprehendio concludamus, talem de illa statuo certissimam regulam. Omne maleficium, quod exercetur per commixtionem alicuius sacramenti, aut rei sacramentalis, reddit ipsum operatorem de hæresi suspectum. Quoniam nisi ille crederet talia sacramenta, aut sacramentalia habere virtutem ad maleficiorum operationem, non adhibuisset illa. Inquisitor igitur quum tales aliquem maleficium agnouerit, capere potest illum non quidem propter maleficium: sed propter sacramentorum commixtionem, per quam se suspectum de hæresi reddidit. Caput illum diligenter, & curiose examinabit de illius credulitate. Si ille dixerit se non credere, quod sacramenta aliquam habeat ad maleficia virtutem, & potestatem: sed ideo opposuisse, vt dæmonis voluntati, qui hoc imperauit obediret, tunc inquisitor non poterit illi: quan uis grauissime peccatum punire: quia illi prohibitum est in cap. Accusatus paragra. Sane de hæret. lib. 6. sed illius punitio ad solū desertur ordinarium. Si vero maleficus dixerit se ideo sacramenta aut sacramentalia in suo maleficio miscuisse: quia credit illa virtutem aliquam, & potentiam ad huiusmodi maleficia habere, tunc meritò inquisitor iuxta predictum cap. Accusatus poterit illum punire, non propter maleficium: sed propter errorē fidei, à quo si legitime admonitus discedere noluerit, erit per omnia tā: quam hereticus ab eo tractandus. Et idem prorsus dicen-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

dum esse censco de illo, qui crucē Domini, aut imaginem
Deiparæ virginis, aut alterius cuiusq; sancti irreuerenter
pronicit in terra, & pedibus conculcat. Nam hæc sine ve-
hementi hæretis suspitione fieri non possunt, præsertim
cum sit hæretis in septima synodo damnata, dicens imagi-
nes non esse veneratione dignas, sed prorsus contemnen-
das. Quod autem Paulus Grillandus citat, ex cap. Si ca-
nonici, paragra. si. de offi. iudi. ordi. li. n. nihil certe pro-
bat: quoniam res illa cum præsentii negotio nullā prorsus
habet similitudinem. Nam canonici illi, de quibus textus
ille loquitur, nec pedibus imagines conculcabant, neque
ob aliquam irreuerentiam aut illarum contemptum illas
ad terram deiiciebant, sed per ceremoniam quandā illud
efficiebant, ad horrorem quendam, & abominationem,
& odium in populo excitandum contra illum propter cu-
jus crimen imponebatur cessatio à diuinis. Quæ res licet
fuisse reprehēsione digna, nō debuit tamen hærefoes no-
mine notari. Si tamen illi ob irreuerentiam, & contem-
ptum imaginum eas ad terram proiecissent, fuissent pro-
culdubio hæretici censendi: quoniam eos, qui ita facien-
dum esse olim docuerunt, septima synodus (vt proximè
diximus) hæreticos esse declarauit.

DE LAMII S, E T STRIGIBVS, AN-

sint hæretici censendi. Cap. XVI.

PRÆTER illos perditissimos homines dæmonem
colentes, de quibus supra duobus proximis capitū
differimus, sunt adhuc alti etiam dæmoni inferuentes,
tanto illis omnibus peiores, quanto horribilia flagitia
committunt, per quæ Deo maiorem inferunt iniuriam, &
fidem Catholicam apertius deserunt. Sunt enim adeo
mali, & impi, ut quidquid malitiæ, aut sceleris, aut infide-
litatis apud alios hemines, qui dæmoni quomodolibet
inferuiunt, excegitari potest, id rotum isti exerceant, &
perficiant. Hi apud Hispanos lingua eorum vulgari ap-
pellantur Bruxos, Itali autem cocant illos

Latinè verò dicuntur lamiæ,
& striges propter similitudinem (ut existimo) quam ha-
bent cum animalibus, quæ huiusmodi nominibus vocan-
tur. Sic illas sœpe vocat Apuleius in suo illo opere,
quod inscripsit de asino aureo, præsertim libro primo, vbi
de huiusmodi mulieribus loquens hæc ait. At ille colore
spurcissi:

Spurcissimi humoris per cuius quo me lamie ille infecerat,
aperitur. Et Philo Iauas in VI a Apollonii Pythagorici dicit, lamias à quibusdā laruas appelliari, & seimures se ad amorem, & Venerem proprias, & carnes humanas præsertim formosorum esuriēter appetere, quæ libidinis cupiditate alliciat eos, quos posse ea cupiat deuorare. Horū sectā aperte explicare oportet, vt inde melius respōdere valeamus ad id, q[uod] de illis inuestigam⁹, an videlicet tales sint heretici cēfendi, an non. De hac re, quia viria apud diuersos autores legūtur, qui fortē rē non plene (vt oportebat) exanimarūt, ideo illis omnibus præmissis dicā ea, quæ certissima experientia cognita sunt, & quæ ipsiū hui⁹ p[ro]sticerū sectę professores tā viri, quā sc̄imū sponte corā iudicibus, à quibus hoc didici, confessi sunt. Quisquis hanc diabolicā sectam profiteri vult, adducitur primo ab eo, à quo docetur ante tribunal dēmonis, in solio quodā ad regis instar sedētis. Dēmō enim se illis in figura quadā visibili, & corporea ostēdit, vt faſam maiestatē suā, & impetu ementito quodā signo illis persuadeat. Corā illo itaq[ue] adductus, is qui hāc sectam profiteri paratur, statim debet abnegare baptismū, & omnia Christianę fidei docimēta relinquere. Deinde oportet, vt omnia ecclesiastica sacramēta reiciat. Crucē & intemeratę Virginis, & aliorū quorumcūq[ue] sanctorū imagines prostertere debet, pedibusq[ue] propriis conculcare. Hanc tamē cōculcationē imaginū nō est opus corā ipso dæinone statim efficere; sed satis est, vt postea se facturū promittat cū primū sese obtulerit occasio. His peractis dēmoni, velut principi, aut regi sese perpetuo obligatum ac deuinctum reddit, voulens in manibus eius, & promittens, prout religiosi in manibus prælati suae professionis votum emittere solent, se perpetuo futurum illi fidelem, & omnibus illius mādatis pariturum. Post hāc tactis scripturis super quodam libro, obscuras quasdam, & ignotas paginas continente, iureiurando promittit se nunquam ad fidem Christi reditum, nec diuina præcepta seruaturum, sed solum ea, quæ per ipsum principem, dēmonem videlicet, mandabuntur. Promittit insuper se venturum quoties vocatus fuerit ad congregations nocturnas, & sacrificia se facturum, quæ horis illis nocturnis fieri viderit, preces emissurum, adorationis

cultum se illi exhibitum, omnia denique alia, quæ ab aliis ibidem fieri viderit se facturum. Quo voto, & iuramento per illum emissio statim dæmon, qui in folio sedens velut Regem se illi ostenderat, hilarem frontem p̄tendens promittit illi sic stanti se daturum, quam in se non habet perpetuam felicitatem, & gaudia immensa, & qua cunctis in hoc mundo cupit habere voluptates, & tandem posse hanc vitā multò maiora se daturum promittit. Deinde unum dæmonem constituit ad illum custodiā, & doctrinam, qui illum perpetuo comitetur, & illi per omnia seruiat, & omnia tribuat, quæ ille cupiet. Huic dæmoni ad custodiā destinato inter alia hoc peculiare officium commissum est, ut quotiescumque oportuerit ad Iudos accedere nocturnos, ille hoc denūtiet suo clientulo, & illum deferat ad locum congregationis. Hunc dæmonem, qui velut patronus ad custodiā datus est, ipsi homines huius diabolicæ artis professores vocant (vt audio) Martinetum, aut Martinellum. Hic quotiescumque nocte aliqua facienda est ad ludos, & voluptates exercendas generalis eorum congregatio, ante duos dies eam congregationem faciendā esse suo clientulo annuntiat, horamque & locum illi declarat, vt cum tempus aduenierit, sit ad veniendum paratus. Hora vero eundi iam appropinquante, statim dæmon ille, quem Martinetum, aut Martinellum ab illis vocari diximus, ipsum hominem voce quadam, ad similitudinem humanæ vocis formata, vocat. Quia voce auditâ mox ille, qui iturus est, sumit pixidei vunctionis, & quædam sui corporis membra vunctione ex pixide sumpta linit. Quo facto domum exit, & illico inuenit prope domus ositum Martinetum illum in forma hirci expectantem, super quo (vt ipsi homines reserunt) equitat, qui ad Iudos deferendus est, magnibus suis crines hirci fortiter apprehendens, ne propter velocissimum hirci motum, ille forte ad terram deiciatur. Dæmon igitur sic illum in forma hirci suscipiens, certe lerrime illum per aëra transuehit. & ad locum usque congregationis defert, ubi frequens virotum, mulierumque multitudo coram dæmonे ad instar Regis sedente, concurrit. Quo postquam quisque illorum peruenit, imprimitur dæmoni reverentiam facit, alio tamen modo quam nos

nos facere solemus. Non enim faciem: sed terga dæmoni vertunt, & caput non versus pectus: sed verius scapulas flectunt, ita ut mento ad cœlum eleuato caput ad terga deflectant. Crura vero (non ut nos facere solemus) fieri: Etunt à tergo illa curuantes: sed à parte anteriori illa sursum à terra eleuant. Quia præstata teuerentia aliquando illi offerunt sacrificia, non tamen semper. His omnibus consummatis dæmon ille, qui in solio maiestatis sedet, præcipit omnibus: ut tripudient, & psallant, cum gaudio & lætitia sumētes voluptates suas. Et unusquisque dæmon manu apprehendit mulierem suam, ad cuius custodiam deputatus erat, & cum illa saltat, & choreas facit. Choreis & saltationibus finitis inde ad mensas veniunt quæ lautissimis ferculis ornatae & præparatae inueniuntur, ut quisque ad libitum illis vescatur. Conuiuis expletis lumaria extinguntur omnia, & quisque dæmon in forma incubi suam capit mulierem. Si qui vero adsunt viri hi habent dæmonem unusquisque suum in forma succubi, hoc est in forma mulieris, & sic inuicem miscentur, & carnis libidines usq; ad satietatem suscipiunt cum maxima (ut dicunt) voluptate. Quibus omnibus completis reuertuntur omnes ad domos suas equitantes in hircis, à quibus diximus eos primò ad congregationem deportatos esse. Et in his omnibus exercendis hoc summo opere ab illis omnibus cauetur, ne aut eentes, aut in congregacione stantes, aut ab illa redeentes, Deus inuocetur, aut quo modolibet nominetur, aut crucis signum fiat: quoniam si illorum aliquod fiat, dæmones illud non ferentes statim fugiunt, & omnes illæ illusiones dæmonis arte factæ, evanescunt. Sunt præter hæc omnia multa alia flagitia, & scelera quæ istæ pesimæ lamiæ committunt. Non enim satis illis videtur, quod propter libidines explendas se dæmoni tradant, & illi per omnia seruant: sed alios insuper quotquot possunt ad dæmonis obsequium adducere, & à Dei seruicio auertere conantur, ut dæmonis imperium suo ministerio augeatur. Nam præter hoc quod multos ad huiusmodi diabolicam artem profitendam solicitant, pueros multos ante baptismum susceptum interficere nituntur, ne baptismo suscepto ad gloriam possint peruenire sempiternam. Noctu domos alienas ingreduntur,

dijuntur, cameras quantumlibet obseratas dæmone illis
viam parante, intrant, puerorum sanguinem fugunt, ali-
quando illos suffocant, & multa alia circa illos mala com-
mittunt. Et ob hanc causam (vt exissimo) vocatæ sunt

- Lamia. lamiae, & striges. Nam Lamia animal quoddam est ni-
mium crudele faciem pretendens muliebrem, equinos pe-
des habens. De huiusmodi lamii loquitur Hieremias, in
Tren. 4. Trenis dicens. Lamiae nudauerunt mammas, lactaverunt
Strix. catulos suos. Strix autem avis quædam est nocturna, &
importuna sic dicta à stridore, quem facit. De hac sic di-
cit Lucanus libro sexto.

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur.
Hæc avis pueros aggreditur nutritibus egentes, & ex il-
lorum corpusculis vitalem sanguinem absorbet. Et ab hu-
iis avibus nocimento, striges appellantur mulieres istæ, de
quibus haec tenus locuti sumus, propterea quod pueroru-
sanguinem, sicut avibus illa, fugunt. Hæc sunt, quæ de ista
pestifera hominum secta haec tenus certiora esse intellexi,
quarum partem ex lectione aliquorum Autorum, qui de
hac re scripserunt, partem ex relatione aliquorum proba-
torum virorum, qui iudices existentes huiusmodi homi-
nes captos diligenter examinarunt, & ferè omnia ista ex
illorum confessione acceperunt. Et inter cetera, quæ de
istis pessimis hominibus, certa experientia docente sciun-
tur, est, multo plures esse fœminas, quæ hanc diabolicam
artem profitentur, quam viros. Cuius rei duplex (anea-
quidem sententia) potest esse causa.

Prima est, nimia mulierum credulitas, ob quam sexus
iste facilis est ad deceptionem. Quia cum defectu dæmon
optimè agnoscens, illas frequentius per fallacias, & men-
dacia aggreditur quam viros. Nam Euam primam om-
nium matrem demon seduxit, vir autem illius Adam (vt
1. Tim. 2. Paulus testatur) non est seductus. Ob hanc causam ipse
Paulus non permittit mulierem docere, ne ipsa decepta
alios sua doctrina decipiat. Quem Pauli locum interpre-
tans Theophylactus ait. Quia semel mulier virum edo-
cuit, & cuncta peruerit, idcirco nequaquam hæc habeat,
velim docendi de cetero potestatem. Est namq; mulier na-
tura leuior, & facile fallitur. Aduerte autem quemadmo-
dum non Euam dixerit deceptam esse; sed mulierem: tan-
quam

Theoph.

quam de ipso muliebri sexu disseruisset. Nam quemadmodum natura omnis humana perdita est, sic & per Euā in omne fœmineum genus delapia est leuitas. qua & pīc uaricatio ipsa primū Euā inuafit. Hæc Theophylactus.

Secunda causa est, earundem mulierum fragilitas, & ad libidinem pronitas. Sunt enim mulieres natura proniores ad libidinem, quam viri. Et ob hanc præcipue causam (vt existimo) sexus muliebris vocatur a beato Petro frāgilius vasculum. Primus autem, & præcipuus finis, ad quem homines huius diabolicæ artis professores tendunt, est carnis voluptas, propter quam ad libitum, & satiatem assequendam, se totos dæmoni dedunt, & alia omnia, quæ diximus, faciunt. Ob hanc igitur causam plures fœminæ, quam viri hanc diabolicam artem profitentur: quia fœminæ vehementius carnis voluptates appetunt, & facilius huiusmodi appetitui succumbunt. Sed inter tam multa, quæ de istarum lamiarum secta diximus, aliæ sunt, quæ quibusdam falsa esse videntur, & prorsus incredibilia. Sunt enim aliqui firmissime tenentes, & docentes, falsum esse, quod huiusmodi lamiæ deferantur ad Iudos illos, & voluptates illas capiendas, & quod dæmones cum illis ad carnis voluptatem coēcant: sed omnia illa esse mera somnia, ex quibus illæ decipiuntur etiam in vigilia, putantes se verè vidisse ea, quæ in sola imagine contigerunt. Et pro hoc adducunt concilium Ancyranum, vel Ancyranum, cuius verba habentur in cap. Episcopi. 26. quæst. 5. Quo loco inter alia hæc dicuntur. Siquidem ipse Sathanas, qui transfigurat se in angelum lucis, cùm mētem cuiuscunque mulieris cooperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit illico transformat se in diuersarum species personarum, atque similitudines, & mentem, quam captiuam tenet in somniis deludens, modo læta, modo tristia, modo incognitas, modo cognitas personas ostendens, per quæque deuia deducit, & cùm solus spiritus hoc patiatur, infidelis hoc non in animo: sed in corpore euenire opinatur. Quis enim somniis, & nocturnis visionibus non extra seipsum educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigi- lando viderat? Hæc ibi in cap. Episcopi. Afferunt etiam pro eiusdem sententiæ confirmatione aliqua exempla, quibus

quibus experientia certa se comprobasse dicunt, mulieres aliquas, quæ se transferri ad alia loca putabant, ipsis videntibus toto illo tempore in terra iacuisse soporatas, quo illæ se translatas esse ad alia loca dicebant. Sed re vera, qui lamias de loco ad locum à dæmoni transferri posse non credunt, non intelligunt dæmonis naturalem potentiam, quam sacræ literæ, & sacri illarum interpretes tam aperte expresserunt. Nam corpora hæc inferiora cuiuscunq; conditionis existant, subduntur imperio angelorum, siue bonorum, siue malorum, quoad motum localem, ita ut angeli, siue boni, siue mali possint illa de loco ad locum pro libito mouere. Nam si angeli (ut communior Theologorum, & Philosophorum ienit sententia) mouent illos orbes coelestes, qui tam immensæ sunt magnitudinis, multò facilius poterūt humana corpora, quæ multo minoris sunt magnitudinis de loco ad locum mouere. Præterea Angelus tulit Abacuc prophetam capillo capitis illius de Iudea in Babylonem, ut panes, quos mesforibus suis portabat, præberet Danieli prophetæ in lacu Leonum inclusō. Quia postquam panes Danieli præbuit, statim ab eodem angelo reductus est à Babylone in Iudæam. Si angelus bonus illud facere potuit, consequens est, ut dæmon etiam idem facere possit, quia (ut Dionysius Areopagita docet) naturalia in dæmonibus manserunt integra. Rursum, dæmon ille à quo Christus Salvator noster teratus est in deserto, assumpit ipsum Christum (ut Matthæus refert) & ex deserto transfluit in sanctam ciuitatem, & statuit illum super pinnaculum templi. Et iterum assumpit eum inde, & transfluit in montem excelsum valde, ubi ostendit illi omnia regna.

Si sanctum Christi corpus dæmon, Deo permittente, tam facile per tam longa spacia mouere potuit, cōsequens est, ut quodlibet aliud corpus humanum possit ad quamlibet magnam distantiam mouere. Et inde aperte sequitur ut lamias non solum spiritu: sed etiam corpore possit, Deo permittente, quo voluerit transferre. Accedit ad hæc omnia experientia manifesta, qua certissime cognitum est ipsa lamias à dæmoni transferri. Pro cuius rei comprobatione, multa possem referre exempla, quæ ab his, qui viderunt, audiui. His tamen omissis duo solūm referam,

Dan.13.

Mat.4.

referam, quæ recitat Paulus Grillandus in suo tractatu de hæreticis lib. 2. quæst. 7. Hic enim refert, quod anno Domini 1524. ipse metu rogatus ab Abbatे monasterij sancti Pauli de urbe accessit ad castrum Nazanū, quod sub est dictione eiusdem monasterij. Quod cum peruenit oblaræ sunt et duæ mulieres, ut eas examinaret, quæ accusatae, quod lamiæ essent, in carcere tenebantur inclusæ. Et ab una illarum, quæ mitioris, & facilioris erat ingenij, dicit se didicisse ferè totam illam ceremoniarum multitudinem, quam supra retulimus obseruare homines huius sectæ professores.

De altera, quam dicit vocatam esse Lucretiam, refert, quod dum illa ex congregatione ludorum deportaretur a dæmone ad domum suam, prope auroram sonuit campana, quæ in Italia pulsari solet illo tempore, ut moneatur populus per illam ad orationem. Quo sono auditus dæmon recessit, & dimisit illam in quodam agro spinetis pleno prope ripam fluminis. Quidam autem iuuenis, quem illa optimè agnoscet, casu illac transit per viam illi proximam, quem illa videt vocavit ad se. At iuuenis videns illam nudam totam, præter verenda, quæ erant sacerdotalibus tecta, & capillos sparsos habentem, obstu- puit, & formidabat ad illam accedere: sed tandem blan- diciis mulieris victus accessit, & quæsiuit ab illa, quid sibi accidisset, & ob quam causam illic nuda persisteret. Illa verò rei veritatem voluit confictis mendaciis tegere, & simulare: quæ omnia cum minimè crederet iuuenis dixit se nihil pro illa facturum: nisi veritatem aperte reuelaret. Illa igitur videns se mendaciis nihil proficere, promisit se vera dicturam iuueni, si ille promitteret se ea omnia perpetuo secreto seruaturum. Quod cum iuuenis iuretando promitteret, statim illa plena fide veritatem aperuit, dicens se a dæmone ad ludos nocturnos suis portatam, a quibus cum ab eodem dæmone ad domum reduceretur, auditio campanæ sono dæmonem recessisse, & illic illam reliquisse. Hæc iuuenis audiens credidit illi, & illam secreto ad domum suam duxit, ob quam causam multis ab illa fuit imuneribus donatus. Sed tandem iuuenis promissi oblitus, retulit hæc omnia vni, & alteri, & sic paulatim res diuulgata est, ob quam causam illa capta

& carceri mancipata est. Iuuenis autem in testem vocatus coram præfato Paulo Grillando, cui huius mulieris examinatio commissa erat, hæc omnia, quæ nunc retulimus narravit, & tandem ipsamet mulier hæc omnia verità esse confessa est. Ex qua historia, quæ aperta experientia comprobata est, manifestè conuincitur verū esse huziusmodi lamias aliquando à dæmonibus de loco ad locum valde distantem træsferri. Aliud refert idem Paulus Grillandus exemplum, quod hic etiam addere placuit, ne uno solo testimonio contenti esse videamur. Mulier quædam Sabinensis dictæcessis hanc profitebatur diabolicalm artem, de quâ cùm maritus suspicionem haberet, interrogauit illam pluries, an pestiferam illam artem sciret & exerceret: qu'ē semper se scire negauit. Maritus vero in suspicione sua persistēt anxiè veritatem perquirebat, qui adeò astutè se gesit, quod vidit illam quadam nocte se vnguento quodā vngentem, qua vniōne peracta vidit mulierem celerrimè quasi auem recedentem, & ex superiori domus folario ad inferiora descendente, illam maritus sequens, ut videret, quo tenderet, amplius eam non vidit & accedens ad portā domus inuenit eam clausam. Quæ res magnam præbuit illi admirationem. Die vero sequenti iterum maritus vxorem interrogat, quod anxiè scire cupiebat, & illa constanter (vt ante) se nescire dixit. Maritus vero vt mulier iam negare nō possit, aperitè dicit illi quidquid nocte præterita illam fecisse viderat, deinde fustibus illam percutit grauiter, & duriora minantur verbora nisi veritatem dixerit quā si aperitè exposuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se iam cælare nō posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit quā illi maritus hac conditione indulxit, vt illum ad tales congregations adduceret: illa vero, vt veniam impetraret, facilè petita promisit, & promissum ex licentia Sarhanæ impieuit. Adductus igitur ille ad locum ubi ludi siebant, ludos, & choreas, & cætera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum reliquis, vt vesceretur sedens, cùm cibos insipidos iudicaret, petiit si: bi dari sal, quod in mensa decerat, & quanuis iterum, atq; iterum petiisset, nūquam illi dabatur. Tandem cùm post importunam petitionem prolixamq; expectationem sal illi

illi daretur, dixit: Nunc laudetur Deus, quoniam iam venit sal. Quibus verbis prolaris dæmones, quoniam laudes Dei audire refugunt, statim recesserunt, & rei qui omnes disparuerunt: luminaribusque extinctis manet ille solus nudus, quo usque mane facto vidit quosdam pstores, quos interrogavit, quemam esset illa persona in qua erat, illi vero responderunt esse agrum Beneuentanum in regno Neapolitano. Qui locus distabat a patria illius viri per centum miliaria, ob quam causam licet diues erat, coactus fuit per viam mendicare, ut ad domum suam redire posset. Ad quam postquam peruenit statim uxorem suam ob lamiæ crimen accusauit, & totam rem gestam (ut narrata est) coram iudicibus exposuit. Qui rem totam plene (ut oportebat) examinantes, vera esse omnina, quæ diximus inuenerunt, quæ etiam eiusdem mulieris confessione confirmata sunt. Multa alia possem referre testimonia ex his, quæ per fidelissimos testes in Hispania contigisse cognoui: sed ea, quæ proxime narrauimus sati mihi esse videntur, ad probandum lamias illas aliquando a dæmonibus de loco ad locum non solum spiritu: sed etiam corpore deferri. Quod autem alii obiciunt se expertos esse lamias istas non corpore: sed spiritu a dæmonibus deferri: quia dum illæ sic se delatas esse putabant, aliis videntibus, qui de hac re testimonium præbuerunt, veluti dormientes iacebant in terra: nihil hoc contra ea, quæ diximus, agit. Non enim dicimus semper illas corpore deferri: sed hoc fieri posse, & aliquando factum esse contendimus, concedentes insuper aliquando etiam fieri oppositum, ita ut non corpore: sed solo spiritu per illius phantasticam imaginationem a dæmonibus de loco ad locum deferantur. Veram igitur esse illorum experientiam concedimus: sed oportet, ut etiæ illi nostram veram esse credant: quia altera alteri non repugnat: sed utræque alternis vicibus contingere potuit. Sed restat, ut respondamus ad ca. Episcopi. 26. q. 5. quod in specie contra nos pugnare videtur: si ramen omnia in illo contenta bene circunspectiantur, aperte constat nihil contra nos agere. Nam secta illa de qua in illo cap. agitur longè dispat ab hac lamiarum frœta, de qua nos impræsentiarum disputamus. Primo quidem illius sectæ professores credunt mulierem

mulierem quandam nomine Dianam, aut Herodianam
esse conuersam in deam, haberet aliquid veri numinis.
Lamiæ autem hoc non credunt: sed bene agnoscunt spi-
ritum illis apparentem esse diabolum, & Dei inimicum,
& quanvis hoc agnoscunt, tamen propter voluptates,
quas in illo recipiunt, libenter se illi subiiciunt. Secundo
illius sectæ professores credunt (prout ex textu illius ca-
pitis constat) creaturam aliquam posse ab alio, quam à
Deo in aliam speciem mutari, utputa homo in asinum,
aut equum. An autem lamiæ omnes hoc credant, mihi
hucusq; non cōstat: quoniam (ut ex his, quæ de illis legi,
& audiui cōīcere possum) impertinēs est, hoc ad sectam
illarum: quanquam forte illarū aliquæ hoc credunt, pro-
pterea quod nō solū lamiarum, sed etiam maleficarum
sectam profitentur. Tertiò differunt: quia secta illa non
dicitur abnegare fidem Christi absolute, & illius sacra-
menta contemnere, crucē confringere, quæ omnia dixi-
mus à lamii fieri. De hoc tamen inter vtranque sectam
conuenit, quod vtriusque illarum professores noctu cum
diabolo in delitiis versantur: vtrique etiam credunt ali-
quando fieri in corpore, quod in sola contingit illorum
imaginatione. Deinde dico, quod licet ista secta Lamia-
rum esset illa eadem, de qua loquitur illud cap. Episcopi,
nihil tamen contra nos ageret textus ille. Non enim ne-
gat textus ille mulieres posse à dæmonē corporaliter de-
loco ad locum trāsferri, neq; dicit illum motum semper
in spiritu, & in imaginatione fieri, & nunquam in cor-
pore: sed solū dicit mulieres illas decipi putātes in cor-
poribus earum fieri ea, quæ in sola contingunt imagina-
tione. Et certè sæpè ita euerit, quanquam aliquando (ut
diximus) eas non decipi contingat. Et si vniuersaliter
textus ille loqueretur, vt nunquam illas corpore deferrī
contingat, argumenta, quibus hoc probare nititur nihil
prosersus efficiunt. Nam ad suæ sententiæ confirmatio-
nem producit in testem Ezechielem prophetam, qui vi-
siones Dei nō in corpore: sed in spiritu se vidisse testatur,
& Paulum, qui nesciebat, an in corpore, an extra corpus
esser, quum vidit archana Dei. Fateor quidem hæc exem-
pla satis esse ad probandum, visiones illas aliquādo non
in corpore: sed in spiritu fieri, quod nos etiam fatemur.

Si tamen ex illis colligere velit nunquam talia in corpore: sed semper in spiritu fieri, quis non viderit quā in uiduū sit argumētū? Ex yna quidem, aut altera singulare, & si liceat inferre particularem propositionem, nunquam tamen licet inferre vniuersalem. Dico insuper aliqua esse in illo cap. Episcopi, relata circa illarū mulierum deportationem, quæ nunquam in corpore: sed in spiritu semper contingere constat. Dicitur enim ibi de mulieribus illis, quod credant se super quasdā bestias nocturnis horis equitare, & multarum terrarum spacia intempeſtæ noctis silentio pertransire. Et de lamiis nos etiā supra retulimus illas hoc idem credere. Quod enim non solum spiritu, & imaginatione: sed etiam corpore aliquādo deferantur, nos concedimus, & ratione simul, & experientia hoc fieri posse probauimus. Quid autem super bestias equitent, & multa terrarum spacia breuissimo tempore super illas equitantes pertranseant, hoc non corporaliter, & vere: sed in solo spiritu fieri concedam.

Nam bestiæ illæ, à quibus se deportari dicunt, nō sunt veræ bestiæ: sed corpora quædā phantastica ex aëre, vel ex alia quavis materia à dæmonibus ad similitudinē bestiarum confecta. Aut fortè nulla sunt corpota: sed dæmon tam vehementem illis imprimet bestiarū imaginationem, vt mulieribus illis etiam vigilantibus præsertim noctu quādo corporei oculi nihil, aut pārum videre possunt, contingat id, quod dormientibus contingere solet, quia ea, quæ in somniis acciderunt, sēpē postea vigilates se verè vidiſſe contendunt. Et certè idē huiusmodi mulieribus contingere potest, dum creditur se à bestiis per longa terrarum spacia breuissimo tempore deferri. Non enim tanta est alicuius bestiæ, imò nec alicuius avis agilitas, vt unius horæ spacio possit trecenta, aut quadringenta milia via percurrere. Nec tanta est etiam alicuius bestiæ levitas, vt possit per tantum spacium in aëre se suspendere, vt sua grauitas illam ad terram non deprimat, atq; deiciat. Et de his, atq; aliis eiusmodi, quæ de motu illarum mulierum dicuntur, credo illud cap. Episcopi, esse intelligendum, quum dicit illa nō corpore: sed in solo spiritu, & in phantasia fieri. Ceterū quod de incubis dæmonibus dicitur, nisi sancte intelligatur, merito incredibile iudicabitur.

M

Nam

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Nam supposito quod dæmones (vt communior tenet sententia) sunt spirituales substantiæ corporibus carætes, necessarium est, vt sint indiuisibiles, & impartibiles.

Quo sit, yt nihil de sua substantia velut semen emittere possint, & inde consequens est, vt cum fæminis coire nō valeant, quemadmodum viri cum illis coire solent. Et iuxta hūc sensum credo intelligēdos esse aliquos doctores sacros, qui negant dæmones cum fæminis coire posse.

Chrysostomus homilia. 22. super Genesim hoc aperte negat. Philaster Brixiensis Episcopus, quem beatus Augustinus se Mediolani vidisse refert, in quodā opusculo, in quo de omnibus heresisibus disseruit, inter alias hereses connumerat eam sententiam, quæ dicit dæmones posse coire cum fæminis. Beatus Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 23. dubius est in hac re, quæ dubitatio inde (vt suspicor) est illi orta, quod ipse putauit dæmones habere corpora, quanvis non eiusdem fortè conditionis cum nostris. Hæc autem Augustini sententia, ab omni Theologorum schola reiecta est, neq; est, præter vnum, Theologus aliquis, qui Augustini sententiam in hac parte tueatur. Sed quia (vt idem Augustinus loco nunc proxime citato ait) certissima experientia sèpè cognitum est, fæminas etiam inuitas à dæmonibus fuisse cōpressas: ideo modum inquirere oportet, quo id fieri posse fideliter, & Catholicè dicamus. De qua re dicam quod sentio, paratus meliora docentem audire. Dæmon, qui naturæ cuiuslibet inferioris conditiones & proprietates melius quam omnes mundi sapientes nouit, potest aërem condensare, & ex illo, aut ex aliqua alia materia corpus aliquod confidere, & illud iuxtra figuram hominis, aut asini aut equi disponere. Quo corpore cōfecto, licet animam viliam illi dare non possit, potest tamen circa motum localem omnia illa operari, quæ operaretur anima, si esset in illo. Nam potest mouere manus, pedes, linguam ad locutionem, erigere membra genitalia, vt apta esse videantur ad coitum, & totum deniq; corpus mouere, sicut viri cum mulieribus coeuntes mouere solent. Quæ omnia cum fecerint, semen tamen, quod Græci sperma vocât, ex corpore illo emittere non possunt. Quia semen illud (vt Phisici, & Medici docēt) est pars substantiæ, quæ ex cibo optimè

Optimè digesto remanet, illa scilicet, quæ proxima est, vñ
conuertatur in sanguinem. Quod vel ex eo coniciunt
Medici, quòd hi, qui nimium indulgēt veneri postquam
totum, quod habebant hauserunt semen, tandem emit-
tunt sanguinem. Corpus autem phantasticū cùm sit pro-
sus inanimatum non potest eibos concoquere, nec ullam
illorum facere digestionem. Quo fit, vt nec semen ullum
habeat: quod, cùm fœmina coit, emittere posse. Neces-
sarium est igitur vt dæmon, cùm in corpore phantastico
cum fœmina coit, ex alio corpore humano semē illud ex-
torqueat, vt illud in vas muliebre emittere possit. Fœmi-
na autem præstigiis dæmonis illusa putat semen illud à
dæmone incubo ex proprio corpore emitti. Nec dubito
quin fœmina ex tali semine cōcipere possit. Quod si con-
tingeret, proles inde nata nō esset filius dæmonis dicen-
da: sed filius illius à quo dæmon extorsit semen, quod in
vulnus mulieris fuerat decisum, & ex quo sequutus est
talis conceptus. His igitur omnibus prælibatis, supereft,
vt ad id, quod primo quæsitum est, respondeamus, an scie-
licet, huiusmodi lamię, & striges, de quibus hac tenus dis-
seruimus, sint censendæ hæretici, & velut tales punien-
dæ? Cui questioni facile ex his, quæ de illis supra relata
sunt, responderi potest. Multa enim ab illius sectæ profes-
soribus fiunt, propter quæ omnes illi non solù hæretici:
sed etiam apostatae merito censendi sunt. Nam honores
diuinos dæmoni tanquā Deo impendunt, illum adoran-
tes, & illi sacrificia offerentes. Quæ sine violenta hæreseos
suspicione nequaquam effici possunt. Nunquā enim talia
dæmoni præstarent: nisi illum aliquid numinis habere
putarent. Hoc autem credētes blasphemī sunt, & in aper-
tam incidunt hæresim, contra id, quod Regius propheta
air. Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter
Deum nostrum? Et in alio psalmo. Quoniam magnus
es tu & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Et ipsemē Psal. 27.
Deus per Esaiam prophetam air. Ego Dominus. & non Psal. 85.
est aliud: extra me non est Deus. Et eandem sententiam
in illo eodem cap. s̄epissimè repetit. Deinde homines hu-
ius pestiferæ sectæ professores sacramenta contemnunt,
per quem contemptum in aliam apertam, & damnatam
incidunt hæresim, putantes sacramenta nullius esse
valoris

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

valoris, quæ ex ecclesiæ Catholicæ sententia, gratiam dñe
gnè illa recipientibus conferunt. Præter hæc omnia, cruci-
cem, & aliorum quorumcunq; sanctorum imagines con-
fringunt. Quæ res non paruam præbet hæreseos suspicio-
nem. Nam dicere imagines nō esse tolerandas, sed potius
esse confringendas, hæretis est in septima synodo dam-
nata. Nec solum hæretici sunt huius diabolicæ artis pro-
fessores: sed, ut nihil illorum malitiæ desit, etiam sunt
apertissimi apostatae. Quoniam fidem Christi expresse
abnegant, & quod omnium pessimum est, iureiurando
promittunt se nunquam ad fidem Catholicam redituros.
Meritò igitur hi pestiferi homines, siue viri, siue fœminæ
qui hanc diabolicam profitentur artem, hæretici sunt cen-
sendi, & velut tales puniendi. Sed præter hæc, quæ ad fi-
dem spectant, quædam alia flagitia committunt, propter
quæ absque iudicis ecclesiastici sententia, qui illos de hæ-
reti damnaret, sola secularis potestas potest illos capere,
& ultimo supplicio punire. Nam (ut supra retulimus)
pueros noctu occidunt, aut è grosis, & valetudinarios effi-
ciunt, & alia similia committunt propter quæ digni sunt
morte, etiam si de illorum infidelitate, aut apostasia non
confaret.

DE CREDENTIBVS, RECEPTA-

toribus, fautoribus, & defensoribus hære-

ticorum, an sint hæretici censendi, &

velut tales puniendi.

Cap. XVII.

Multa, & varia sunt hominum genera, quibus iura,
quæ de hæreticis loquuntur, multas & varias, &
graues infligunt pœnas: ob quam causam meritò dubia-
tari potest, an omnes illi sint inter hæreticos recensendi,
& pro talibus existimandi. Horum hominum aliqui di-
cuntur credentes hæreticorum, alijs receptores, alijs fauto-
res, alijs deniq; defensores. De singulis suo ordine dicere
oportet, & primo qui sint illi, quibus hæc omnia compe-
tunt, declarabimus, deinde, an sint inter hæreticos meri-
tò numerandi, discutiemus. Petrus de Palude in quarto
sententiarum, distin. 13, quæst. 3, dicit illos esse credentes
hæreticorum, qui licet nullam in speciali hæresim credat,

de

de hæreticis tamen, qui illas docent, bonam habent estimationem, credentes illos esse bonos viros, & recte de fide sentire : & ob hanc causam generali quadam credulitate credunt omnia, quæ illi hæretici assierunt. Huiusmodi tales sunt multi idiotæ inter hæreticos versati, & bene erga illos affecti. De his non est cur dubitari debeat illos esse hæreticos, præsertim si illi in sua mala credulitate pertinaciam habuerint, ita ut quanuis admoniti sint illos esse hæreticos nihilominus persistunt in sua credulitate, & existimatione credentes illos hæreticos esse bonos viros, & verè fideles. Nam sicut non est necessarium fidem Catholicam expresse, & in particulari credere, ut quis verus fidelis censeatur : sed satis est, ut in vniuersali credat, & fateatur, quidquid Catholica credit ecclesia: ita ex opposito, ut quis dicatur infidelis, & hæreticus, nō est opus, ut aliquam in particulari hæresim credat : sed satis est illum in vniuersali credere vera esse, quæ manifestus hæreticus, & ab ecclesia damnatus credit, & docet. Verum licet hi, qui pertinaciter credunt publicos hæreticos esse bonos viros, & fideles, sint hæretici censendi: quia tamen nulli illorum errori in particulari credunt, ecclesia non vult, ut illi, omnibus hæreticorum pœnis puniantur, quibus puniuntur hæretici, sed aliis multo mirioribus, ut postea in hoc capite ostendemus. Nam qui alicui hæreticorum errori in particulari crederet, apertus censeretur hæreticus, ut expresse definitum est in cap. penultimo, paragraplio ultimo de hæreticis. Si tamen hæreticus ille non esset ab ecclesia damnatus, neque aliunde manifestus, & simplex homo crederet in vniuersali quidquid ille hæreticus credit, ob hoc solum, quod putat illum credere, quod ecclesia credit, eo euentu is simplex non censembitur hæreticus, nec credens hæreticorum prout facile constare potest ex dictis Augustini in epistola ad Glorium, & Eleusium, quæ habentur in cap. Dixit Apostolus. 24. quæst. . Alio modo aliqui censentur credentes hæreticorum, non propter verbalem confessionem, qua dicant se credere, quod alij credunt : sed propter opera, quæ circa illos gesserunt, aliquid impariendo, aut ab illis recipiendo. Non enim refert an dictis, an factis, quis voluntatem suam insinuet. ff. de le, & sen. con. le. destituant.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Ex operibus enim exterioribus suspicari licet de affectibus, qui intus latent, prout colligitur ex cap. Qui videtur, 31. qu. 5. & C. de dolo. I. dolum. Si qui hæreticos reuerentur, illorum libenter audiunt sermones, nimiam cum illis habent conuersationem, eorum libros tenent, & eos frequenter legunt, credentes hæreticorum esse dicendos, censet Archidiaconus in cap. Quicunq;. de hæret. lib. 6. Oportet tamen (ut idem ait) hoc illos frequenter fecisse, alioqui si semel tamen horum aliquod illos fecisse constiterit, dicit illos non esse existimandos credentes hæreticorum. Nam si qui hæreticorum sermones semel audierunt, & nunquam postea ad eos redierunt, aut libros hæreticorum semel legerunt, & postea combusserunt, dicit tales non esse dicendos credentes hæreticorum: quia nō videntur probasse, quod postea vitarunt. Similiter dicit non esse dicendos credentes hæreticorum, omnes, qui hæreticos visitant, aut illis alimoniam exhibent, aut duatum præstant, aut aliquid aliud simile fecerunt, in quo nihil expressum, quod ad illorum hæresim pertineat, ostenditur: quoniam hæc sæpen numero ob solam pecunia mercedein præstantur. Hoc tamen hac cōditione ego verum esse puto, si illi, qui hæc hæreticis præstiterunt, olim non fuerunt in hæresim lapsi: quoniam si prius in hæresim lapsi fuissent, & postea hæc hæreticis exhibuerunt non solum censebuntur eredentes hæreticorum: sed hæretici, & relapsi, prout definitum est in cap. Accusatus paragrapho Ille quoque. de hæret. libro sexto.

Receptores hæreticorum quidā sunt sine culpa, & sunt illi, qui recipiunt eos, quos ignorant esse hæreticos: & de his non sunt intelligenda iura: quæ receptatoribus hæreticorum pœnas aliquas infligunt. Injustum enim esset eis qui omnī culpa carent pœnas aliquas inferre. Hoc tamen aduertere oportet, quod hi, qui propter ignorantiam hæreticos se receperisse causantur, debent ignorantiam suam probare, vt se à culpa immunes ostendant, præsertim si ante fuerant manifeste in hæresim lapsi, aut vehementer dederant hæresis suspicionem. Receptores hæreticorum culpati dicuntur illi qui hæreticos ex industria, & certa scientia recipiunt, siue occulte, siue manifeste id faciant. Nec refert, an talis receptor pluries, aut semel tantum, vnum,

vnum, aut plures hæreticos receperit, quoniam si vnum tantum hæreticum sime*n*el receperit, receptator dicitur hæretorum, & eisdem subdetur pœnis, quæ a iure sunt contra receptores hæretorum statutæ. Nam ut quis receptator hæretorum dicatur, non tam est inspicienda multitudo receptionum, quam finis, propter quem hæreticum recipit. Quoniam si recipit, vt occultaret hæreticum ne a iudice puniri possit, tunc verè dicitur hæretorum receptator, prout ex multis aliis casibus in iure expressis facile colligi potest. Leges enim illum censent esse receptatorem, qui receptat, & celat malefactorem, vt sic ille occultatus ē manibus iudicis eripi posfit. ff. de recepta, lege. i. ff. de offic. præf. l. congruit. C. de his qui lat. occult. l. viti. Et qui sic hæreticum occultasset, puniendus esset, vt hæreticus. Occultans enim alienum delictum facit suum. Et hoc expresse annotauit Bald. in. l. i. C. de his qui lat. occult. Et hoc verum esse censeo, etiam si hæreticus esset consanguineus receptatoris: quia cum filij puniantur pro delicto patris, propter criminis atrocitatem, vt libro secundo dicemus, multò iustius est, vt pro delicto proprio puniantur, quando parentes suos receptassent. Si quis verò hæreticum domi suæ ex industria receperisset, non vt illum occultaret, aut defendaret, neque vt illius hæresi faueret: sed solum, vt illum ab hæresi reuocaret, & ad Catholicam fidem conuerteret, etiam si plures illum receperisset, non dicitur receptator hæretorum, neq; pœna receptatoris punietur. Nam qui hac intentione hæreticum recipit, præserbit si de illius emendatione aliquam habet spem, opus veræ charitatis efficit, quo vix nullum maius proximo præstari potest. Quo sit, vt nullius proper illud iudex posfit iustas ab eo exigere pœnas. Verum & si hictalis ob bonum, quem sibi in tali receptione præfixit finem, iustus, & mercede dignus coram Deo habeatur, ecclesia tamen, quæ interiora non agnoscit: sed de his solum, quæ foris patent, iudicat, illum propter talem receptionē meritò puniet, nisi ille bona intentione, bonoq; fine id se fecisse aperto probauerit testimonio. Huius autem bonæ intentionis nullum aliud (mea sententia) potest dari certum, & apertum testimonium, nisi opus ab eo factum, quod manifestum constet esse

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

medium, ad talem finem consequendum, ordinatum: vt puta, si idoneis testibus probauerit, se reprehēdisse illum ob hæresim, quam tuebatur, admonuisse illum, vt hæresi deserta ad fidem Catholicam rediret. Si his, aut aliis huiusmodi testimoniiis probauerit se bona intentione hæreticum domi suæ recepisse, ecclesia illum de bono opere tunc laudabit, tantum abest, vt illum tanquam hæreticorum receptatorem punire velit.

Alij dicuntur fautores hæreticorum, alij etiā defensores hæreticorum. Quorum diuersitas ex eo solo mihi penderet videtur, quod defensor est in opere, fautor vero in verbo, aut omissione eius quod contra hæreticū, quis facere tenetur. Defensor est qui viribus, & potētia hæretico suffragatur. Fautor vero dicetur hac in parte ille, qui verbo solum patrocinatur hæretico, aut qui omitit facere aliquid contra hæreticum, quod iure facere tenebatur. Sigil latim de his duobus, & primo de fautoribus dicamus.

Fautor hæreticorum (vt diximus) dupliciter quis effici potest, videlicet verbo solo, & omissione. Verbo aliquem fauere hæretico potest cōtingere duplicitate: quoniam potest aliquis fauere doctrinæ, & potest fauere personæ ex ignorantia doctrinæ illius: quia nescit qualis sit illius doctrina. Qui doctrinæ hæreticorum verbo fauent, dicentes illam esse bonam, & pro hac re contendunt, & rationes afferunt. hi non solum fautoribus hæreticorum: sed hæretici censentur, immo peiores ipsis hæreticis, quibus fauere nituntur. Nam Vrbanus Papa ait: Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant: quia non solum errat: sed etiam aliis offendicula erroris præparat, & confirmat. Hæc Vrbanus Papa. Et habentur hæc verba in cap. Qui aliorum. 24. qu. 1. Et idem dicit Isidorus in cap. Qui consentit ii. quæst. 7. Potest etiam aliquis fauere solo verbo personæ hæretici, & hoc multipliciter. Primo quidem excusando personam à crimen hæresis, non ex inconsideratione: aut ex ioco: sed ferio, vt puta, si quis diceret hæreticos, non esse tales, quales dicuntur sed esse bonos, & fideles Catholicos. Et qui hæc faciunt, si hæretici non sunt manifesti, non dicuntur fautores hæreticorum: sed excusantur quamdiu non constat illos esse hæreticos: sed sola de illis habetur suspicio.

Vrbanus
Papa.

Si ta

Si tamen ex lubricitate linguae, aut iocose aliquis verba aliqua in fauore haereticorum dixisset, non ideo censendus esset haereticorum fautor, ut propter hoc paenitentia illius subiacere oporteteret. Quod a simili probari potest per. I. famosi. ff. ad. I. Iuli. Ma. Nec refert, an qui sic verbis fauēt, in iudicio, an extra iudicium fauorem praestiterint. Nam quandiu illos haereticos esse non constat, possunt aduocari personis haereticorum patrocinari, illos, illorumque bona in iudicio defendendo. Neque huic sententiae obstat cap. si aduersus de haereticis: quoniam textus ille intelligendus est de illis aduocatis, qui fauent manifestis haereticis, & idem est dicendum de notariis, qui instrumenta pro manifestis haereticis conficiunt, qui ipso iure sunt ex communicati, & infames, & ab omni officio suo suspenesi. Si tamen his, quos non constat esse haereticos, fauerint aduocati, aut pro illis instrumenta confecerint notarii, nulli pro hac re paenae subiacebunt, etiam si post talem praestitum fauorem constaret illos esse haereticos. Iustum enim est, ut cuicunque accusato de crimen aliquo, sui ipsius permittatur defensio, quoisque fuerit de crimen conuictus. Potest aliter contingere, ut quis solo verbo faueat haeretico, non quidem illum coram aliis excusando: sed illum monendo de capture, quam illi iudex inferre conatur, ut sic monitus fugae praesidio sibi ipsi consulat, & se in tuto collocet loco, a quo iudex illum rapere non possit. Et qui sic haereticum admonuit, credo illum tanquam haereticorum fautorem puniendum. Satis enim fauet, qui taliter illum adiuuauit, ut ille monitoris consilio manis iudicis euaderet. Et potest pro hac re sumi argumentum a minori ad maius ex eo quod præcipitur in. I. 4. ff. ad. I. Iuli. Mai. Diuinam autem laedere maiestatem, quod per peccatum heresis fit, constat multò grauius esse, quam maiestatem laedere terrenam, ut dicitur in cap. Vergentis. de haeret. Hoc autem, tunc potissimum verum esse censeo, quando haereticus admonitus ab alio de fuga, illius obtemperauit consilio, & sic a iudicis potestate ereptus est. Quando vero haereticus non est sequutus admonentis consilium, an is, qui illum admonuit, sit tanquam haereticorum fautor puniendus, ego definire non audeo: sed aliis disputandum relinquo. Et certe, qui monitorem istum

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

dicere vellet fautorum hæreticorum, non abs re ficeret: propterea quod in unoquoque criminis magis animus de linquentis inspiciendus est, quam opus ab illo effectum.

Et eadem seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura volunt, ut dicunt Imperatores Honorius, & Archadius in. l. Quisquis. C. Ad legem Iul. maiest. Hic autem, qui hæreticum de fuga admonuit, voluit, ut hæreticus fugisset, alioqui non admonuisset. Quod autem hæreticus non fugerit, ipsi hæretico est tribuendum, non monitori, qui omnia, quæ pro illius fuga facere potuit, effecit. Ex quo sequi videtur, ut monitor ille eadem sit poena puniendus, qua puniretur si illius admonitio suum sortita fuisset effectum. Alio modo quis potest solo verbo sauere hæretico manifesto, ut puta si pro illo apud Principem, aut aliam potestatem secularem intercedat, ne poena mortis puniatur, aut iudices ecclesiasticos, quibus de illius hæretici judicare incumbit, oraret, ne contra illum sententiam dicerent. Qui huiusmodi fauorem, aut patrocinium hæretico exhiberet, fautor hæreticorum meritò diceretur, & pœnæ fautorum subiacebit. Nam licet in aliis criminibus liceat cuilibet pro alio intercedere, ut habetur in l. Si fuerit. ff. de rebus dubiis. & l. In metallum, & l. Diutus, ff. de pœnis, præsertim si de illius emendatione, bona habetur spes, alioqui circa hanc spem in hoc foro conscientiae non liceret, quamvis in foro exteriori sit illis permisum; hoc tamen in criminis hæresis propter grauissimam, illius malitiam nullo modo agere licet. Quod ex eo convinci potest, quod huiusmodi intercessiones sunt omnibus à iure interdictæ, ne fiant pro his, qui crimen læse maiestatis commiserunt, ut habetur in capit. Si quis cum militibus. 6. q. 2. Ex quo euidentissime colligitur nemini etiam licere pro manifesto hæretico intercedere: quia multo grauius est æternam, quam temporalē lædere maiestatem. Denique alio modo potest quis dici fautor hæreticorum, non quia verbo fauet: sed quia omittit, id quod iure tenebatur contra hæreticos facere, siue publica sit, siue privata persona. Aliqua enim sunt contra hæreticos facienda, quæ à sola publica potestate fieri possunt: aliqua etiam sunt, quæ omnes facere tenentur. Publica potestas trahet hæreticos ab Ecclesia damnatos iuxta criminis qualis:

qualitatem punire . Nam hoc illi præcipitur in cap. ad abolendam.paragra.statuimus. & cap. Excommunicamus, paragra.Moneantur.de hæreticis. Potestas igitur secularis quocunq; nomine illa censeatur, si hæc, quæ in illis cap. illi præcepta sunt, facere neglexerit, fautorum hæreticorum meritò dicetur, & pœnis à iure decretis eo ipso subdetur. Nam (vt Damasus Papa ait) qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud, quam fauere impietati eorum . Nec caret sc̄upulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare. Hæc Damasus, & habentur in capitu. Qui potest. vigesima tertia questio ne tertia. Nec solas iuris humani pœnas sustinebit Princeps, qui hæreticis resistere neḡigit: sed reus apud Deum habebitur omnium malorum, quæ hæretici fecerint. Quod vel ex eo aperte conuincitur, quod olim cum fornicatus esset populi Israël cum filiabus Moab, Dominus iratus dixit ad Moysen : Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auferatur furor meus ab Israël . Quæ verba interpretans Origenes homilia vigesima super librum numerorum, ait: Populus peccat, & Principes ostentantur contra solem. Idem ad examinandū producuntur , vt arguantur à luce.

Vides, quæ sit conditio Principum populi : non solum pro suis propriis arguuntur delictis: sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem : ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquerit, ne forte non docuerint, ne forte non monuerint, neque solliciti fuerint arguere eos , qui initium culpæ dederint vti ne contagio dispergeretur in plures. Hæc enim omnia facere Principibus imminent, & doctoribus. Si enim illis hæc non agentibus, nec solitudinem gerentibus circa plebem, peccauerit populus, ipsi ostentantur, & ipsi ad iudicium producuntur . Arguit enim eos Moyses, id est, lex Dei, velut negligentes, & desides, & in ipsos conuertetur iracundia Dei, & cessabit à populo. Hæc Origenes. Oporteret certè, vt omnes Reges, & Principes, cæteræq; omnes aliæ seculares potestates rem hanc exacte consyderarent, & hanc historiam semper præ oculis haberent, vt vel inde omnē desidiam, & somnolentiā excuterent, & diligentius, atq; fortius hæreticis resisterent, & durius illos punirent, ne impunitate sua audacio-

Num. 25.

Origen.

audaciores effecti grauius illi nocere possent. Sed de hac re quoniam infra libro secundo longiorem faciemus disputationem, ideo nihil ultra in præsentiarum dicere censui. Persona autem priuata nihil aliud (quod sciām) contra hæreticos facere tenerur : nisi vt testimonium, quod sciuerit, contra illos reddat, vt illius testimonio adiutus iudex possit iustam aduersus illum dicere sententiam. Is igitur, qui sciens aliquem esse hæreticum, præser-
z.Pa.19. tim si de hac re fuit à iudice requisitus, noluit verum dice re testimonium: sed ex industria id, quod sciebat negauisse hæreticus damnaretur, fautor hæreticorum meritó dicitur, vc colligi potest, ex cap. Quisquis, vndeclima quæstione tertia. Quocunque istorum modorum, quis heretico fauet, peccat, & quidem grauiter, propter quod dignus est, qui grauibus puniatur pœnis. Nam qui sic hæretico fauet, illius criminī consentit, quo fit, vt illius criminis particeps fiat. Iosaphat Rex Iuda alioqui bonus, ob hoc tamen à Deo fuit reprehensus, quod impio Achab præbuisset auxilium, quamvis non idolatriæ, cui ille deditus erat : sed soli fauisset personæ.

Defensores hæreticorum dicuntur illi, qui viribus, aut armis, & potentia, resistendo impediunt, ne illi capiantur, incarcerentur, aut quomodolibet puniantur, aut deinde ne à iudice examinentur. De huiusmodi defensione habetur. 24.q.3. per multa capitula, & 27.q.1.cap. Si cunctos. Tales defensores Lutherorum fuerunt, & sunt hoc nostro seculo multi Germaniæ Principes, Dux Saxonie Fredericus, qui primus Lutherum tutatus est, & huic proximus Lantgrauius Hessiæ Phillipus, qui tam impense Lutheranis fauent, & illos tam ex animo defendunt, vt pro illis non solum sint pugnare parati: sed suffragiis multarum Germaniæ ciuitatum adiuti, hac anno quadragesimo sexto supra millesimum quingentesimum, ingentem, validissimumque congregauerint exercitum contra Carolum Cæsarem Hispaniarum Regem fidelissimum, atque acerrimum ecclesiæ propugnatorem. Ob istorum defensionem, hæc pestilentissima Lutherorum hæresis adeo grassata est, vt totam ferè infecerit Germaniam. Et certe hoc experientia docente cognoscimus, nullam diu persistisse hæresim : nisi quæ principes potentes habiut,

habuit, qui illius hærefiarcham pro viribus defenderunt. Sollicitat enim dæmon non solum hæreticis : sed aliis quibuslibet scelestis hominibus fautores, & defensores præstare, ne ob defectum tutelæ crimina desint. Hinc est, quod diabolo, & membris eius, quæ sunt omnes ini-
qui, Deus ad sanctum Job loquens ait : Corpus illius, Iob.41.
quasi scura fusilia, & compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & nec spiraculum incedit per
eas. Quæ verba interpretans beatus Gregorius libro tri-
gesimo tertio Moralium capite trigesimo primo ait : Fer-
tur : quia draconis corpus squamis tegitur, ne citius ia-
culatione vlli penetretur. Ita corpus omne diaboli,
id est, multitudo reproborum cum de iniquitate sua cor-
ripitur, quibuscumque tergiuersationibus se excusare
conatur, & quasi quasdam defensionis squamas obiicit,
ne transfigi sagitta veritatis possit. Et trigesimo ter-
tio capitulo subdit : Istæ squamæ peccantium, ne ab
ore prædicantium aliquo vitæ spiraculo penetrentur, &
obduratae sunt, & coniunctæ. Quos enim similis reatus
sociat, concordi pertinacia etiam defensio peruersa con-
stipat, ut de facinoribus suis alterna se inuicem defen-
sione tueantur. Sibi enim quisque metuit dum admone-
ti, vel corrigi alterum cernit: & idcirco contra corripien-
tium verba vnanimiter assurgit : quia se in altero prote-
git. Bene ergo dicitur : vna vni coniungitur, & ne spira-
culum incedit per eas : quia iniquitatibus suis dum vi-
cissim superba se defensione protegunt, sanctæ exhorta-
tionis spiracula ad se nullatenus intrare permittunt.

Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius sub-
didit, dicens : Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequa-
quam separabuntur. Qui enim diuisi corrigi poterant,
In iniquitatum suarum pertinacia vnti perdurant, & tan-
to magis quotidie à cognitione iustitiae separabiliores
fiunt, quanto à se inuicem nulla increpatione separan-
tur. Nam sicut esse noxiū solet, si vnitas desit bonis,
ita perniciosum est, si non desit malis. Peruersos quippe
vunitas corroborat dum concordat, & tanto magis incor-
rigibiles, quanto vnanimes facit. Haec tenus Gregorius.
Si aliqui Germaniæ Principes, & aliae illius nationis
potestates, non tam fortiter Lutherum, & alios hæreti-
cos de,

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

eos defendissent, aut omnes illi resipuiscent, aut si perturbantes in suis hæresibus permanissent, ilis ē vita sublatis, tota Germania ad veram, & Catholicam, quam ante optimo nouerat fidē, jam rediisset. Contra hæc omnia personarum genera, videlicet, Credentes, Receptores, Fautores, Defensores hæreticorum, multæ, & variæ sunt pœnæ à iure decretæ. Quocunque enim istorum nomine quis censeatur, est eo ipso excommunicatus, & si post hæc excommunicationem annus labatur integer absque villa per eum data iusta satisfactione, ab illo temporis articulo efficitur infamis, & ab omnibus repellitur publicis officiis, nec ad electionem aliorum admittitur, nec in testem. Multæ adhuc aliæ illis irrogantur pœnæ, quæ quoniam satis clare, & aperte exprimuntur in capitulo. Excommunicatus, paragra. Credentes, de hæreticis, & in capit. Quicunque paragra. hæretici. de hæreticis, libro sexto. Ideo causa prolixitatis vitandæ, eas omisi, satis me fecisse arbitratus, quod loca indicauerim lectori, ubi illæ omnes ad unam usq; describuntur: præsertim quia de illis omnibus sigillatum libro secundo sumus disputaturi.

Q Y O D C A P T V S H Æ R E T I C V S N O N
statim puniendus est: sed emendatio pro:
curanda, & qualiter Cap. X VIII.

HA C T E N V S de iis, quæ ad perfectam hæretico-
rum cognitionem mihi necessaria esse videbantur,
pertractavi, nunc iam opus est, ut discutiamus, quid hæreticorum inquisitorem, aut iudicem, cui de hoc criminе
iudicare incumbit, capto hæretico circa illum facere oporteat. Et quidem ut res perfecte iuxta canonicas sanctio-
nes peragatur, hæc imprimis habenda est consyderatio,
an homo ille, qui in hæresim lapsus esse deprehensus
est, fuerit alias de hac, aut alia hæresi conuictus, aut
propter vehementem suspicionem accusatus, an tunc pri-
mum scitur illum in hæresim fuisse lapsum. De illis, qui
iam olim fuerunt de criminе hæresis aut conuicti, aut
vehementer suspecti, nihil nunc dicimus: quoniam infra
libro sequenti pertractabimus. Nunc de illo agamus, de
quo nunquam scitum est ante in iudicio, fuisse in hæresim
lapsum. Hic talis & si in posterum iuxta sui criminis
qualitatem puniendus sit, non tamen statim cum de-
prehensione

prehensus est, digna pœna illi infligetur, sed prius oportet ad illius emendationem laborare, vt si possibile fuerit, ab errore ad fidem Catholicam prius reuocetur, & sic spiritus eius in Dei iudicio saluus fiat. Blanda admonitione est opus, non severa: quia nimia severitas sœpè frangere, & raro corrigerem solet. Vnde Paulus Titiotheum discipulum docens quo pacto deberet errantes corrigerem ait: Cum modestia corripiant eos, qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Quæ verba interpretans Anselmus in commentariis super Epistolas ait: Ob hoc enim studere debemus, vt eos ad pœnitentiam convertamus, vt mercedem nobis inde conquiramus, ne quando sine nobis per internam aspirationem det illis Deus pœnitentiam, & nos mercedem inde non habeamus. Hæc Anselmus. Præterea propria ipsorum inquisitorum infirmitas, per quam possunt in similem, aut aliam peiorem hæresim, nisi Deus sustineat, labi, cogit eos, vt cum lenitate, & mansuetudine errantes corrigan: quia nisi id fecerint, Deus forte permitteret, vt in similem, aut peiorem labantur hæresim, vt inde suam agnoscant infirmitatem. Vnde Paulus ait. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis instruite huiuscmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Hoc ideo dixit Apostolus, ne forte si proximi peccatum considereret prælatus, & non suum attendat, moueat non ad miserationem: sed ad indignationem: non ad adiuuandum: sed ad iudicandum: non ad instruendum in spiritu lenitatis: sed ad destruendum in spiritu furoris. Mansueto igitur, id est, eo spiritu homini lapsi in hæresim subuenire oportet, quo sibi quisque cuperet subueniri cum erraret. Et, vt sciat unusquisque index qualiter erga errantem mansuescere debeat, subdit Paulus in eadem Epistola inquiens: Considerans te ipsum: ne & tu tenteris. Quia, qui in spiritu furoris, & non lenitatis subditum corripit a Deo permittitur tentari, aut decipi: & vt vel inde suam infirmitatem agnoscens, aliis misereri discat. Et Beatus Hieronymus in commentariis super Lamentationes Hieremiac exponens locum

Ti. 2.

Anselm.

Gal. 6.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

Tren.4.
Hieron.

locum illum. Recedite, polluti claimauerunt eis, si c. ait:
Talis est vox superborum magistrorum, qui pecus, quođ
crassum est de grege assumunt: & quod debile proi-
ciunt, quod infirmum non consolidant, & quod ægro-
rum non sanant. Recedite, inquiunt, polluti, recedite, abi-
te, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communi-
care: insanabilia sunt vulnera vestra, & incurabiles pla-
gæ, non estis digni communione Christiana, vt vltra in
vobis inhabitet Spiritus sanctus, facies Domini diuidit
eos, ac respuit, nec addet vltra, vt recipiat, quia facies sacer-
dotum vestrorum non erubuistis, nec seniorum vestro-
rum admonitionem mansuete suscepistis.

Talis loquela enim non illuminat cæcum, non sanat
ægratum, non curat infirmum: sed magis occidit, atque
in desperationem prædicantem mittit. Boni etenim re-
ctores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes,
magis per humilitatis, & mansuetudinis leniumentum,
student peccantes ab erroris loquœ eripere, quam per au-
steritatem in foueam perditionis nutantes propellere.

Hæc tenus Hieronymus. Deinde propter communem vti-
litatem oportet, vt hæreticus homo non statim punia-
tur: quia possibile esset ipsum conuerti, & quantum sibi
soli nunc per hæresim nocet, tantum postea, & multò
amplius post conuersionem suam vniuersali profit Eccles-
iae per suam publicam fidei confessionem. Tales igitur
nimium celeriter auferre, in magnum cederet Christianæ
Reipublicæ detrimentum. Hanc rationem confirmat
beatus Gregorius, qui Episcopis Galliarum scribens ait:
Licet plerunque accident fæcrotibus, quæ sunt repre-
hendenda plus tamen erga corrigendos agat beneullen-
tia, quam seueritas: plus cohortatio, quam comminatio:
plus charitas, quam potestas: cum nemo nostrum sine re-
prehensione, aut sine peccato viuat. Nam si Dominus sta-
tim post trinam negationem, Beatum Petrum Aposto-
lum præceptorem nostrum iudicasset, non tantum ex
eo fructum, sicut fecit, receperisset. Hæc Gregorius.

Quæ verba citantur à Gratiano, in cap. licet. dist. 45.
Sed vt verum fatear: ego in toto registro epistolarum bea-
ti Gregorii nō potui hæc verba inuenire, quæ Gratianus
illo loco sub nomine Gregorij citat, quamvis illa magna
cum

Gregor.

Éum diligentia quæsiui. Sed illud inueni in Gregorio, quod eadem distinctione idem Gratianus citat in capit. Quid autem: quæ verba, quia huic proposito nostro valde conueniunt, hic inserere decreui. Quid autem de Episcopis (inquit Gregor.) qui verberibus timeri volunt, canones dicāt, bene fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Noua vero, atq; inaudita est ista prædicatio, quæ verbibus exigit fidem. Hæc Gregorius lib. 2. Registri, Epist. 52. Quæ verba interpretans decretorum glossator, dicit esse intelligenda, de illo, qui fidem Catholicam nondū susceperebat: quia hic (vt ait) non est cogendus ad fidem, ille vero, qui semel fidem susceperebat cogendus est retinere, & sic dicit nō repugnare huic textui ea, quæ dicuntur in cap. Quis vero. 23. q. 4. Quonia[m] quæ illic dicuntur, intelligenda putar de illo, qui iam fidem semel susceperebat, vt ille sit cogendus ad illam conseruandam. Sed re vera nimium fallitur, & tota errat via: quia nec hunc, neq; illum textum intellexit. Nam quod cap. Quis vero non loquatur de illo, qui fidem Catholicam susceperebat, ex eo est apertissimum, q; loquitur de Paulo Apostolo, quem in Damascum euntem Dominus cœcitate percusserit & in terra prostravit, & sic illum à persecutione Christianorum reuocauit, & ad fidem Catholicam suscipiendam conuertit. Quis autem nescit tunc Paulum nondū fidem suscepisse, iinò vt illam susciperet fuisse à Deo per illas poenas quodammodo coactum? Et ipsa verba eiusdem capituli semel & iterum dicunt Paulum fuisse coactum à Deo ad euangelium suscipiendum. Non ergo loquitur illud capitulum, Quis vero, de illo, qui fidem semel susceperebat. Qualiter autem sint intelligenda nos Deo duce infra libro secundo declarabimus. Sed nec capitulum, Quid autem, bene intellexit, cùm dixit illud esse intelligendum de illo, qui fidem non susceperebat, vt ille non sit verberibus cogendus ad fidem. Si enim glossator decretorum legisset epistolam integrâ beati Gregorii: vnde hoc capitulum, Quid autem, decerpsum est, facile intellexisset nō ita esse (vt docuit) interpretandum. Illic enim B. Gregorius scribit Ioanni Cott.

stantinopolitano Episcopo reprehendens illum proptes
 tea, quod quidam Isauriæ monachus fuerat in Ecclesiæ
 fustibus cæsus. Et hanc talem punitionem reprehendens
 dixit: Noua atq; inaudita est ista prædicatio, quæ verberis
 bus exigit fidem. De Christiano ergo viro, & monacho
 loquebatur, & non de illo, qui nondum fidem suscep-
 tam. Deinde ex verbis eiusdem textus portuisset glossa-
 tor coniicere verba illa de fideli viro esse intelligenda,
 & non de illo, qui nondum fidem professus est. Nam re-
 prehendens Episcopos, qui verberibus timeri volunt, dâ
 xit: Pastores facti sumus non percussores. At Episcopî
 non sunt pastores Iudeorum, aut Sarracenorum, aut alî
 orum, qui nunquam fidem sunt amplexati: sed sunt pa-
 stores eorum, qui Christum per baptismum sunt induit
 quos velut oves pascendos esse docet Gregorius, nō per-
 cutiendos. Cùm autem dixit Gregorius: nouam, & in-
 auditam prædicationem esse, quæ verberibus exigit fis-
 dem, ibi fidem accepit non solum pro eo animi assensu,
 quo assentimur credendis: sed pro quadam obedientia,
 per quam obtemperamus cuiq; bene monenti, siue ille
 de credendis, siue de agendis moneat. Sic enim dicere
 solet, qui alium de re aliqua monet: Crede mihi, & da
 eleemosynam, aut ieiuna. Vel, Si mihi credis, non acce-
 des ad talem, aut talem locum, ne graue incommodum
 pati te oporteat. Dicit ergo B. Gregorius non esse bo-
 nam prædicationem, quæ verberibus exigit fidem, hoc
 est, obedientiam. Ibi siquidem de omni virtute loquebâ-
 tur non de sola fide credendorum, ad quam plus puta-
 uit B. Gregorius valere rationes, & verba, quam verbera.
 Nolo tamen negare, imò firmissimè fateor, & postea clâ-
 riūs fatebor, eos, qui semel in baptismo fidem suscepere
 esse cogendos, vt illam conseruent, sed dico, testimonio
 sanctorum fretus, prius esse admouenda blanda, quam
 aspera. Prius verbis, quam verberibus, prius amore, quam
 timore agendum esse: quia multi amore, & solis verbis
 alliciuntur, qui timore, & verberibus à fide repellerentur.
 Si verbis nihil profecerit inquisitor, & de hæretici salute
 merito desperauerit, tunc procedendum est ad verbera,
 & velut incorrigibilem illum tractabit. Quid autem
 circa hunc talem agere oporteat infra libro secundo
 disse

differemus, quem totum huic negotio impendemus. Circa illum verò, de cuius salute nondum meritò despetatur, & si ille puniendus sit, prius tamen adhibenda sunt verba, quām verbera, ut verbis, & rationibus, quae plusquām tormenta intellectum mouere possunt, ille ad fidem suscipiendam alliciatur, & sic tandem saluus fiat. August.
 Nā hoc multò melius esse, apertè satis docet beatus Augustinus acerrimus h̄z reticorum oppugnator, qui in libro contra Epistolam fundamenti, cap. i. h̄c ait: Quanquam enim Dominus per seruos suos regna subuerrat erroris, ipsos tamen homines, inquantum homines sunt emendandos esse, potius quām perdendos putat. Et infra in eodem cap. Nostrum igitur fuit, & eligere, & optare meliora, ut ad vestram correctionem (Manichæis, contra quos scribit, loquitur) aditum haberemus: non in contentione, & æmulatione, & persecutionibus: sed mansuete consolando, beneuole tractando, leniter disputando. H̄c Augustinus. Et beatus Bernardus sermons. 64. super Cantica apertius, & effusius hanc sententiā docet, qui interpretās illum locum ex Canticis, Capite nobis vulpes paruulas, sic ait: Capiantur, dico, hæretici, Bernar. non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum. Ipsi verò si fieri potest Ecclesiæ reconciliētur catholicæ, reuocentur ad verā fidē. H̄c est enim voluntas eius, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitio- nem veritatis venire. Hoc deniq; velle se perhibet, qui non simpliciter, capite vulpes: sed capite, inquit, nobis vulpes paruulas. Sibi ergo & sponsæ suæ, id est, Catholice Ecclesiæ iubet acquiri has vulpes, cūm ait: Capite eas nobis. Itaq; homo de Ecclesia exercitatus, & doctus, si cum hæretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errātem conuincat, ut & conuertat, cogitans illud Apostoli Iacobi, Iaco. 5. qui cōuerti fecerit peccatorē ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinē peccatorū. Quod si reuerti noluerit, nec cōuictus, post primā iam, & secundā admonitionē (vtpote qui omnino subuersus est) erit secundū Apostolum deuirandus. Hactenus Ber-nardus. Post verba, si ille obedire noluerit, & disputatiōne se victum fateri recuset, tunc bonū, imò necessarium

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

esse iudico, ut verberibus circa illum agatur : quoniam
vexatio solet daret intellectum. Nam qui à natura ad
virtutem nō inclinantur, neq; ingenuos habent animos
ut verborum doctrina duci queant, sub iugo disciplinæ
illos ponere oportet, ut legum au:horitate coerciti me:
Prou. 22. lius deinceps sapiant. Vnde Salomon in Proverbiis ait:
Stultitia colligata est in corde viri, sed virga disciplinæ
effugabit eam. Hæc tamen omnia ideo facienda esse di-
cimus, ne hæreticus in anima perpetuo damnetur, non
autem, ut in corpore hic non sit puniendus. Nam & si il-
le conuertatur, & fidem Catholicam verè suscipiat, erit
tamē iuxta sui erroris, & præteritæ pertinaciæ qualitatē
cum benignitate puniendus.

Q VOD NON SIT P V B L I C E

disputandum cum hæretico præsertim
pertinace. Cap. XIX.

Diximus Hæreticum hominem, non statim punien-
dum esse : sed prius esse de hæresi monendum, ita
ut rationibus & argumentis conuictus hæresim, quam
tenebatur (si fieri posse) deferat, & veram, & Catholicā
fidem suscipiat. Hanc tamen admonitionem, siue dispu-
tationem secretò faciendam esse censeo, & non publicè
coram populo: quoniam talis publica disputatio, & ipsi
hæretico cum quo sit, & plebi audienti, & ipsi disputatō
plus poterit obesse, quam prodesse. Nam fermè omnes
hæretici præsertim hi, qui nō ex ignorantia, sed ex indu-
stria ab unitate fidei Catholicæ recedunt, popularem, &
inanem gloriam captant, cupiuntq; ab omnibus lauda-
ri, & pro doctissimis haberi. Vnde Augustinus in lib. de
utilitate credendi, ait: Hæreticus est, qui pro alicuius tem-
poralis commodi, & maximè gloriæ principi usque suè
gratia, falsas, ac nouas opiniones gignit, vel sequitur.
Hæc ille. In quibus verbis Augustinus non definitionē
sed id, quod est proprius omnium hæreticorum genius,
& quod est ferè omnium hæreticorum patens & origo,
expressit. Nam qui est gloriæ cupidus, nihil pro illa affer-
quenda intentatum relinquit, & si nulla alia patet via,
ut ad hanc metam perueniat, nouam non dubitabit con-
tingere doctrinam, ut rei nouitate omnes in admiratio-
nem sui prouocet. Cum iam dæmone solicitante, & deo
permis-

August.

permittente in hæresim lapsus fuerit, doctissimos quoque Catholicos viros ad publicum certamen prouocare non erubescit. Publicas peti disputationes, non ut de veritate doceatur: sed ut a populo, cui nimium placere cupit laudetur. Vnde beatus Gregorius libro. 8. Mora-
lium, cap. 2. ait: Nec enim hæretici inquisitionibus suis, veritate in conantur assequi: sed victores videri. Cumque se foris ostendit sapientes appetunt intus per stultitiam elationis suæ vinculis alligantur. Vnde fit, ut contentio-
num certainina exquirant, & de Deo (qui pax nostra est) loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ in-
uentores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur. Si quis autem videtur esse contenitos, nos talē consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei. Hæc Gregori. Ex hac gloriæ immodica cupiditate oritur tam proterua in di-
spuratione contentio, ut etiam si per manifestissima argu-
menta hæreticus sit coniunctus, nunquam tamē veritatem fateri velit: sed rimulas quasdam, per quas elabi posse, semper quæ at ne se victimum coram populo fateatur. Licet apertissime se errasse in semetipso agnoscar, illud tamen fateri dignabitur: quia inuult errorē suum etiam contra conscientiam publice tueri, quam fateri se in disputa-
tione fuisse victimum, ne hac occasione illa, quam ardenter amabat gloria depereat. Huius rei tā multa sunt exēpla,
& tam manifesta, ut non esset opus enarrare, si solis viris eruditis scriberemus. Arrius in concilio trecentorum &
decem & octo patrum apud Nicæam celebrato cōiunctus,
& damnatus est, nec tamen ob hoc sapientior factus est,
imò insanior factus pertinaciam auxit, & durior effectus
nunquam emendatus est. Be. ēgarius in multis conciliis,
damnatus est. In concilio Vercellensi damnauit illum
comparere nollentem Leo Nonus. In concilio Turonen-
si coram Victore Secūdo Pontifice maximo idem Beren-
garius Palinodiam cantauit: sed postea huius Palino-
dīe illum pœnituit, & ad pristinam hæresim rediit. De-
inde à Nicola Secundo Pontifice maximo Romam vo-
catus in concilio generali tunc celebrato, hæresim suam
abiurauit, & anathematizauit. Cuius abiurationis verba
habentur in cap. Ego Berengarius. de consecra. distin. 2.
Sed post istam abiurationē (ut Lanfrancus de illo refert)

Gregor.

i. Cor. II.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

ad vomitum iterum velut canis rediit . Idem contigit Ioanni Hus in concilio Constantiensi, qui licet multis, & euidentibus rationibus conuictus, nunquam tamen errores suos recantare voluit . Hæreticus enim , ut gloriam, quam anxie cupit, tueri valet , non erubescit permanere in errore, & erubescit corrigerem errorum. Difficillimum igitur est, ut quis pertinacem hæreticum publica disputatione sic conuincat, ut se errasse fateatur. Hanc enim difficultatem agnoscens Salomon ait : Expedit magis visae occurrere raptis scutibus , quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Quæ verba interpretans Hieron.

Pro.17. ronymus in commentariis super Proverbia ait : Facilius erat doctoribus sanctis furori Gentilitatis occurrere, raptis à se populis aliquibus , atq; à bestiali eius scutitia ad fidei pietatē prædicando conuersis, quam hæretico cuiuscumque confidenti in sua perfidia dogmatis : quia nimur illud contra exterorū hoc contra sua viscera certamē agebant. Hæc Hieronymus . Si autem hæc disputatione secreto, & coram solis doctis fieret, facilius ille veritatem disceret: quia absente populi applausu, facile cessabit ventus superbiæ , qui oculis intellectus nimium obesse solet. Deinde veritate cognita facilius illam fateri cogetur, cum non sit populus, quem vereatur, & coram quo se victum fateri reformidet. Ex his igitur aperte constat secundam disputationem multum hæretico homini prodesse posse ad fidem Catholicam recipiendam, & publicam disputationem multum obesse . Ipsi etiam disputationi Catholico non parum nocere potest huiusmodi disputatione, si ille non sit vir doctus, & in sacris literis satis eruditus, & in aliis disputationibus valde exercitatus . Nam alias fieri posset, ut veritas, quæ semper est victrix, in ore illius victa videatur . Sunt enim saepe hæretici in disputatione disertissimi, & sciunt optime disputationum retia tendere, & vagam rhetoricae libertatem in syllogismorum spineta concludere, & contradictem saepe suis argumentationibus sic illaqueare, vt nisi ille disertissimus sit, explicare se nequeat. Hoc autem si cum viro Catholicus disputans hæreticus secerit fortè vir Catholicus nesciens illius argumentationes dissoluere, putabit hæreticum optime conclusisse , & sic tandem deceptus hæretici sententiam sequens,

sequetur. Nisi disertus fuisset in disputando Athanasius, facile illum corā probō iudice deceperit Arius. Quām necessaria fit ars, & exercitium disputatori, aperte oiten-
dunt plurimae disputationes, quas cum hæreticis habuit
Augustinus, in quibus, nū fuisset disertus, sēpe succu-
būt. Et propter hoc Bernardus, qui (ut in fine præce-
dentis capituli patuit) dixit hæreticum hominem esse ar-
gumentatione, & disputatione capiendum, censet talem
disputationem non nisi à viro docto, & exercitato esse fa-
ciendam propter periculum, quod inde euenire potest.

De huiusmodi periculo locutus est Salomon cūm ait : Eccle.10.
Hieron.
Qui scindit ligna periclitabitur in eis, si retusum fuerit
ferrum. Quę verba interpretans Hieronymus in cōmen-
tariis super Ecclesiastem ait : Hæretici ligna infructuosa
sunt, & saltus absq; vtilitate pomorum. Vnde & in tēplo
Dei prohibetur plantari nemus, & vanā foliorum, id est,
verborum tantum sonantium spernuntur vmbracula.
Quamuis igitur sit prudens, & doctus vir, qui gladio ser-
monis sui hęc ligna cōscindat, periclitabitur in eis, nisi di-
ligenter attenderit, maxime si ei, quod sequitur acciderit.
Si retusum fuerit ferrum, & faciem eius turbauerit, id est,
si disputatione eius infirmior fuerit inuenta, nec acumen
habuerit ingenij, quo contraria quęque defecet; sed prin-
cipale cordis eius hebetetur, in partē transibit aduersam,
& confirmabit eū fortitudo peruersa. Hactenus Hierony-
mus. Nolet etiam hæc publica disputatione ipsis audientiis
bus, præsertim si illi indocti sunt, aut in fide nutantes, &
infirmi. Nam vulgus indoctum, & nunquam in re litera-
ria versatum, nescit inter verum & falsum discernere : &
ideo facilē in iudicando fallitur, verum pro falso : & fal-
sum pro vero iudicans. Sophistica hæreticorū argumen-
ta, tanquam recte concludentia laudabit. Cūm peruersè
hæreticus collegerit, optime collegisse, & irrefragabile ar-
gumentum fecisse, dicet. Apparentia illius argumēta, que
si intus discutiantur nullius sunt roboris, vrgentissima
iudicabit, & sic in hæretici sententiam paulatim trahetur.
Fiet itaq; vt populus, qui fortis in fide ad disputationem
audiendam venerat, infirmus, & vacillans discedat : & si
qui forte dubius accesserat, disputatione audita hæresim
Ipsum firmissime, & sine vlla dubitatione amplexetur.

Huius rei exemplum ante paucos annos nobis præbuit publica disputatio cum Luthero Lypsiæ in Germania habitæ: vbi vir doctissimus Echius publice cum Lutherò disputans quanuis sæpe illum apertissimis deuicit argumentis. Populus tamen non ita, vt res erat, iudicans, impium Lutherum magis, quam Catholicum Echium laudauit, quapropter hoc nelecto insanum Lutheri dogma cum iuarum animarum dispendio suscepit. Ob hanc causam Plato censuit de præcipuis legibus ciuitatis non esse differendum coram iuuemibus, si qua difficultas de illis emerferit, ne præcipuarum legum authoritas apud iuuenes minuatur, apud quos maximam illam esse oportet. Si tanta reverentia legibus humanis, Platone iudice, debetur, iustum est multo maiorem legibus diuinis exhiberi, vt coram populo rudi de illis non disputetur, ne apud illos legum diuinarum authoritas, & fidei certitudo minuantur cum videat ea in dubium, & quæstionem vocari, quæ oportebat existinari verissima, & firmissima. Ideo Paulus optime hæc pericula agnoscens, & volens ea præcauere, Timotheum discipulum admonet, vt ab huiusmodi disputationibus abstineat, sic inquæs: Noli verbis conten-

i. Tim. 2. Ambro. dere, ad nihil enim utile est, nisi ad subuersiōnē audientium.

Ambro. Quæ verba interpretans Ambrosius in commentariis super Epistolas Pauli, ait: Contentiones vitandas monet, præcepta autem danda sub Dei timore, & terrore: quia contentio potest adhuc minus stabilitatem generare scrupulum. Solent enim in contentione talia opponi eliamato malevolentiae ferro, vt mouant animos incipientium fratrum. Hæc Ambrosius. Et beatus Leo primus hu-

Leo
Papa. ius nominis Pontifex Martiano augusto scribens Epistola 20. sic ait. Compressa enim vel remota inquietudine, ac prauitate paucorum facile firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam Euangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam per antiquos patres nostros accepimus, & tenemus, omnium corda cōcurrant, nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa, ne per vanam fallacemq; versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipso lapide angulari fundata sunt. & fine fine mansura. Hæc Leo Papa. Et certè propter hanc eandem rationem non est æquum, aut rationi cōsonum,

vt in

ut in publicis disputationibus, quas in scholis, aut alibi Catholici, & docti viri inter se habere solent, hæreticæ, & scandalosæ propositiones etiam exercitijs causa, coram populo defendantur.

Multi enim ob hanc causam in hæreses illas lapsi sunt, quas disputationis gratia in scholis defendi viderant. Nam ob hoc solum, quod in scholis defendebantur, putarunt vera esse illa, aut saltem tolerabilia, quæ illic dicebantur. Scio equidem virum quendam non prouersus rudem, aut idiotam: sed aliquantulum eruditum ab inquisitoribus vocatum in iudicium, & carceri mancipatū, propterea, quod non fuisset veritus publicè dicere, fornicationem simplicem non esse peccatum. Qui cum postea interrogaretur, qua temeritate fuisset ausus tam pestiferam hæresim fateri, respōdit se in scholis didicisse, in quibus sæpè viderat talem sententiā publicè defendi. Ideo consultius factum fuisse censeo, si illi, qui talibus disputationibus præerant, huiusmodi propositionē hæreticam, à suis disputationibus abegissent, & illam in scholis defendi constantissimè prohibuissent. Et certè, ni fallor, illi qui huiusmodi disputationibus præsidentes poterant tales propositiones hæreticas, & scandalosas à schola propellere, erant multò grauius puniendi, quā illi, qui ex talium propositionum publica defensione allecti sunt, ut illas veras esse dicere auderent. Nec solum propositiones hæreticas, & scandalosas à publica disputatione abigendas esse censeo: sed etiam illas quæ, & si verisimiliter sint, vires tamen populi audientis superant, & in quibus rudi populus facillimè errare poterit. Tales sunt materiæ de gratia, & libero arbitrio, de prædestinatione, de præscientia Dei, de multis Eucharistiæ mysteriis, & miraculis. De huiusmodi rebus coram populo rudi, & idiota disputatione periculosum esse censeo: quoniam in illis sæpè continent argumenta contra veritatem facere, quæ populo illiterato maiorem apparentiam habere videbuntur, quam responsiones, quæ pro veritatis tutela dantur. Argumenta, quæ fiunt, sæpè intelligit populus, & raro intelligit ipsorum argumentorum dissolutiones. In materia de prædestinatione, & præscientia Dei, quilibet sutor, & sartor argumentari nouit, & neruos adhibere argumētis, illi ta-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

men' vix potest respondere doctissimus vir, qui cuique alteri viro eruditio facile respōderet. Et ita vix potest esse quin idiora hoc videns non scandalizetur, & in fide va-
cillet. Huius scandalis autor est ille, qui de huiusmodi re-
bus publicè disputauit, & ita velut talis à Deo punietur.

Exod. 21. Sic in figura olim prædictum fuit in lege Moysi: Si rixa-
ti fuerint viii, & percusserit quis mulierem pregnātem, &
abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit
damno quantum maritus mulieris experiebitur, & arbitri
iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsequuta, red-
det animam pro anima. Quam legem iuxta allegoriam

Origen. interpretans, Origenes homilia decima super Exodum,
ait: Sint duo viri isti, qui litigant, duo disputantes, & de
dogmatibus, vel quæstionibus legis secum inuicem con-
quirentes, & (vt Apostoli sermone dicamus) rixantes cir-
ca verborum pugnas. Et paucis interpositis subdit. Quia
ergo isti, qui in quæstionibus litigant, ad subuersiōnē au-
diētiū litigant, idcirco percutiunt mulierem pregnan-
tem, & eiiciunt infantem eius, vel formatum iam, vel non-
dum formatum. Mulier pregnans dicitur anima, quæ nu-
per Dei concepit verbum. Et post pauca subdit: Hęc ergo
anima, quæ nunc pro infirmitate sui mulier appellatur,
duobus inter se litigantibus viris, & in certamine scanda-
la proferentibus, quod habere semper verborum conten-
tio solet, percutitur, & scandalizatur, ita vt verbum fidei,
quod tenuiter cōceperat, abiiciat, & perdat. Et hęc est lis,
& contentio ad euerſiōnē audientium. Si ergo non-
dum formatum anima, quæ scādalizata est, abiecerit ver-
bum, qui scandalizauit, damnum dicitur pati. Et multis
interiectis iterum ait: Formatuſ infans potest videri ser-
mo Dei in corde eius animæ, quæ gratiā baptismi conse-
quita est, vel quæ euidentius, & clarius verbum fidei con-
cepit. Hęc ergo si nimia contentione doctorum percussa
abiecerit verbum, & inuenta fuerit esse de illis, de quibus

1. Tim. 5. dicebat Apostolus. Iam enim quædā conuersæ sunt retro
post Sathanā, animam pro anima dabit. Vel in die iudi-
cij accipiendo est apud Deum iudicem, qui potest ani-
mam & corpus perdere in gehēnam. Vel certe potest for-
tassis illud aptari, ut qui sibi cōscius tanti scandali fuerit,
ponat animam suam pro anima illius, quem scandaliza-
uerit,

uerit, & usque ad mortem det operam quomodo redeat,
quomodo reparetur, quomodo restituatur ad fidem.

Hactenus Origenes. Si soli viri, & sacerdtes in fide adefessent
non solum de his veris, & Catholicis propositionibus
disputare liceret: sed etiam de propositionibus quamlibet
haereticis disputare licet, si id solu gratia exercitiū fiat, ut
inde veritas fidei clarius elucescat, & ipsi disputationes in-
structiores & disertiores ad haereticos conuincendos per
tale exercitium fiant. Nam sicut hastiludia, & alia certa-
mina inter amicos in palestra fieri solent, ut inde instru-
antur quo pacto contra hostes in bello certare valeant.
Sic etiam inter viros doctos, & Catholicos, literarum
exercitia, & disputationes de fide haberi oportet, ut inde
discant quomodo contra haereticos ecclesiae, & fidei Ca-
tholicæ acerbissimos hostes, pugnare debeant. Neq; huic
sententiae obstat quod Alexander quartus ait in capit.

Quicunque de haereticis, lib. v. vbi sub excommunicatio-
nis pena prohibet omnibus laicis personis ne publice,
aut priuatim de fide Catholica disputatione audeant. Nam
illuc Papa veram disputationem prohibet, non autem fi-
ctam. Facta quidem est disputatione, quæ solis verbis, & nō
animis fit, qualis est inter illos, qui cùm sint in eadem sen-
tentia concordes, argumentatur & respondent, ut rei ve-
ritatem clarius inueniant. Sicut etiam est bellum factum
inter eos, qui hastiludia excent. Disputatione vera est in-
ter illos, qui non solum verbis: sed etiam animis sibi in-
uicem contradicunt, & sententias prorsus contrarias tu-
tantur. Disputationem factam faciūt viri Catholici cùm
de rebus fidei disputatione: quia idem concordi animo sen-
tentia, & solis verbis contradicunt. Disputationem veram
& non factam habent viri Catholici contra haereticos cùm
de fide Catholica disputatione: quia sicut exterius verbis
pugnant, ita interius animis dissentient.

Hanc veram disputationem, quæ cum haereticis de fide
habetur, prohibet Papa personis laicis, ne videlicet pub-
licè, aut priuatim de fide Catholica cum haereticis dispu-
tare audeant. Et meritò id prohibuit: quia licet essent ali-
qui laici docti, qui bene, & sine periculo possent cum hæ-
reticis disputatione, leges tamen non decernunt de iis, quæ
zaro contingent; sed de iis, quæ ut in pluribus eveniunt.

Rarò

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Raro autem contingit laicos esse doctos in fide, & ad di-
sputa- dum de ea dilectos: & ideo ne ipsi in disputatione
succun bentes, sibi ruinæ occasionem assumeat, aut aliis
audientibus præberent, meritò illis fuit talis disputatio
interdicta. Aliam verò disputationem de fide, quæ fictè
inter Catholicos exerceatur, non est laicis per illud cap.

Quicunque interdicta: quoniam disputatione ficta non est
propriè disputatione: sicut nec bellum fictum est propriè
bellum, nec homo pictus est propriè homo. Et si hoc be-
ne aduertislet glossa, in illo cap. Quicunq; paragrapho
Inhibemus non tantis premeretur angustiis, quibus illic
premitur, & facile dissoluisset laqueos, quibus se teneri
putauit. Laicis igitur solis est interdictum, ne cum hære-
ticis publicè, vel priuatim, de fide Catholica disputerent:
ecclesiasticis autem viris non sic est absolutè prohibitum
cum hæreticis disputationare: sed licitum est illis de fide con-
tra hæreticos disputationare, modò id coram viris doctis, &
in fide constantibus fiat. Et aliquando non solum erit li-
citum: imò necessarium contra hæreticos publicè dispu-
tare, etiam coram populo simplici, vtputa quando popu-
lus ab hæreticis, aut aliis infidelibus oppugnatur, & soli-
citur, vt fidem Catholicam deserat. Tunc enim præla-
tis ecclesiarum incumbit, subditos fideles ab huiusmodi
hæreticorum infestatione defendere, & tenentur illi per
se, aut saltē per alios viros doctos, & in disputando di-
sertos contra hæreticos disputationare, vt gloria Dei manife-
stetur, & veritas Catholica defendatur, & hæretici con-
fundantur. Nam ob hoc (vt Paulus ait) oportet Episco-
pum doctum esse, vt sit potens exhortari in sacra doctri-
na, & eos, qui contradicunt arguere. Et beatus Petrus
præcepit Episcopis, vt sint semper parati ad satisfactio-
nem reddendam, de illa, quæ est in nobis spe & fide.
Alioqui si hæreticis clamantibus, & ad publicam dispu-
tationem preuocantibus, Catholici viri racerent, dare-
tur populo suspicionis occasio, vt credat Catholicos vi-
ros de fidei certitudine diffidere, eò quod non audeant
ad certamen cum hæreticis descendere, aut credet illos
cum hæreticis sentire, eò quod illis clamantibus tacent.
Nunquam siquidē verius dici potest, vt qui facet consen-
tire videatur, quā cūm res est adeo seria, vt tacere sit per-
nitiosum,

Titi. I.

i. Pet. 3.

nitiosum, loqui vero utile & necessarium. Ideo tunc necessarium erit contra haereticum disputatione: quia error, cui non contradicitur approbat, & veritas cum minime defensatur opprimitur. Negligere quippe cum possit perturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obuiare. Decreta autem & leges, quae absolutè omnem videntur prohibere de fide disputationem ad solos hereticos diriguntur, quibus omnis interdicitur disputatio, per quam fidem Catholicam oppugnare presumunt, aut de illa dubitare. Nam de hac disputatione intelligendum est dictum Marciani Imperatoris, quod haberur. Marcianus Ne
 mo. C. de summa trinitate & fide Catholica. In iuriarum Imperator.
 (Inquit ille) facit iudicio reuerendissimæ synodi: si quis semel iudicata ac recte disposita, reuoluere, & publicè disputare contenderit. Haec ille. At Catholicus, qui pro his, quae in synodo definita sunt, disputat contra haereticum, non facit iniuriam synodo, immo exhibet honorem. Haereticus autem, qui contra synodus pugnat, is facit iniuriam synodo: quia illam errasse contendit. Hereticis ergo: quia contra fidem sentiunt, de fide disputare inhibet, Catholicis autem, qui pro fide pugnant, de fide disputare non prohibet. Ut ergo omnia decreta, & leges, quae disputationes de fide fieri prohibent, clarius intelligamus, est ad uertendum, quod in vera disputatione de fide, quæ est inter Christianum, & haereticum, duæ sunt prohibitiones diuersæ iuxta duas personas, quæ ad huiusmodi disputationem coenunt, videlicet Christianus, & haereticus. Prohibitio Christiani restricta est ad personas laicas, solis enim laicis, in illo, paragrapho, inhibemus, est interdicta huiusmodi disputatione. Haereticis etiam est interdicta disputatione de fide: & haec prohibitio est generalis, quo ad personas haereticorum: quia nulli haeretico permititur de fide disputare volens fidem infringere, aut de illa dubitate præsertim in rebus illis, quæ per expressam ecclesiæ definitionem sunt iam olim determinata. Nam ad solos hereticos est referendum, quod habetur in ca. Maiores, 24. q. 1. Illud enim capitulum sumptum est ex quadam epistola Gelasii Papæ, quam ad Episcopos Dardaniæ misit, qui de Gelasio quærebantur, propterea quod Acatium Euticianæ

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

etianæ hæresis fautorem, sine concilio generali damnatæ set. Volebant siquidem Episcopi illi, ut Acatius prius fuisse set ad concilium vocatus, & ibidem auditus, & si suæ sententiae rationem non dedisset, immo, ut illam hæreticam factetur fuisse cōvictus, tunc merito damnaretur, & non ante. His Episcopis Gelasius Papa scribit, probans illos iniustam rem petere, & iuste Acatium sine conciliij congregatione fuisse damnatum: quia cum hæresis Euticianæ fuisse iam olim in concilio Calcedonensi damnata, non erat opus ad eiusdem hæresis fautorem damnandum, nouum congregare concilium. Et inter multa, quæ pro hac re in illa epistola eleganter disserit Gelasius, pars post principium refert ea, quæ recitantur in illo capitulo Maiores. Quidam verbis (ut ex discursu literæ facilè constat) docet hæreticos, qui in apertam, & præfertim olim damnatam hæresim lapfi sunt, non esse ad disputationem admittendos: sed oportet illos sine vlla disputatione errorē suum reuocare. Quoniam (ut in eadem epistola

Gelasius. Gelasius ait) si ea, quæ salubriter decreta sunt, cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidiuis omnis integra definitio baretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum non essent elisæ pestes, resumptis certaminibus, contra fundamentum fæse veritatis attollerent, & simplicia quæque corda percuterent.

Quid si subinde fas esset perfidis inire concilium? Cum quælibet illis manifesta sit veritas, nunquam defit, quod pernitosia de promata falsitas, tametsi ratione vel autoritate deficiens sola tamen intentione non cedens. Hec Gelasius. Quæ verba satis se ipsa indicant, quod aduersus hæreticos diriguntur, qui diuersis furoribus incitati firmissimam fidem disputationibus suis oppugnare conatur, non aduersus Catholicos, qui eandem fidem defendere satagent. Beatus Leo primus huius nominis summus Pontifex solos etiā hæreticos à disputatione arcet. Nam epistola. 21. Martiano Augusto scribens de Euticianæ hæresi

Papa tunc recenti, sic ait: Autem igitur per imperialē amicitiam primus. spe cœlestis auxiliū, confidentius pietatem vestrā pro sacramento salutis humanæ incitare præsumo, ne cuiusquam procaci

procaci impudentique versutia, quasi de incerto quid sequendum sit, finatis inquire. Hęc ille. Et epistola. 22. eidem Martiano augusto de his, quae in Calcedonensi concilio tractanda erant, scribens ait: Vnde per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor, & rector, obtestor, & obsecro clementiam vestram, ut in presenti synodo fidem, quam beati patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & que olim maiorum sunt autoritate damnata, rediuius non permittatis conatibus excitari. Hactenus Leo Papa. In quibus verbis apertissimè constat, eam solam disputationem prohibeam esse voluisse, per quam firma fides vertitur in dubium, & quod certum est, in illa inquiritur tanquam incertum. At cum hæretici sint, qui fidei certitudinem incertam facere suis disputationibus contendunt, & Catholici sint, qui firmitatē fidei sua disputatione defendere conentur, consequens est, ut soli hæretici sint qui de fide disputare prohibentur, & non Catholicī. Hi enim soli sunt, qui iniuriam, fidei autoritati, & dignitati faciunt, dum ab ea certitudinem suam amputare conātur, & illam, aut falsam, aut dubiam dicere non verentur.

Vnde beatus Maximus in sermone quodā de pluribus martyribus ait: Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post mortētūm sudores ociosa disputatione contendas. Hęc ille. Hæretici ergo sunt quibus contra fidem disputare est interdictum, quam si illi, omni prohibitio: ne contempra, suis disputationibus oppugnare non erubuerint, Catholicis non est interdicta eiusdem fidei defensio. Inō aliquādo (ut dixi) est necessaria, & præcepto iniuncta prælatis ecclesiasticis, qui velut pastores curam habent arcendi lupos, ne oves morsibus noceant. Cū enim timetur populum in hæresim labi, propterea quod nullus est, qui disputatione sua conuincat hæreticos, tunc necessarium esset contra hæreticos disputare.

Propter hoc beatus Athanasius disputauit cum Arrio, ut illum conuinceret, aut saltem populus in fide confirmaretur.

Maximus

Athana.

August. firmaretur, Propter eandem causam beatus Augustinus toties cum variis hæreticis publicè disputauit, cum Felicie Manichæo, cū Feliciano Arriano, cum Pascentio comite Arriano, cum Emerito Donatista. Eadem ratione

Lantfran. ductus Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis optavit publicè disputare cum Berengario, v publice cōvictus & confusus non posset populum secreto (vt faciebat) despere. Sed hanc disputationem cum Lantfranco habere Berengarius noluit, reformidans victoriæ verecundiam. Hoc cōsiderat ex præfatione cuiusdam opusculi, quod idem Lanfrancus aduersus Berengarium scripsit. Ob eandem

Bernar. causam beatus Bernardus de clauſtro, & quiete monasterij sui in Burgundia siti, ad Senonas vsq; in Franciam venire non dubitauit, vt contra Petrum Abailardum pestilentissimum hæreticum, pro fide Catholica disputaret. Nam & si prius ab Archiepiscopo Senonensi ad rem vocatus, venire tunc renuit, quia non sua putabat referre: sed Episcoporum, quorum est ministerium de dogmatibus iudicare: tamen cūm audiret hæreticum ob hoc superbio rem factum, & audatius exprobrare agminibus Catholico-

licorum virorum, acquieciuit amicorum consilio, & ad disputationem venit: sed hanc hæreticus ipse fugit: & ita Deo volente factum est, vt hæreticus, qui prius ad singulare certamen beatum prouocauerat Bernardum, ille prius à certamine fugerit. Et vt res sit apertior, placuit hic inserere verba, quæ de hac re Bernardus scripsit, epistola. 189.

Sic enim ait Cedens tamen (licet vix ita vt fierem) consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia,

& scandalum proximo, & cornua crescerent aduersario, & quia error magis confirmaretur, cūm non esset qui responderet aut contradiceret, occurri ad locum, & diem, imparatus quidem, & immunitus, nisi quod illud mente voluebam. Nolite præmeditari qualiter respondeatis, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Et illud:

Psal. llii. Dominus mihi adiutor non timebo, quid faciat mihi homo. Conuenerant autem præter Episcopos, & Abbates, plurimi viri religiosi, & de ciuitatibus magistri scolarum & clericorum literati multi, & Rex præsens erat. Itaq; in præsentia omnium aduersario stante ex aduerso, producta sunt

sumit quædam cap. de libris eius excerpta. Quæ cùm cœ-
pissent legi, nolens audire exiuit, appellans ab electis iu-
dicibus. Hactenus Bernardus. Ex cuius verbis apertissi-
mè constat quando, & vbi liceat cum hæretico disputare.
Cùm enim ex defectu disputatoris, qui contradicat, hære-
ticus magis inualescit, & populo scandalū imminet, tunc
necessaria est disputatio, ut hæreticus confundatur, & po-
pulus in vera fide confirmetur. Sed tunc coram viris do-
ctis disputandum, & non coram rudi populo: quia non
expedit tam sublimem disputationem coram idiotis iu-
dicibus fieri. Vbi autem ex defectu disputationis nullum
imminet populo periculum, consuli us fieri existimo, si
omnis amputetur disputatio, & iuxta consilium sapien-
tis fiat, quic ait: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam Prou. 26.
suam, ne efficiaris ei similis.

QVANVIS NON SIT ABSOLVTE.
bonum cum hæretico disputare, est tamen
bonum, & sanctum contra hære-
ticos scribere. Cap. XX.

F Ortè ex his, quæ præcedenti capi, diximus quisquam
colliger nō esse etiam bonum, neq; licitum aduersus
hæreticos scribere, putans eandem esse rationem vocalis
disputationis, & scripturæ, & eadem mēsura vtranc fore
metiendam. Nam de hac re fuit mihi olim cum quodam
viro Græce, & Latine docto nō modica contentio. Cùm
enim Brugis in Flandria, vbi ille morabatur, ego tunc
essem, & Librum, quem aduersus omnes hærefes ædidi,
tunc pararem, clanculo derrahebat labori meo, dicēs me
rem prorsus inutilem sumpsisse, & consultius me fuisse fa-
cturum, si ab incepto desisterem. Verum (vt sèpè euenire
solet) quæ ille clanculo, & me nunquā scituro dicere pu-
tauit, amicis audientibus, & tandem mihi referentibus,
cognoui. Adij hominem, rogauitq; ab illo, num ipse tale
aliquid dixisset. Non potuit negare, qui sibi cōscius erat,
coram multis id dixisse, quorum testimonio poterat con-
uinci. Petii deinde ab eo, qua motus ratione ita sentiret,
vt tam sancto operi detrahere vellet. Quia multi (respō-
dit ille) opus hoc tuum legentes forte plus laudabunt
hærefes ipsas, contra quas disputas, quam Catholicam

O veritatem

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Veritatem, & audientes iam olim fuisse illas ab aliis predicatas, hoc ipso audaciores, easdem hæreses tutadas suscipient, quas tu oppugnare conaris. Et sic, cum hæreticos extinguere cupis, hæreticos suscitabis: quia illis scandalum appones, & hæresis occasionem præbebis. At, qui scandalizauerit ynum ex pusillis, qui in Christo credunt

Mat.18. (vt Saluator ait) expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Ecce vides urgentissimam rationem, qua ille motus est, vt non solum inutile: sed etiam noxiū putauerit, scribere contra hæreticos.

Et tamē vir erat, qui nimis ambiebat theologos videri, cùm re vera non esset. Deinde absoluto iam libro, quod aduersus omnes hæreses parauerā, & typis excusso, cùm ad Hispanias, nataleq; solum rediisse, non defuēre, qui idem mihi exprobrarent, quod ille in Flandria fecerat. Sed isti neq; viri theologi erant, nec se theologos existimari (vt ille yambiebant). Viri quidem docti isti erant: sed tantum leges didicerant humanas, quas aut Pontificias, aut ciuiles vocant: & ob hoc istis leuius parcendum esse iudico: quia non est mirum, si in ea re, quæ ad ius suum non spectat, errauerint. Nam si viri theologi, & docti fuissent, non improbassem laborem meum, quo aduersus omnes hæreses disputationē pro fide Catholica suscepī, imo potius vehementer laudassent, sicut nunc, Deo aurore, cui ego gratias reddo immensas, quotquot vbiq; terrarum sunt docti theologi laudant, & miris esserunt laudibus. Si enim bene nossent, quod, qualeq; scandalum sit vi tandem, & quale contemnendum, non incidissent in tam errorem, quo putarunt non esse scribendum contra hæreticos, aut hæreses, ne quis hæc legens scandalizetur, & in eas ipsas hæreses labatur. Nam quod fit aliquod scandalum meritò contemnendum. Saluator noster docuit, quando Apostolis dicentibus illi, Pharisæos fuisse scandalizatos propterea quod ipse dixerat, hominem nō coinqūnari a cibo, quod intrat in os, respōdit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Quibus verbis apertissime Saluator noster illud Pharisæorū scandalum cōtempserit. Ut igitur huius rei veritatem clarius demonstremus, opus est, vt scandalorum varietatem, & quale sit inter illa dif-

Mat.15.

crimen

erimen obiter tractemus. Scandalum Græcè est offendit
culum Latinè, & ad mores translatum significat quan-
dam mali occasionē. Vnde Hieronymus exponens illud
Matthiei locum : Scis quia Pharisæi auditō verbo hoc,
scandalizati sunt, sic ait: Et quia crebro teritur in ecclesia:
sticis scripturis scandalum, breuiter dicamus, quid signifi-
cer. Scandalum, nos offendiculum, vel ruinā, & impactio-
nem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus: Qui
cunq; de minimis istis scandalizauerit quempiam, hoc in-
telligimus, qui dicto factore occasionem ruinę cuiquam
dederit. Hæc ille. Tale autem scandalū bifariam contin-
gere solet: quia aut ab aliquo datur, aut nemine dante ac-
cipitur: & ob hoc duplici etiam nomine appellatur. Nam
quoddam dicitur scandalū datum, & quoddā dicitur scā-
dalum acceptum. Scandalum datum est dictū, vel factum
quod ex se præbet alteri occasionem ruinæ, hoc est, pec-
cati. Tale scandalum semper est peccatum, & quidē mor-
tale, si ex se est peccati mortalis allectuum. De hoc scan-
dalo loquutus est Christus cùm dixit: Qui scandalizauē
rit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt
suspendatur inola asinaria in collo eius, & demergatur
in profundum maris. Et iterum Vt homini illi per quem
scandalum venit. Huiusmodi scandalū semper est vitian-
dum, ea lege, & ratione, qua cætera peccata vitare tene-
mur. Est aliud scandalū, quod dicitur acceptum, & nō da-
tum, & est casus, vel ruina, hoc est, peccati proueniens ex
bono facto, vel dicto alterius, aut saltem ex dicto, vel fa-
cto nō malo. Hoc scandalum idē dicitur acceptū, & non
datum: quia ex ea re, quæ non est apta ad dandam occa-
sionem malī, aliquis peccati occasionem accipit. Tale scā-
dalum nullus vitare tenet, in alio aliquādo scandalum
oritur ex re bona, & necessaria ad salutē, vt sunt omnes
ille quæ sub præcepto nobis iniunctæ sunt. Si quis enim
scandalizaretur propterea quod in quadragesima abstines-
t carnibus, aut die dominica sacru Misse officiu audis, nō
idē aliquid horū impune omittere potes: in modo scādalo il-
lo contēpto quodlibet illorū agerē teneris. Nam lex chā-
titatis, quæ præcipit, vt plus te, quā proximū ames, etiam
præcipit, vt plus in te, quam in proximo vites peccatum.
Peccares autem, si ea omitteres, quæ tibi præcepta sunt.

Mat. 18.

O, Ne

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Ne igitur alius pér scandalum peccet ea, quæ tibi præce-
pta sunt omittere non debes. De hoc scādalo intelligitur
dictum Bedæ, quod ponitur in regula: *Qui scandalizat*
ueritatem extra regulam iuris. Ut ilius scādalu[m] nasci permit-
tatur, quām quod veritas relinquatur. Quæ regula iuxta
omnium doctorum tum theologorū, tum canonistarū sen-
tentiām intelligēda est de triplici veritate, videlicet, vite,
iustitiæ, & doctrinæ, ita vt neq[ue] veritas viræ, neq[ue] iustitiæ,
neq[ue] doctrinæ, sit omittenda propter vitandum scandalum
proximi, præsertim si talis veritas sit ad salutem animæ ne-
cessaria. Alioqui si veritas illa non sit necessaria, vt cōtingit
in veritate vitæ, quæ nō est sub obligatione præcepti
iniuncta: sed solum in consilio data, tunc propter vitan-
dum proximi scandalū, quod orietur in illo ex ignoran-
tia, licet ad tēpus omittere talem vitæ veritatē, quo usq[ue]
doceatur bonam esse talem rem, neq[ue] vñlā esse scandali oca-
sionem. Cūm autem iam fuerit proximus edoctus, &
clarè fuerit illi ostensum rem talem esse verē bonam, quæ
nullam proorsus habeat in se scādali rationē, si proximus
adhuc scandalizatur, tale scandalū iam est malitiosum:
quia ex pura malitia, & non ex ignorantia ortū, propter
quod vitandum nulla vñquā veritas est reliquēda. Ita in-
terpretantur præfata regulā iuris. Alexander de Hales
in secunda parte, quæst. 189. membro sexto. Ricardus de
Media Villa in quarto sententiārum. distin. 38 articulo de-
cimo. Adrianus Papa in. 1. quæst. quodlibeti. Eodem mo-
do etiam exponit glossa regulam illam licet non tam cla-
rē, & apertē, & distinctē, quantum illi. Hoc etiam differt
ab illis, quod glossa vocat veritatem disciplinæ, illam,
quam doctores præfati appellant veritatem doctrinæ:
nam alioqui oporteret fateri glossam nō plenē assignasse
in sua diuisione omnes veritatis partes, cūm omiserit ve-
ritatem doctrinæ, quæ omittenda non erat: sed potius
primo loco constituenda, sicut fides prior est charitate.
Fit igitur necessariò, ne diuisionem, quam glossa asig-
nat, mancam esse dicamus, vt per veritatem discipline in-
telligamus veritatem doctrinæ. Regula igitur Christia-
na est, vt ut ilius scādalu[m] nasci permittatur, quām quod
veritas relinquatur. His igitur omnibus præmissis, peto
ab illis, qui sentiunt, non esse bonum scribere contra hæ-
res,

refes, propterea quod aliquis in illo opere legens forte scandalizabitur, veriorem putans esse haec estim, quae reprobatur, quam illius reprobationem. Quale scandalum erit huius scandalizati, datum, an acceptum? Si dicant esse scandalum datum oportebit eadem ratione illos fateri peccatum mortale esse scribere contra haereses: quoniam (ut diximus) omne tale scandalum, quod ex se dat peccati mortalis occasionem, est peccatum mortale. Cum igitur haeresis sit peccatum mortale, & (ut supra libro primo ostendimus) grauisimum, consequens est, ut scriptura contra haereses, si (ut dicunt) est scandalum datum, sit etiam peccatum mortale, & scribens contra eos peccet mortaliter. Si hoc illi concedant, tunc iterum interroga-bo illos, si scripturam suam contra haereses fautor illius ita secreto eam seruet, ut nullus ea videat, aut si illam alii legerint, & nullus ex ea scandalizetur, sed potius econtrario multi, qui erant dubii in fide, aut alias haeretici, per illam reuocentur ad fidem, & in illa confirmantur. an tunc etiam scriptura illa contra haereses sit dicenda scandalum. Si dicant tunc non esse dicendam peccatum, neque scandalum, propterea quod nullum scandalizauit, & multos edificauit, sequitur inde, ut neque peccatum sit, neque scandalum datum dicatur, quanvis multi ex illius lectione scandalizentur. Consequētia ista inde est manifestissima, quod opus aliquod, ut dicatur scandalū datum, non pendet ex hoc, quod alius scandalizetur ab eo: quia si opus illud est malis coram aliis factū siue aliquis ex eo scandalizetur, siue non, semper dicetur scandalū datum. Si quis capiat blasphemiae occasionem cum videt alium blasphemantē, siue non: blasphemia publicē facta semper dicitur scandalum datum. Necessaria igitur est consequētia, ut scriptura cōtra haereses non dicatur scandalū datum quāuis multi ex illa capiant occasionem ruinæ, si non est dicenda scandalū quando nullus ex ea scandalizatur. Si vero dicant talem scripturā contra haereses dicendā esse peccatum mortale etiā si nullus eam legat, & esse scandalum datum quāuis legentes in illa non scandalizentur ex ea, oportebit eos fateri, beatū Augustinū, beatum Hieronymum, & beatissimū Irenēum peccasse mortaliter, pro eo quod multas aduersus haereses ediderūt scripturas, & tales illas

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

rum tractatus quos aduersus hæreses ædiderunt, oportebit dicere esse scandalosos; quoniam etiam per illos tractatus poterit aliquis scādalizari, ita ut ipsas, quas illi sancti damnarunt hæreses, eligant magis, quā Catholicam veritatem. Qui hoc cōcedere nō dubitauerit, cogetur etiam damnare totā ecclesiam Catholicam, propterea quod illa non damnauit vñquam tales tractatus neq; vñquam viros fideles ab illorum lectione prohibuit. Non credo esse aliquem tam dementem, vt dicat sanctos viros ob hoc peccasse mortaliter, quod contra hæreses scripserūt, & ecclesiam errare, propterea quod illa sanctorū virorum tractatus, quos illi aduersus hæreses scripserunt, legi permittiit. Si quis tamen fuerit tam effrons, vt hoc concedere nō vereatur, dēducam illum in multo acerbiores angustias, & in maxima, quæ fingere possimus viro Christiano in cōuenientia. Nam qui hæc dicit, necessariō cogetur fateri Euangelistas in scriptura suorū Euangeliorum, & Paulū in suis Epistolis errasse: quoniam omnes hi scripserunt aliquas peruersorum hominum hæreses, & quanvis Euangelista aut Apostolus eas damnauerat, nō tamen defuit, qui illas postea sit tutatus. Aperta est Saducæorum hæsis negantium resurrectionem, quæ à Christo, Salvatore nostro, Matheo, Marco, Luca referentibus, damnata est, Certum est tamen multos fuisse postea hæreticos, qui in hanc eandem hæresim lapsi sunt, & vtinam non sint hodie etiam plures, qui eidē hærefi faueant, putantes nihil reliquum esse post hæc vitam. Paulus apostolus in priore ad Timotheum Epistola dānat duas hæreses, vnam, quæ prohibet nuptias, alteram, quæ damnat certas aliquas ciborum species: quas hæreses nullus (quod sciām) fidelis homo ante tempus Pauli docuerat: sed quia spiritu propheticō præuidit futuros esse aliquos, qui illas docerent, ideo tempestiuē prēmonuit, vt ab illis caueremus. Si Paulus de hæresibus futuris prēmonuit, scribens illas, & dannans ante illarum ortū, multo efficacius, & vehementius scripsisset cōtra illas, quæ iā fuissent ortæ, sicut & fecit contra eas, quæ suo tempore sunt ortæ. In epistola ad Galatas ex professo disputat cōtra illos, qui dicebant ceremonias, & sacrificia veteris legis esse necessaria ad salutem in lege Euangelica. Hoc idē contendit in epistola ad Hebreos.

bræos. Potest tamen fieri, vt quis has Pauli epistolas legens, eligat magis hæreses, quas illic Paulus dñnat, quam Catholicam veritatem. Nam Ebion, & Cerinthus, & Sæfæi, & Elcesæi hæretici non obstante Pauli sententia veteris legis ceremonias dixerunt esse necessarias in lege Euangelica. Quis ergo erit tam demens, vt censeat delendas esse epistolas Pauli, radenda esse Euangelia, ne forte quis illa legens in eas incidat hæreses, quæ illic damnantur, aut in alia vita, quæ illic reprehenduntur? Ex his omnibus colligo, quod ille, qui contra hæreses scribit, non solum non peccat in hoc: sed bene agit, nec talis scriptura est peccatum, immo potius opus bonum, & per consequēs non est dicendum scandalum datum, licet aliquis per illam scandalizetur. Præterea sicut potest quis per huiusmodi scripturam scandalizari, sumens ex illa occasione assentiendi alicui hæresi, ita econtrario possunt multi per illam scripturam ab hæresi, in quam forte fuerant lapsi ad fidem Catholicam reuocari, & qui forte erant dubij, & nutantes in fide confirmari, & verisimile est hoc multo frequenter contingere, quam illud: quia in tali scriptura fides Catholicæ laudatur, hæresis reprehenditur, & damnatur: pro fide Catholicæ illic pugnatur, & hæresis expugnatur. Cum igitur boni, & Catholicæ non solum possint ex huiusmodi scriptura persuaderi ad confirmationem fidei: sed ultra hoc urgeantur, & quasi compellantur ad illam, consequens est, vt si quis talem scripturam contra hæreses disputantem legens in aliquam illarum hæresum illic damnatarum labatur, non tribuatur hoc malitiæ scripturæ: sed potius malitiæ ipsius legentis, qui scriptura abusus est, cum id probet, & bonum iudicet, quod illic legit esse malum, & reprobatum. Si gallinam aut caponem, aut arietem serpens comedens vertat in venenum, quis dicet esse cibi culpam, & non potius serpentis, qui ob suæ complexionis malitiam id, quod natura sua erat salubre, vertit in venenum? Idem prorsus censendum est de illo, qui legens eos tractatus, qui contra hæreticos scribuntur, ipsas hæreses quas illic vidit reprehendi, & damnari, magis eligit, quam Catholicæ veritatem. Ex his omnibus apertissime colligitur illum, qui contra hæreses scribit, non solum per hoc non peccare: sed bene agere, nec talem scripturam esse dicendam peccatum: sed opus bonum, &

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

mèritorium, & per consequens non esse censendam scandalum datum, quanvis aliquis per illam scandalizetur. Quia tale scandalum non à scriptura oritur, quæ ex se bona est, cùm mala sit hæresis, quæ per illam reprehenditur: sed à malitia ipsius legentis procedit, qui abutitur bono. Tale igitur scandalum censer i debet acceptum, & non datum: quia ille culpa sua voluit offendere, cùm tandem fuisse de offendiculo pæmonitus. Ille per propriam malitiam voluit illi adhærere sententia, de qua fuerat monitus esse hæreticam, vt caueret ab illa. Hoc tale scandalum nullus euitare tenetur: quoniam de hoc (vt diximus) intelligitur illa iuris Christiani regula, quæ ait: Ut ilius scandalum nasci permittitur, quām quod veritas relinquatur. Si quis enim à me de fide Catholica doctus, & de hæresi, vt ab illa caueat monitus, in hæresim ipsam labatur, illius erit culpa, non mea qui illum monui. Ex quo apertissimè colligitur nullo modo esse prætermittendam doctrinam fidei Catholicæ, vt eviteretur error in proximo, qui ex propria culpa errat. Nam alias eadem ratione oporteret prædicatores verbi Dei non reprehendere vitia in publica concione, & confessores non interrogare de illis paenitentes in secreta confessione: cùm posset contingere, vt quis peccata, quæ fortè ignorabat inde discens, occasionem sumat appetendi, & tandem perpetrandi ea, quæ nunquam antea commiserat. Eadem ratione medicus non deberet monere infirmum de cibis noxiis, vt caueat ab illis, quoniam sèpè contingit, vt post prohibitionem ardentius illos cibos appetant, quos si comederint, fortè morientur.

Tamen si hoc contigisset, nullus sanæ mentis ob hoc exprobraret medico: quoniam monuit infirmū, imò potius illo inculpato in ipsum infirmum totam reiiciet culpam: quoniam noluit obtemperare medico consulentis: sed suæ innitens prudentia, mortem sibi asciuit. Si medicus corporalis monens infirmum, vt caueat à noxiis cibis bene agit, consequens est, vt medicus spiritualis monens alios, vt à doctrinis noxiis, abstineat, tanto melius agat, quanto anima melior est corpore, & quāto grauiores sunt animi morbi, quām corporis. Rursum, nunquam

quam bonum aliquod omittendum est propter evitan-
dum scandalum proximi, quod in illo oritur ex propria
illius malitia, quamvis (ut diximus) liceat ad tempus
omittere, ad vitandum scandalum, quod oritur, ex igno-
rantia; quia tunc tadiu omittere oporteret bonum opus,
quousq; ille de veritate doceatur. Hoc ita esse testimonio
redemptoris nostri probatur, qui postquam docuerat pha-
riseos, Apostolos non peccare, eo quod non lotis manibus
manducabant, & dicentibus illi Apostolis, phariseos ob
hoc fuisse scandalizatos, respondit. Sinite illos, cæci sunt,
& duces cæcorum. Quibus verbis Christus redēptor no-
ster apertissime cōtempsit tale phariseorum scandalum, eo
quod oriebatur ex pura illorum malitia, cum ab illo de
veritate edocti ipsam apprehēdere nolebāt. Vnde Theo-
phila, præfata Saluatoris verba interpretans, ait : Hinc
enim discimus, quod offendit illos, qui sponte offenduntur,
& incurabiles sunt, non est nobis damnosum. Hæc ille. Et
idem super Lucam declarans miraculum de Hydropico,
quem Dominus Sabbato sanauit, sic ait : Porro quum in
medium venisset Hydropicus, non hoc consyderauit Do-
minus, quomodo non offenderet multos : sed quomodo
sanaret eos, qui cura sua indigebant. Oportet enim nos
vbi magna prospectat utilitas, non curare insipientes,
qui scandalizantur. Hæc Theophylactus. Scandalum il-
lorum, qui legentes tractatus aduersus hæreticos æditos,
in ipsas hæreses labuntur, ex propria illorum malitia ori-
tur, & non ex ignorantia : quia cum veritas fidei sit il-
lis aperte declarata, illam contemnunt, & errorem ibi-
dem damnatum eligunt. Consequens igitur est, (ut iux-
ta Saluatoris nostri doctrinam) tale istorum scandalum,
qui sponte sua scandalizantur, sit contemnendum, &
propter illud vitandum non debeat quis omittere, scribe-
re contra hæreses. Deinde quam vanum, & futile sit hoc
inconueniens, quod isti offerunt contra libros, qui aduer-
sus hæreses scribuntur, apertissime ostēdit Paulus in Epi-
stola ad Romanos, in qua de bonitate legis Mosaicæ di-
sputat, ostendens eam non ita bonam fuisse, ut Iudei pu-
tabant : quia non poterat iustificare homines, ut illi cre-
debant. Et tandem ostendens quid boni lex haberet,
ait : Per legem enim cognitio peccati. Hoc ideo dixit: Rom. 3.

O s quia

Mat. 15.

Theoph.

Luc. 14.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quia aliqua sunt peccata, quæ nesciremus esse peccata, nisi lex docuisset nos illa esse peccata. Ideo iterum in eadem

Rom. 7. Epistola ait: Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces. Hac igitur lege data, & per illam peccati cognitio habita, ortum est inde, ut homines ipsa peccata, quæ intellexerunt esse per legem prohibita, magis appeterent.

Rom. 5. Et ideo ipse in eadem Epistola dixit: Lex subintravit, ut abundaret delictum. In quibus verbis illud aduerbiū, ut, non est capiendum in significatione causæ finalis: sed quatenus significat consequitionem effectus. Non enim ad hunc finem dedit Deus legem, ut homines magis peccarent: sed ut meliores fierent. Data tamen lege homines exarserunt in maiorem appetitum earum rerum, quæ per legem illis erant prohibitæ. Nam (ut ait Poëta) Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.

Rom. 7. Et idem Paulus in eadem Epistola hoc ipsum ait, sic inquiens: Occasione accepta peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Et postquam alia multa ad idem propositum ibi Paulus dicit, contra seipsum arguit, sic inquiens. Quid igitur dicemus? Lex peccatum est? Hoc Paulus sibi opposuit, quia fortè aliqui putare potuissent, legem esse malam, & melius fuisse talem legem non fuisse datam, cum ex illa multi (ut dictum est) occasionem acceperunt magis peccandi. Sed huic obiectioni respondet Paulus. Absit.

Sed peccatum non cognoui: nisi per legem. Et pa: sum infra. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venis: set mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex

Anselm. sancta quidem, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quæ verba interpretans Anselmus in commentariis super Epistolas ait: Peccatum itaque non legitime vtens

Theoph. lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcis factum est, & ideo seduxit, vel fecellit. Hæc ille. Et Theophilactus eadem Pauli verba exponens ait: Legi namq; mens erat, vt ad vitam traduceret, eoque & tradita est: at si ex ea mors ipsa

ipsa defluxit, non est propter ea illa culpanda: sed peccatum, id est, impetus ille, qui ad malum fertur, & corruptus, & voluptuarius animus, qui potius, ut proprius loquar, voluptas me ipsa seduxit, occiditque sub mandati praetextu. Hæc Theophylactus. Paulus ergo censet legem fuisse bonam, & bonum fuisse talem sanxisse legem, quamvis ex illa homines sumpserunt occasionem pluries, & ardenter peccandi: quoniam hanc mali occasionem non præbuit illis lex, quæ bona erat: sed ipsi per propriam malitiam sumpserunt ex lege occasionem. Et ideo caute Pau-
lus in præfatis verbis loquitus est dicens: Occasione accepta per mandatum, & non dixit occasione data per mandatum. Quoniam lex, quæ bona erat, non poterat illis alicuius mali occasionem præbere: sed ipsi homines: quia mali erant, ex eo, quod bonum erat mali occasionē sum-
pserunt. Ad eundem modum nos dicamus de scriptura Catholica contra hæreses ædita, quemadmodum Paulus de lege dixit: Occasione accepta hæresis per scripturam Catholicam seducit insipientes, & fallit illos. Quid igitur dicemus? Scriptura illa peccatum est? Absit. Sed scri-
ptura sancta est, & opus sanctum, & iustum, & bonum. Denique, ut iam concludamus, si ut vitetur insipientium spontaneum scandalum, vitanda est scriptura contra hæ-
reses, oportebit eadem ratione vitare omnia sanctorum virorum opera: quoniam vix ullum mediocris magnitudinis opus illorum reperies, in quo non reciteretur aliqua hæresis, & damnetur. Nam tanto odio hæreses sunt perse-
cuti, ut semper occasionem quæfuisse videantur, qua aduersus aliquam illarum pugnare possent. Fortè aliquis mihi obieciet id, quod præcedenti capitulo diximus, non esse bonam publicam aduersus hæreticos vocalem disputa-
tionem: nisi ubi necessitas vigeret, & ita fortè eadem ra-
tione colliget non esse etiam bonum disputare per scriptu-
ram aduersus illos. Sed hæc obiectionem nullius proferatur
esse momenti facilem quicquid intelliget, si considereret, quām latum sit inter vocalem, & scriptam disputationem disci-
men. Vocali siquidem disputationi, & publicæ: omnes ad-
esse possunt, & omnes ad illam audiendam certatim concurrunt, tam idiotæ, quam viri docti. Scriptam autem disputationem non legunt, nisi viri docti, & ideo scripta dispu-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

disputatio reputatur secreta, & non publica . Vocalem autem disputationem secreto, & coram solis viris doctis fieri posse concessimus, sicut nunc de scripta disputatione concedimus . Deinde in vocali disputatione idiotæ, qui adstant, & si sententias nō intelligat, iudicare tamen de ipsa disputatione contendunt. De disputatione autem scripta raro aliquis iudicat, nisi vir doctus, quoniam vix alius (vt dixi) nisi doctus ille sit, illam legere curat, & si legerit non intelliget, ac proinde, nec iudicare possunt. Ad hunc modum sancti viri distinxerunt doctrinas, quæ voce, aut scripto dantur: quoniam cum prædicatores verbi Dei admoneant, vt iuxta auditorum capacitatem sermones temperent, ita vt de rebus sublimibus coram populo rudi non differant: ipsi tamen, qui haec consulunt, in suis operibus saepe de rebus sublimibus scripserunt: quoniam putabant illa opera à viris idiotis non fore legenda, & ita non putarunt idem imminere periculum ex scriptura, quod certum erat oriri posse ex vocali prædicatione. Propter hanc eandem causam censeo vitados esse eos libros, qui lingua vulgari cōtra hæreticos disputant: quoniam talis scripta disputatione in lingua vulgari ædita tam publica est, & adeò exposita est iudicio hominum idiota: ruin, ac si publica voce fieret . Merito igitur laudandus est, communis regni Castellæ senatus, qui publico edicto prohibuit ne libri tales cōtra hæreticos æditi in linguam vulgarem transferrentur, & de aliquibus, qui iam translati erant, præcepit sub graibus pœnis ne venderentur.

Q V O D HÆ R E T I C V S S I R E S I puerit est ab ecclesia misericorditer re: cipiendus. Cap. XXI.

HÆ R E T I C V M hominem si resipuerit, solet pia mater Ecclesia, quæ sponsi sui dulcissimi vestigia secutitur, extensis (vt aiunt) vlnis recipere. Imitatur siquidem sponsum suum, qui (vt ait Paulus) vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Eum, qui venerit ad me, inquit Saluator noster, non eiiciam foras . Iustum est ergo, vt Ecclesia illius sponsa non eiiciat foras eos, qui ad Christum redire voluerint. Deus pes

Hicres

i. Tim. 2.

Ioan. 6.

Hieremiam prophetam Iudæorum synagogæ, quæ cum
 annatoribus mulis per varias idolorum culturas fuerat
 fornicata promisit se illam recepturum, si ad illum reuer-
 teretur, ergo oportet, ut Ecclesia filios, qui ab eius gre-
 minio per hæresim recesserant, recipiat, cum ad illam reuer-
 tuntur. Contrarium tamen sensit olim Nouatus, à quo
 Nouatiani hæretici sunt dicti, qui in tantam prorupit in:
 saniam, ut non fuerit veritus docere, non esse dandam
 lapsis peccatorum indulgentiam, sive remissionem. At
 Ecclesia spiritu Dæi illustrata intelligit bene, quam crude:
 lis, & quam à diuina misericordia aliena sit hæc senten:
 tia, & propterea ipsum Nouatum damnans lapsis indul:
 gentiam promittit, & tribuit. Imò blandius velut pia
 mater amplectitur eos, quos nunc lucratur, & de illis
 multò amplius gratulatur, quam de illis, quos nunquam
 amiserat. Agnoscit enim illa, quod sponsus suus est ille
 bonus pastor, qui errantem ouem non interfecit, non per:
 cusfit: sed gaudens super humeros suos imposuit, & ad
 ouile perdixit, & tandem conuocatis amicis, congratu:
 lari sibi ab illis petiit, eo quod ouem, quam amiserat, inue:
 nit. Deinde pater ille Euangelicus filium suum prodi:
 gum de pastu porcorum, & longinqua regione, in quam
 abierat, ad se reuertentem non reiecit, neq; illi exprobra:
 uit prodigalitatem, aut vlla iniuria illum affecit: sed vt vi:
 dit illum pater eius à longè, misericordia motus est, &
 accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum:
 & dixit ad seruos suos, Cito proferte stolam primam, &
 date anulum in manum eius, & calceamenta in pedibus
 eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & man:
 ducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat,
 & reuixit, perierat, & inuentus est. Sic parer cœlestis iudi:
 cat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagellā,
 vt pote, qui non vult mortem peccatoris: sed vt conuér:
 tatur, & viuat. Licet hæc filii prodigi parabola de omni
 peccatore soleat intelligi, mihi tamen magis de illo, qui
 in hæresim lapsus est, intelligenda videtur, qm de fide
 li, qui aliud crimen lærale commisit. Fidelis siquidem ad:
 huc est in domo patris, propterea quod nondum ab eccl^e
 sia, quæ Paulo testante, domus est Dei, recessit. Hæreticus
 verò, qui se ab eccl^e Catholice confortio separauit, do:

Hiere. 3.

Luc. 15.

Ibidem.

1. Tim. 3.

num reliquit patris, & tanto longius abiit, quanto fidem
deserta in plura se immersit vitia. Ad domum patris reuertitur,
cum relicto eriore, quo fuerat ante deceptus, fidem
Catholicam suscepit, per quam iterum in ecclesiam, unde
exierat, intrat. Sed hunc talem pater cœlestis cum gau-
dio suscepit, & magis super illum læatur, quam super se-
nuorem filium, qui domini manserat. Quis fit igitur, ut ma-
ter non eodem gaudio suscipiat reuertentem filium, quo
illum suscepit pater? Erit ne sponsa contraria sponso suo,
ut quod sponsus suus benigne, & cum gaudio suscepit, il-
la, cum austeritate reuiciat? Absit. Nihil enim ex his, quæ
ad fidem, & mores spectant, ecclesia agit, nisi prout à Deo
sponso suo regitur, & docetur. Male igitur eos agere
conuincitur, qui hæreticis reuertentibus ad ecclesiæ con-
sortium, aut Iudæis, vel Sarracenis ad veram fidem con-
uersis exprobrant præteritam infidelitatem, & illos ob-
hoc iniuriis afficiunt, cum potius deberent illos benigne
tractare, dulciter alloqui, charitate, & amore prosequi, ut
his retinaculis illos in fide suscepta melius conseruarent.
Et forte qui illos acerbe & cum austeritate tractant, hoc
faciunt, ut illos fidei suscepentes pœniteat. Ideò Dominus in
lege veteri sub quadam figura, quemadmodum reliqua,
quæ in illa lege fuerunt dicta, præcepit, ut huiusmodi ho-
minibus non inferretur iniuria, neque præteritum vitium
quis illis exprobaret. Sic enim in Leuitico ait: Si mora-
tus fuerit aduenæ apud vos, non exprobretis ei. Vitium
aduenæ præcepit non esse illi exprobandum: sed ut tan-
quam indigena ab illis estimaretur. Aduena est inter
Christianos quisquis a Iudæorum, vel Sarracenorum ri-
tu ad Christianismum venit, huic tali præcepit Domi-
nus, ut nullus exprobaret aduenæ notam, nullus ex hoc
illi iniuriâ saceret, quod ante Iudæus aut Sarracenus fue-
rit. Nullus in illo considerare debet, sicut neq; Deus con-
siderat, quod ante fuit: sed quod nunc est. Unde Ambro-
sius ait: Cūm renuntiatur improbitati, statim adsciscitur
virtus. Egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingre-
sum, eodemque studio, quo crimen excluditur, innocéntia
copulatur. Hęc Ambrosius. Et habentur hęc verba in cap.
Cūm renuntiatur, 32. q. 1. Eos vero, qui contra hanc Do-
mini legem facientes, austere, & improbe tractant noui-

Levi. 19.

Ambro.

ter conuersos , reprehendit Dominus per Ezechielem prophetam dicens : Aduenam opprimebant calumnia absque iudicio . Quæ verba interpretans Hieronymus in commentariis ait : Aduenam quoque & peregrinum, qui nondum eius ecclesiæ fuerat effectus : sed tantum adiutor, & habens initia fidei, opprimebant calumnia : vt postquam circuissent mare , & aridam, facerent vnum proselytum & facerent eum filium gehennæ. Hæc Hieronymus. Iustius est ergo, vt qui à Iudeis, siue Saracenis, siue hæreticis , eorum erroribus desertis, ad fidem ecclesiæ Catholice conuertuntur , benigne recipiantur, dulciter tractentur , ne nimia austerritate deterriti, à cetera pta fide recedant : sed potius benignitate , & blanditiis sanctis allecti, in fide , quam semel suscepérunt alacriter perseuerent. Et si quis ex his Christianis recetibus, & nouiter à Iudeisino, aut à Saracenis conuersus, in fide errare cōtingat, & postea errorem suum cognouerit paratus corrigi, dico hunc talem esse cum maiori misericordia, & leuiori paenitentia , quam alias ex veteribus Christianis recipiendus: præsertim si ex ignorantia illum errasse constet, & non ex malitia: vt puta, quia non fuerat plene de fide instructus. Neque obstat cap. contra Christianos, de hæreticis. lib. 6. quia cap. illud intelligitur de pertinacibus, & qui nō sunt parati ab errore suo corrigi. Si tamen veræ contritionis signa ostenderint, & ad unitatem ecclesiæ redire voluerint, benigne recipi debent : quia ignorantia, & aliquando infirmitas illos excusat . Ne igitur hoc excusationis velamine malitiam suam semper tegere procurent, necessarium esset, vt huiusmodi nouiter conuersis Christianis tempus aliquod, & non nimis breue præfigeretur, in quo ea, quæ ad fidem Catholicae pertinet, discere tenerentur, & magistri qui illos docerent, darentur : quoniam nisi id fiat, etiam si postea errent, meritò se excusare poterunt dicentes, Nemo nos conduxit. Verum ne quis ex his, quæ diximus ansam erroris capiat, putans hæreticum hominem quotiescumq; resipuerit, esse semper ad misericordiam recipiendum, oportuit de hac re admonere lectorē, vt intelligat bisariā posse cōtingere, vt hæreticus ad fidem conuersus ab ecclesia recipiatur. Vno modo, vt recipiatur ad solā anima sua salutē: alio modo, vt nō solum

ad ani-

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

ad animæ: sed etiam ad corporis salutem recipiatur. Primo modo dicius hæreticum quo cunctæ tempore pœnitentiat, etiam si relapsus fuerit, esse semper recipiendum ad pœnitentiam, ut salutem animæ assequi poscit. Nam pœnitentia (ut Augustinus ait) etiam si in ultimo vitæ hiatus aduenierit, saluat, & liberat. Et in cap. super eo. de hæreticis. libro. 6. docetur, relapsi hæretico non esse neganda pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta, si illa humiliter petierit, & manifesta pœnitentiæ signa in eo apparetant. Secundo modo, hoc est, ad corporis, & animæ utilitatem, non semper oportet hæreticum recipere, neque semper ecclesia illos recipere vult. Et merito hoc ecclesia facit; quia si semper illos reciperet, ut illos in vita, & aliis bonis temporalibus seruaret incolumes, in multorum perniciem (ut libro secundo longius docebimus) hoc cederet. Quos autem hæreticos, & quando ad corporis, & animæ salutem ecclesia recipiat sequenti cap. docebimus.

Q V O D HÆR ET I C I P R I M O A D fidem redeuntes, non sunt omnes pariter, & cum æquali misericordia recipiendi. Cap. XXII.

Deut. 25. **Q**UAM VIS omnes hæreticos, qui semel tatum in hæresim lasos fuisse, deprehensi sunt, cum ad fidem Catholicam redeunt, recipiendos esse diximus, non tamen omnes cum recipiuntur, eadem benignitate tractare oportet: sed iuxta varietatem criminis, & personæ varia illos impendetur misericordia. Nam pro mensura peccati, præcepit Deus, ut fiat plaganum modus. Hæc autem varietas in multis considerari debet, & primo an is, qui in fide errauit, sponte, & sine alicuius accusacione venit, an postquam fuerat accusatus. Multum si quidem interest, an libere, an ex metu aliquid agas. Si quis in fide errauerit, & postea peccatum suum agnosces sine alicuius accusatione, aut denuntiatione: sed sponte sua ad inquisidores hæreticorum accesserit, & se coram ipsis de sua hæresi accusauerit, & misericordiam petierit, erit absque dubio, cum benignitate, & misericordia recipiens. Et sine alicuius infamiae nota, pœnitentia aliqua secreta iuxta hæresis, & personæ qualitatem illi imponitur.

Neque

Neq; in hoc tali est considerandum ex tempore sue cognitionis, & confessionis aliquod discrimen: utputa, si ante tempus gratiae ab Inquisitoribus concessum, venit vel post. Solent enim Inquisitores haereticorum cumpri-
 mum oppidum aliquod visitant, vt de haereticis inquiran-
 t, edicta proponere, & populū per prædicatores mo-
 nere, vt si quis in illo fuerit in haeresim aliquam diabolo
 suadente lapsus, infra talcm, aut talem terminum, puta
 hebdomadam, vel mensem, errores suos recognoscant
 & se errasse humiliter corā illis faceantur: alioqui si hoc
 illis præsignato termino iam transacto, deprehensi fue-
 rint, velut haeretici punientur. Hic illis præfixus, & con-
 cessus terminus, solet vocari tempus gratiae: quia ex gra-
 tia, & nō ex necessitate illis concessum est tempus venia
 vel misericordiae, quia si illo tempore venerint, venia il-
 lis dabitur, & misericordia. Quocunq; igitur tempore
 quis veniat, siue intra tempus gratiae, siue postea, modo
 sponte sua, & sine aliqua accusatione, aut citatione ille
 veniat, semper est cum misericordia recipiendus. Et po-
 test hoc etiā probari à simili periodi, quod habetur in ca.
 Si tibi absenti. paragra. antequam. de præbendis lib. 6.
 Si verò aliquis non sponte sua sed accusatus, & vocatus
 ad Inquisitores venerit, & peccatum suum fuerit coram
 illis confessus, tunc hanc oportet habere in primis con-
 siderationem, an videlicet ille intra tempus gratiae vene-
 rit, an post. Si quis de haeresi accusatus peccatum suum
 antequam ad iudicium vocetur, agnoscat & illud humili-
 liter fateatur intra tempus gratiae, dico illum esse miseri-
 corditer recipiendum, & cum delicti sui venia, siue ille
 sciat se esse accusatum, siue non. Nam alioqui ego non
 possum intelligere, quibus illud tempus gratiae prodesse
 possit: quoniam illis, qui sponte sua veniunt, & mere li-
 bere, nihil certe prodest, cum hi etiā si post tempus gra-
 tiae iam elapsum venerint (vt nunc diximus) sunt admit-
 tendi. Fateri igitur oportet tempus illud gratiae, aut nul-
 lius prorsus esse momenti, aut necessario valere illis, qui
 post accusationem venerint. Imponetur tamen istis poe-
 nitentia digna iuxta suorum criminū qualitates. Si au-
 tem post tempus gratiae elapsum quis accusatus, & voca-
 tus accesserit, & crimen suum tunc fuerit coram inquisi-
 toribus

toribus confessus, dubium est inter doctores, an sit recipiendus. Nam Archidiaconus in cap. ut commissi. paragr.

Archidiaconus. necnon de haereticis. lib. 6. dicit hunc tales non esse recipiendum, & remittit ad notara in. l. t. C. de his qui latro. occul. Dominicus eodem loco recitat hanc Archidiaconi opinionem, & illam nec oppugnat, neque confirmat: sed sola illius relatione contentus pertransit. Hostiensis

Dominicus. Hostien. vero in suamina, titulo de haereticis, dicit haereticum an: tequam sit conuictus, semper esse recipiendum. Nam in

paragra. Qualiter deprehendatur, sic ait: Si confiteretur vocatus timore probationis, & iudex videat ipsum contritum, & speret de conuersione sua, potest ei parcere in-

iuncta penitentia salutari. Et parum infra ait: Si vero negauerit, & conuictus fuerit, condemnari debet per Ecclesiasticum iudicem, ad quem hoc pertinet, ut in ca. Ad abolendam. paragr. i. extra de haereticis. Et in paragrap.

Cardina. Quando, & qualiter Ecclesiae reconcilietur dicit, qd post condemnationem statim sine aliquo intervallo posset res conciliari auctoritate Episcopi, ex intervallo autem non nisi auctoritate Papq. Et Dominus Cardinalis in Clem. e.

Ad nostram. paragr. penult. de haereticis. dicit, qd si post negauerit, sit conuictus, non admittatur ad huiusmodi reuocationem erroris, ut per illam morte euadat. Quia

qui expectauit, ut per probationes coineretur, & conuictus redit, non hoc facit in continentia, nec sponte: quia videtur timore probationum fecisse. Glossator autem des

cretarium docet, qd etiam post condemnationem sit recipiens, si tunc sponre illum redire cognoscatur. Hoc dicit in cap. Ad abolendam. paragr. presenti in verbo: recur-

rere. & in cap. penult. de haereticis. paragr. si qui autem in

verbo: deprehensi, & ibidem probare nititur hanc suam opinionem, sic dicens: Quia Ecclesia non claudit gremiis

redeuntibus ad ipsam. C. de summa trinitate. inter clas-

tas. circa finem, & delicti veniam petentibus damus. C. eod. titu. Manichaeos. Haec in glossa. Panormitanus in

l. cap. excommunicamus. parag. damnati. eodem tit. quauis,

recitat opinionem Archidiaconi, huic tamen magis fauet. Et pro hac opinione ille adducit textus in cap. Accusatus de haeret. lib. 8. In quo cap. solos relatos sine misericordia dicit esse puniendos. Dicit ergo Panormitanus hanc

opinio

Opinonem esse tenendam: quia mitiorem, & probat per regulā: Odia. & per regulā: In pēnis, de regulis iuris li. a. Ecce vides tres doctissimorū virorū opinones, quarū duæ sunt extreimæ, alia videlicet Hostiensis, quæ quodā modo mediat. Quid igitur ego homo theologus faciā, ubi tot magni gigantes pugnant? Dicere enim possem id, quod Virgilianus ille rusticus dixit.

Non est mēum inter vos tantas componere lites.

Virgilius.

Dicam tamen ingenue, quod nulla istarum opinionum absolute, & ex omni parte mihi placet. Nec intretur quis aut me arrogantem, & superbum dicat, propterea quod ego homo Theologus in materia iuridica contra viros iuris Canonici peritisimos pugnare audeam: sed magis conſyderer, obſcro, nullum esse, aut fuisse vñquam tam doctum hominem, qui sensu pure humano scribens non errauerit aliquando, iuxta id, quod in vulgari proverbio dicitur: Bonus quandoq; dormitat Homerus. Conſyderet etiam id, quod Iuuenalis ait:

Iuuenal.

Veniet de Gente togata

Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluet.

Sed his omissis (ut ad scopum nostram reducam orationem) pro clariori huius rei illustratione, oportet negotiorum hoc trifariā conſyderare iuxta tres gradus, per quos ad haereticī punitionem solent iudices procedere. Primo enim haereticus accusatur, & vocatur. Secundo per testes idoneos de haeresi conuincitur. Tertio damnatur, & deinde punitur ea pena, ad quam damnatus fuerat. Si haereticus accusatus, & vocatus antequā sit de crimine suo conuictus, post tempus gratiæ peccatum suum agnoverit, dico cū Hostiensis illum talem esse cum salutis pēnitentia ad misericordiā recipiendum, si iudex agnoscat illum de peccato præterito dolere, & de emendatione illius bonā habeat spem. Nam hic talis cū non sit vere, neq; illa iuris fictione relapsus, neq; possit vere dici incorrigibilis cū errorem suū nulla pertinaci animositate defendat, non est cur ad mortē possit damnari, aut iudici seculari tradi. Iura siquidem neminē nisi incorrigibilem, & relapsum iudici seculari tradi præcipiunt. Cū ergo iure non sit isti denegata misericordia, intelligitur concessa. Imponetur tamen illi salutaris pēnitentia, in

P 2 cuius

cuius impositione, ut plena seruetur iustitia, cōsyderare oportet hæresis, & personæ qualitatem, an videlicet hæresis illa, in quam lapsus est, sit contra illum fidei articulum, quæcum expresse scire tenebatur. Nam (ut alias supra me dixisse memini) non omnes ad omnia credenda parie legie tenentur. Si oppositam fidem non tenebatur iuxta suæ personæ qualitatem scire, atq; ideo constat illum ex ignorantia errasse, tunc cum modestia, & charitate docendus est de vera fide, quam si statim suscepere, erit cū misericordia; & sine villa infamie nota recipiendus.

Quia cū ille errorem suum nulla pertinaci animositatē defendat, consequens est ut iuxta Augustini sententiam in cap. dixit Apostolus) nō sit hæreticus censendus, nec velut talis puniēdus. Quod si aliqua illi imponatur ad cautelam pœnitentia, ut videlicet cautor deinceps sit in loquendo, leuem illam esse oportet, cū leue, aut forte nullum fuerit illius peccatum. Si vero errauit circa ea quæ scire tenebatur, tunc tentandus est, an ex industria, & sciens errauerit, an ex ignorantia. Possibile est enim, ut negligens fuerit in addiscendis iis, quæ erat obligatus scire: & quia negligēs fuit in discendo, errauit in aliquo particulari, putans illud, quod ipse credit, ab Ecclesia Catholica credi. Si illum ex ignorantia eorum, quæ scire tenebatur, errasse cōstiterit, & de suo errore admonitus statim illum reuocauerit, & sine villa rebellione veram fidem suscepere, cum misericordia admittetur, imponeaturq; illi pœnitentia, & nō leuis: sed aliquanto grauior præcedenti: non tamen, ut hæreticus punietur: sed quia negligens fuit in addiscendis illis, quæ sub gehennæ interminatione erat obligatus scire. Oportet tamen hoc loco cautum esse inquisitorem, ut bene penetrare valeat, an is, qui errauit circa ea, quæ erat obligatus scire, errauerit ex ignorantia: quoniam is, qui ignorat ea, quæ scire tenebatur, oportet ut suam probet ignorantiam, si per eam excusari procurat. Si vero constat illum ex industria, & scientia errasse, quanvis post accusationem veniat, admittetur ad misericordiam si hæresim statim abiuerauerit: imponetur tamen illi pœnitentia, & multo grauior, quam duobus præcedentibus. Quia (ut Saluator noster ait) seruus qui nouit voluntatem patris, & non fecit

fecit secundū eius voluntatem vapulabit multis. Et quod adducit Archidiaconus ex annotatis in. l.l. C. de his qui latro. occul. non est ad propositum. Hæreticus vero, qui transacto tempore gratiæ vocatus crimen suum negavit, & posteā per testes idoneos conuictus peccatum suum fatetur, & petit misericordiam, est illi concedenda, vt euadat p̄xnam mortis: sed erit perpetuo carceri mancipandus. Hoc apertissime probatur per secundum cap. Excommunicamus paragra. si qui autem, extra de hæreticis. Nec obstat cap. Ad abolendam paragra. Præsenti. vbi dicitur, quod secularis arbitrio potestatis relinquatur puniendus, qui non continuo post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam redierit. Deprehensus enim non dicitur in hæresi omnis qui accusatus est de illa: sed ille solum, qui de hæresi legitime conuictus est. Nam alias oportet, vt omnis, qui de hæresi accusatus est, & crimē suum negat, esset ante legitimam probationem potestati seculari tradendus: quia textus ille dicit, quod qui post deprehensionem erroris non statim ad fidei Catholicæ unitatem recurrat, iudici seculari tradatur ad illius arbitrium puniendus. Hoc autem dicere esset absurdissimum. Nec satis est, vt quis dicatur in hæresi deprehensus, quod sit per testes conuictus, docuisse, aut firmiter afferuisse propositionem aliquam, quæ verè est hæretica: sed oportet, quod sit etiam per vera argumenta conuictus talem propositionem esse hæreticam. Nam quamvis in hæresi aliqua persistat (vt supra in isto primo libro cap. 10. docuimus) antequam sit de hæresi sua legitime admonitus, non dicitur pertinax, & per consequens neque hæreticus, si paratus sit reuocare hæresim, cum fuerit illi vera fides manifesta. Alioqui oporteret dicere, vt quotiescumque inquisitor hæreticorum præcipeat et alicui prædicatori, aut doctori, vt propositionem aliquam tanquam hæreticam abjuraret, ille teneretur hoc facere. Nam diceret inquisitor, quod nisi statim abiuret iuxta cap. Ad abolendam, statim illum tradet curiæ seculari. Et ita cogeretur aliquando propositionem Catholicam recantare, & abiurare. Non est ergo dicēdus deprehensus, nisi fuerit conuictus. Qualiter autem, & quibus argumentis sit aliqua proposicio de hæresi conuincenda, supra cap. 4. aperte declarauimus.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

mus. Et certè (vt opinor) ex falsa huius vocis, deprehensus, intelligēria deceptus est Archidiaconus, prius omniem, qui transacto tempore gratiæ accusatus accedit, esse reliquendum, & potestati seculari tradendum. Et Dominus Cardinalis etiam deceptus est, qui existimauit omninem conuictum, etiam si ante condemnationem redieat, esse tradendum potestati seculari: quia (vt ille ait) non statim & continuo redit. Sed te vera fallitur: quia textus in cap. Ad abolendam. nō dixit absolute, nisi continuo redierint: sed dixit, continuo post deprehensionem erroris. Tunc quis dicitur deprehēsus in aliquo crimine, quando facti euidentia cognoscitur illū tale crimen commisisse, aut per testes est conuictus, aut publica sui confessione illud se fecisse est confessus. Quo sit, vt si quis conuictus de hæresi statim illud fatetur, & hæresim abiurat, dicendus sit statim post deprehensionem erroris abiurasse, & per consequens non tradendus iudici seculari, arbitrio suo puniendus. Quia cap. ad abolendam, præcipit, vt arbitrio secularis potestatis non tradatur hæreticus, qui statim post deprehensionem erroris ad fidei Catholicę unitatem redire voluerit. Et in cap. Excommunicamus. para gra. si qui autem præcipitur, vt huiusmodi talis, qui postquam fuerit deprehensus redierit, perpetuo carceri mancipetur, vt igitur quis pœnam mortis euadat, nō opus est, quod fateatur suum crimen antequam fuerit conuictus: quia etiam si postquam fuerit conuictus, hoc est, in errore deprehensus: si tamen antequam per sententiam fit condemnatus, suum errorem fatetur, perpetuo carceri mancipatus pœnam mortis euadet. Huic meæ sententiæ fauente non solum glossator Decretalium, Panormitanus, & ceteri, qui aliam extremā, & mitissimam opinionem tenēt: sed etiam Gundissalus de Villadiego in tractatu de hæreticis. Restat nunc tertius gradus examinandus, de illo scilicet, qui e iam postquam conuictus est, negavit, & ideo damnarius est, vt secularis arbitrio potestatis puniatur, & post hanc damnationis sententiam, crimen suum fatetur, credens se hac via misericordiam consequetur. Hunc talem firmissime teneo nō esse ullo pacto admittendum, vt talis illi præstetur venia, quæ illum à iudicio secularis potestatis redimat. Quoniam hic talis præsumendus est

fidei accedere, nec de illius emendatione sperandum est. Pro hac re est aperte textus præfati cap. Ad abolendam, ubi præcipitur, quod hæreticus relinquatur secularis arbitrio potestatis, animaduisione debita puniendus, nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei Catholice unitatem sponte recurrere voluerit. At qui post damnationem venit, non sponte: sed timore pena quasi coactus redit: & qui conuictus adhuc sententiam expectauit, non continuo redit. Et in vitroq; cap. Excommunicamus, paragra. dñat, nulla prorsus damnatis datur indulgentia: sed præcipitur, ut seculari potestati tradantur debita animaduisione puniendi. Quod autem Panormitanus arguit per cap. Accusatus. de hæreticis libr. 6. in quo solis relapsis venia negatur parum mouet. Primo quia in illo cap. non habetur, quod ille ait. Illic enim Papa declarat, qui sint relapsi dicendi, & qui sint pena relapsorum in hæresim puniendi, non tamen exprimit penam, qua illi debeant puniri. Deinde quamvis illic solis relapsis negaretur indulgentia non tamen reliquis omnibus conceditur, quod erat maximè necessarium, præsertim cum antea suisset illis in multis locis negata, ut patet per capi. Ad abolendam. & capi. Excommunicamus. primo, & secundo. Argumentum etiam, quod adducit, ut opinio sua tanquam mitior recipiatur, per regulam: Odia, & regulam: In penis. nihil valet. Quia regulæ illæ intelliguntur in negotio dubio: quando non constat quid ex iure tenendum sit, tunc pena, & odia sunt restringenda, quando vero iura apertissime disponunt penas, non sunt tunc illæ restringendæ. Illa etiam, quæ pro ista opinione adducit glossa nullius sunt momenti. Nam illis satis, superque respondetur in cap. super eo. de hæreticis. libr. 6. In illo siquidem textu declaratur, quod ecclesia nulli claudit gremium, ut illi deneget, quod ad animæ suæ salutem viderit necessarium: ac proinde damnatis, & relapsis si contritionis signa ostenderint, penitentiae, & Eucharistie sacramenta non negat. Claudit tamen gremium sçpe in his, quæ ad corporis salutem pertinent: quoniam hæc denegata sçpe saluti animarum professe solent. Deinde deceptus est glossator in præfato. paragra. si qui autem in verbo: deprehensi, ubi exponit, sic dicens:

Publicè, ita quod notorium, vel etiam condemnati. Hæc illé. Fateor quidem condemnatos dicendos esse deprehensos: sed non de istis deprehēsio loquitur ille paragra. si qui autem, quia de istis, qui per condemnationem sunt deprehensi dictum fuerat eodem cap. paragra. Damnati. Alioqui si de omnibus deprehensis int̄ ligatur. paragra. si qui autē, apertissime erit cōtiarius precedenti paragra. Damnati. Talis autē contrarietas in eiusdē cap contextu non est imaginanda. quē contrarietas facillime tollitur, si aduertamus alios esse præter damnatos, qui iure dicuntur deprehensi. Sunt enim deprehensi, qui in ipsa perpetratōe criminis sunt capti, ut pūra: quia visus est sic prædicare, aut docere, & qui per testes idoneos sunt conuicti, & qui publice in iudicio crimen suum confessus est. De his igitur, & non de damnatis intelligitur. paragra. si qui autem, de reliquis verò, qui per iudicis ecclesiastici sententiam sunt condemnati, intelligitur. paragra. Damnati. Quam verborum differentiam, si bene aduertisset glossator, non sic fuisset deceptus. Superest adhuc, ut de alio hæreticorum genere disseramus, de illis videlicet, qui errorem suum fatentur: sed illum deserere nojunt, quoniam dicunt non esse errorem: sed veram fidem. Sed de hoc inferius lib. secundo disputabimus, quem totum huic negotio tribuemus, nunc enim in hoc primo libro de illis solum hæreticis disputamus, qui post tenebras ad lucem redeunt, & erroribus suis desertis, ad fidem Catholicam reuertuntur.

DE A P O S T A T I S A N S I N T E T I A M

cum ad ecclesiam redierint, benigne, & cum misericordia, velut cæteri hæretici recipiendi. Cap. XXXIII.

QVAMVIS de omni hæretico iam dictum sit, illum si congruo tempore sui delicti penituerit, fore ad misericordiam recipiendum, ut à poena mortis liberetur: aliqui tamen de apostatis dubitant, an sint etiam eadem mensura metiendi, ut etiam illis si ad fidem Catholicā vltro redierint, sit indulgētia praefenda. Huius autem dubitationis causa inde oritur, quod ius ciuile nō eandem tribuit benignitatem, & misericordiā apostatis, quam

quam ceteris hæreticis. Nam in lege, hi qui C. de apostatis, præcipit Imperator, ut apostatae etiam si ad fidem Catholicam redire voluerint, ultima poena puniantur: cum eamen alios hæreticos non dicat poena mortis fore puniendos. Pro huius questionis definitione oportet impri-
mis ad memoriam reuocare id, quod supra cap. i. huius pri-
mi libri diximus, Apostatas sub nomine hæreticorum com-
prehendi, nec esse aliam differentiam inter apostatam, &
hæreticum: nisi eam, quæ est inter speciem, & genus.

Nam (ut illic ex beato Thoma docuimus) Apostasia spe-
cies est infidelitatis, quæ sub hæresi comprehenditur, &
nihil supra hæresim addit: nisi quandam circumstantiam
aggravantem, quæ est totius fidei oppugnatio, cum aliæ
hæreses non totam fidem: sed solum partem oppugnant.
At si apostasia est hæresis species, & non alio modo ab il-
la distincta, consequens necessario est, ut apostata sit
etiam quædam hæretici species, & nullum aliud habens
cum hæretico discrimen: nisi quale est inter speciem, &
genus. Hoc igitur præmisso, aliqua prius iaciam firmis-
sima fundamenta, quibus innixa nostra huius quæstio-
nis sententia, contra omnia aduersariorum tela constans
& firma permaneat. Primum fundamentum. De crimine
hæresis nullus iudicare alium potest: nisi solus ecclesiastici-
cus iudex. Hoc fundamentum probatur per cap. Ut in-
quisitioni. de hæreticis. libro sexto, vbi expresse inhibet
Papa omni potestati seculari, ne quomodo libet de hæ-
resi cognoscatur, aut iudicetur, & causam assignetur, quia cri-
men hæresis est mere ecclesiasticum. De nulla enim re-
spicere ecclesiastica, secularis iudex definire aliquid valet,
quod si attentare quis præsumperit, eius definitio irrita
est, & inanis, ut patet expresse in cap. Bene quidem. 96.
distinctione & in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ. extra de
constitutionibus. Et propter eandem causam cognitio,
& iudicium in causa matrimonij sunt iudicibus seculari-
bus prorsus inhibita, & solis ecclesiasticis iudicibus re-
seruata: quia matrimonium eò, quod est sacramentum,
censetur res mere ecclesiastica.

Præterea secularis iudex non potest de hæresi inquire:
re, nec de illa iudicare, hoc est, non potest iudicare, an
hæc, aut illa assertio sit hæretica, an Catholica, ergo non

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

potest propter illud crimen aliquem punire. Collectio
est manifesta: quia iniustum est, ut quis possit iudicare in
crimine, de quo non potest cognoscere. Quod autem se-
cularis iudex non possit de fide aut hæreti cognoscere,
apertissime conuincitur ex his, quæ supra cap. 5. diximus.
Et probatur ultra: quia secularis potestas ab ecclesia est
illuminanda, & ab illa doceri debet, & non econtrario.
Nam (ut dicitur in ca. solitæ. de maiori & ob.) ecclesiasti-
ca potestas est velut Sol, secularis verò cōparatur Lunæ,
quæ lumen suum à sole recipit. Deinde in lege veteri nō
Rex, aut Princeps, aut Dux, aut Medicus: sed solus sacer-
dos habebat ius lepræ inspiciēdæ, & dignoscendæ, & ille
solus leprosos iudicabat, & ex illius iudicio pendebat
quidquid circa leprosum lex faciēdum esse iubebat: ergo
eodem modo in lege noua fieri oportet, ut non Rex aut
Princeps, aut quævis alia potestas secularis: sed solus sa-
cerdotalis ordo, hæresis dignoscendæ, & iudicandæ po-
statem habeat. Nam lepra (ut sacri doctores interpretan-
tur) quædam fuit expressissima hæresis figura. Vnde Au-
gustinus libro secundo quæstionū Euangelicarum, ca. 40.
differens de decem leprofis à Christo Salvatore nostro
mundatis, ita ait: Nullum eorum quibus hæc corporalia
beneficia præsuntur, inuenitur missis ad sacerdotes, nisi le-
prosos. Nam & illum à lepra mundauerat, cui dixit:
Vade, & ostende te sacerdotibus, & offer pro te sacrificiū,
quod præcepit Moyses in testimonium illis. Et post pau-
ca subdit: Quærendum igitur est quid ipsa lepra signi-
ficeret. Non enim sanati: sed mundati dicuntur: qui ea ca-
ruerunt. Coloris quippè vitium est, non valetudinis, aut
integritatis sensuum, atque membrorum. Leprosi ergo
non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei
non habentes, varias doctrinas profitentur erroris.
Non enim vel abscondunt imperitiam suam: sed pro-
summa peritia proferunt in lucem, & iactantia sermonis
ostentant. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non ali-
qua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate per-
mixta in una disputatione, vel narratione hominis, tan-
quam in vnius corporis colore apparentia, significant le-
pram, tanquam veris, falsisque colorum fucis humana
corpora variantem, atque maculantem. Hactenus Au-
gustinus.

Leuit. 13.

August.

Mat. 8.

gustinus. In quibus verbis id annotandum est, quod cum dixerit solos leprosos ex iis, quos sanitatem corporis Christus donauerat ad sacerdotes fuisse ab illo missos, postea dixit leprosos haereticorum figuram portasse.

Ex quibus satis aperte colligitur, necessarium fore, ut quemadmodum tunc soli sacerdotes examinabant & iudicabant leprosos, ita nunc solus sacerdotalis ordo, hoc est, ecclesiastica potestas examinet, & iudicet, haereticos.

Secundum fundamentum. Secularis iudex cum punit haereticos, hoc facit via permissionis, & traditionis ab ecclesiastico iudice facta cum videlicet ecclesiasticus iudex expleto omni eo, quod circa haereticum exercere poterat, relinquit illum, & tradit potestati laicali, permitiens illi, ut circa illum faciat quod viderit expedire.

Hoc habetur expresse in cap. Excommunicamus. paragrapho. damnati, primo & secundo, extra de haereticis.

Ex his duobus fundamentis satis aperte colligitur laicam potestatem non posse quomodolibet haereticum punire, antequa ab ecclesiastica potestate sit illi permisum.

Tertium fundamentum. Ius canonicum nunquam statuto aliquo precepit apostamatam a fide qui ad eam sponte redierit, tradi iudici seculari illius arbitrio puniendum. Ex quo manifeste sequitur potestatem secularis non posse apostamatam, qui sponte ad fidem Catholicam reddit, morte punire. Nam apostata (ut prædiximus) vere est haereticus.

At haereticum hominem secularis potestas punire non potest: nisi cum sibi ab ecclesiastica potestate est traditus. Ecclesiastica potestas nondum tradidit potestati laicali apostatas, quae sponte redire volunt: ergo potestas laica non potest illos morte punire, immo nec de illis iudicare. Ex quibus omnibus infero dominum Ioannem Nicolai Aretatianum errasse, qui in suo libello de haereticis. Notabili. 44. Mordicus tenet apostamatam etiam sponte redire volentem, non esse ad veniam admittendum, motus ex illa præfata lege, hi qui. C. de apostatis. Illa enim lex nullius est momenti: quia & si nulla esset specialis lex canonica, quae de apostatis statueret contrarium, satis est superque satis ad illius euersionem illa generalis canonica prohibitio, qua iudicibus secularibus prohibetur ne quomodolibet de haereticis cognoscere, aut iudicare præsumant.

Multò

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Multò ergo melius quam Arelatanus iste sensit Gundisius, taluus à Villa Diego, quē ille oppugnat, qui in suo libro de hæreticis quætiōne. 20. centuit apostatas eadem lege, qua hæreticos fore in hac parte iudicandos. Præterea (vt fōtius meam confirmem sententiam) ius canonicū non solum nō statuit apostatas sponte redire volentes esse potestati seculari tradendos, imo expresse præcepit contrarium in cap. contra Christianos. de hæreticis. lib. 6. Nam in illo cap. Papa præcipit eos, qui ad ritus redierint Iudeos etiā, esse velut hæreticos puniendos. At hæreticis cum sponte ad fidem redeunt, (vt proxime p̄æcedentī capite diximus) ius canonicum cōcedit indulgentiam, & illos ad misericordiam recipit, nō tradens illos potestati seculari ad illius arbitrium puniendos: ergo eodē modo etiā apostatas si sponte redierint, quemadmodum hæreticos recipere oportebit. Id autem quod pro se adducit Villa Diego, vt hac sententiā confirmet, ex textu cap. Quidam extra de apostatis. parū, aut nihil huic proposito seruit. Nam illi, de quibus Innocentius tertius in illo cap. loquitur, non erant apostatæ tales, quales hi de quibus nūc loquimur. Illi enim de quibus Papa loquitur in illo textu non in vniuersum fidem Catholicam deseruerant, neq; ob hoc à sommo Pontifice reprehenduntur: sed quia simul cum fide baptismi, Iudæo: si ritus obseruabant. Nam propterea ad illorum damnationē, addidit illuc Papa ex sacra scriptura, maledictū esse hominem qui terram duas vias ingreditur, duas vias appellans Christianismum & Judaismum. Apostatæ vero, de quibus nunc loquimur totam fidem Catholicam deseruerunt, & de ipsis est quæstio formata. Vnde patet textum illum à Villa Diego citatum patrum suam sententiam confirmare. Sed caput, contra Christianos, quod nos citauimus tam apertè nosfiram sententiam confirmat, vt nihil apertius dici possit. Nam illud caput apertè loquitur de his, qui relicto Christianismo ad ritus redierant Iudæorum, vt patet ex casu capitilis ibidem in glossa inserto. Rursum, ius canonicum nihil prorsus in specie statuit de apostatis quali essent animaduetsione puniendi: quam rem facere non omisit: nisi quia illos sub hæreticis comprehendere voluit, & eadem illos pœna, qua hæreticos illos puniendos esse censuit.

vensuit. Non est enim putandum sanctos patres, qui pro
hæresis, & aliorū criminum punitione tot iura statuerūt,
circa apostasiam, quæ pestilentissimum est crimen, fuisse
tam remissos, vt illam puniendam nō esse censerent, aut
tam negligentes, vt de illius remedio, & punitione nihil
prorsus statuissent. Cūn igitur credendum sit, ecclesiam
aliquid de apostatis decreuisse, & non alibi hoc reperia-
tur, quām cūm de hæreticis statuit, erit necessario faten-
dūm apostatas eisdem legibus, quibus cæteros hæreticos
esse iudicandos. Deinde ea, quæ de aliqua re in genere sta-
tuuntur, & ordinantur, ad omnem speciem illius generis
sunt deducenda, & omni speciei sunt tribuenda, & appli-
canda : nisi aliqua esset illius generis species expresse ali-
cubi ab illa generalitate excepta. Si lex statuit, vt latro
ea, quæ furto accepit, restituat in quadruplum, non est du-
biū illam legem de omni latrone, puta raptore, sacrile-
go, aliisque latronis speciebus esse interpretandam, ita vt
eorum quilibet ea sit plectendus pœna, vt ablata in qua-
druplum restituere cogatur : nisi de aliqua latronis spe-
cie aliud alibi lex disponeret. Tunc enim generi deroga-
retur per speciem, vt dicitur de regulis iuris. li. 6. regu. 14.
At hæreticus (vt supra in hoc cap. diximus) genus quod-
dam est, cuius quædam species est apostata. Fieri ergo
est necesse, vt quæ de hæreticis canonica iura decernunt,
sint etiam ad apostatas deducenda, & de illis interpretan-
da: nisi alibi ius canonicum circa apostatas speciali decre-
to aliud faciendum esset decernat. Cūm igitur ius cano-
nicum nihil in speciali de apostatæ punitione statuerit,
oportet necessario vt ea, quæ de hæreticorum punitione
ius canonicum statuerat, sint etiam de apostatis intelli-
genda. Ius canonicum præcipit, vt hæreticus, qui con-
gruo tempore sponte ad fidem redire voluerit, admitta-
tur ad veniam, ergo idem de apostata erit necessario fa-
ciendum. Quæ autem Ioannes Arelatanus afferit in suæ
sententiæ confirmationem, nullius sunt momenti, & in-
digna, quæ nobis occupationem responsionis præbeant:
sed tamen respondendum est illis. Dicit primo, quod
& ciuile, nisi inter illa aperta sit repugnātia: sed oportet
ea iura concordare: pro quo adducit. le. præcipimus. C. de

appell. &c. primam. C. de inoffi. dot. & textū ex ca. cūm expeditat. de electio. lib. 6. Huic argumento respondeo per eundem textum, quem ipse adducit. Ibi enim dicitur, quod expedit concordare iura iuribus, & eorum correctiones eis dari, si ipsa iura sustineri valeant, vbi glossa, in verbo sustineri, dicit: Reprehenduntur hic illi, qui volunt sustinere iura, quae penitus sunt correcta: vbi ergo apparet de correctione non sustineant. Hæc in glossa. Reprehenditur ergo ipsem Arelatianus in textu, quem citat: quia sustinere vult illam legem, hi qui. C. de apostatis. cūm illa sit apertissimè redacta in nihilum per ius canonicum, in cap. Ut inquisitioni. de hæret. libro. 6. vbi precepitur omni seculari potestati ne quomodolibet de criminis hærefis cognoscat aut iudicet. Deinde sic arguit: Nullibi in Pontificio iure scriptum expresse reperitur apostatis pœnitentibus parcendum esse, vt mortem corporalem evitent, ergo standum est decisioni iuris ciuilis expresse disponentis, non esse parcendum apostatis. Huic argumentationi respondeo, bis in illa erratum esse. Primo quidem quod assumit est falsum, videlicet nullibi in Pontificio iure esse expresse scriptum, apostatis pœnitentibus esse parcendum. Nam (ut iam diximus) in cap. contra Christianos. de hæreticis. lib. 6. est expresse decretum. & in cap. ad abolendam. extra de hæreticis. & in cap. Excommunicamus, primo & secundo, eo titu. licet enim sub nomine apostatae nihil de illo disponat, satis tamen est id, quod de hæreticis dictum erat, cūm constet ex illis, quæ supra diximus, apostatam esse hæreticum. Secundo peccat illa argumentatio: quia & si assumptum esset verum, collectio tamen est vitiosa, & inualida. Quoniam & si ius pontificium nihil de apostata statuisse, non erat consequens, vt agendum esset per dispositionem iuris ciuilis. Consequentiam tamē istam ille probare nritur per hæc regulam. Vbi aliquid reperitur expresse decisum iure ciuili, nec reperitur contrarium iure canonico, standum est iuri ciuili, etiam in foto ecclesiastico. Certè hæc regula si alicubi vera est, in illis solis rebus valet, quæ iuri ciuili possunt esse subiectæ, & de quibus ius ciuile potest cognoscere, & iudicare, in illis autem rebus, quæ à iure ciuili sunt prorsus alienæ, & in quibus ius ciuile nihil prorsus decer.

decernere valet, nihil veritatis habet regula sua. Nam
hac ratione oportet fateri esse valida, & firma omnia de-
creta, quæ ius ciuale statueret circa confirmationem, aut
reuocationem matrimonij in casibus, in quibus lex cano-
nica nihil certi statuit, ut est in casu cap. literas, extra de-
restitu. spoli. In quo casu Papa nihil certi statuit. Posset er-
go, iuxta hanc regulam, ius ciuale aliquam illarum trium
partium, quas illic Papa probabiles reputat, pro lege pre-
cisa statuere. Posset etiam certam formam in sacramento
extremæ vñctionis instituere, & si illam ius ciuale statuis-
set, oporteret necessario conformiter ad illam agere: cùm
illius sacramenti certam, & præcisam formam (ut ait san-
ctus Bonaventura) nunquam ecclesia statuit. In his enim
& similibus rebus, in quibus ius ciuale nihil statuere po-
test, si aliquid statuat, erit prouersus inane, etiam si iure Ponti-
ficio nihil esset de illis statutum. Cùm igitur crimen
cuiuslibet hæresis, & per consequens apostolæ sit à po-
tentate iuris ciuilis alienum, oportet, ut quidquid de illo
ius ciuale statuat, sit prouersus inane, etiam si nihil de illo
esset iure Pontificio statutum.

SI HÆRETICVS RESIPVERIT,
quid ab eo exigendum sit, antequam ad
ecclesiæ communionem reci-
piatur. Cap. XXIII.

Quanus supra diximus omnem hæreticum, si con-
gruo tempore resipuerit, esse ab ecclesia admit-
tendum, non tamen id continuo cùm petierit, facien-
dum esse censeo. Prius quidem tentandus est an verè sit
dem Catholicam tenere velit, & amplecti, an simula-
tē, & solo pœnarum metu. Deinde an levī, & pa-
rum duraturo animo fidem Catholicam suscipere ve-
lit, an animo constanti, & firmo. indignum quippè est,
ut qui tepido animo, & vacillanti ad fidem Catholicam se velle redire dicit, statim in ecclesiæ communio-
nem recipiatur, ne (si forte ad vomitum velut canis redie-
rit) grauius delinquendi habeat occasionem. Nemo mit-
zens manum ad aratum, & aspiciens retro (ait Salua-
tor noster) aptus est regno Dei. Vir ille fortissimus, &
illu:

Illustris bellator Gedeon, cùm ad bellum contra inimicos pugnaturus accingeretur, Domino præcipiente, dixit populo suo, & cunctis audientibus prædicavit. Qui for:

Iudic. 7. midolosus & timidus est, reuertatur. Sic etiam puto faciendum esse in ecclesia quæ est velut castrorum acies be-

Cant. 6. ne ordinata, & quæ est in continuo bellorum procinctu, vt qui in fide dubius, ac nutans est, non recipiatur in ea:

sed reiiciatur, præsertim cuius imbecillitas fuerat iam ex alio suo à fide discessu plene cognita. Nam aliás qui illum facile ad ecclesiæ consortium recipere, alios fideles, quibus illum commiscet, exponeret periculo contagij, si ille ad pristinū errorem rediret. Vnde beatus Gregorius

Gregor. in registro ait: Quoties cordis oculus nube erroris ob: ductus, supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter autor schismatis irruat,

& ab vnitatis radice eos, qui ad eam reuersi fuerint, telo iterum erroris absindat. Hæc Gregorius. Et habentur hæc verba in cap. Quoties. i. quæst. 7. Scire igitur oportet constantem, & firmum in fide esse illum, qui ab hæresi re diens, ad ecclesiæ Catholicæ consortium recipiendus est.

Leprosus iuxta veterem legē non nisi mutata veste, & capillis rasilis, intra castra, aut intra ciuitatem, vnde propter

Leuit. 13. lepram electus fuerat, recipiebatur, etiam si sacerdotis iu-

dicio mundatus censeretur. Lepram illam fuisse hæresis figuram, satis aperte constat ex testimonio Augustini,

quod proxime præcedenti cap. citauimus: & inde etiam conuincitur leprosum gestasse hæretici figuram. Multò ergo maiorem diligentiam adhibere oportet ne hæreti-

cum, cuius figuram leprosus gerebat, statim cùm ille se mundatum dixerit, intra ciuitatem, hoc est, ecclesiam re-

cipiamus: sed prius oportet vestes, hoc est, exteriores hæ- reticorum conuersationes deponere, & omnes pilos, hoc est,

omnes hæresis cogitationes, quæ ex corde, velut illi ex capite pendunt, radere, vt vel sic ille in fide firmus, &

constans nobis appareat. Verum cuia hæc animi con- stantia, & firmitas in fide nō nisi per exteriora signa cog- nosci potest, ideo sub duobus testimonioribz illam proban-

dam esse ecclesia censuit, antequam hæretico resipiscenti, & ad fidem Catholicam redeunti, ecclesiæ communio detur. Primum testimonium est præteriti erroris publica

in iudicio abiuratio, & detestatio. Tenetur enim qui ab

hæresi

Hæresi ad fidem Catholicam redit, antequam recipiatur, publicè præfatam hæresim in quam diabolo suggerente, lapsus fuerat, coram Episcopo, aut inquisitore abiurare, & detestari. Hoc ita faciendum esse præcipitur in causa abolendam. paragrapho. Præsenti extra de hæreticis. Olim autem hæc abiuratio, & hæresis detestatio solum in communī concilio Episcoporum fiebat, ut patet in causa eo. 50. distin. & in cap. si quis episcopus. 1. qu. 7. Nunc autem quando difficile, & raro concilia sive generalia, sive provincialia congregantur, ne in tanta temporis dilatatione, aut ille suæ veræ cognitionis immemor ad vomitum ex fastidio expectationis rediret, aut in vera fide permanens morte præuentus sine ecclesiæ communione discederet, decretum est, & meritò hanc abiurationem coram Episcopo, & ad illius arbitrium esse faciendam. Deinde datis contra hæreticos inquisitoribus, ad illos etiam hæc autoritas, & potestas recipiendi hæreticos, deriuata est: ita tamen ut sine Episcopi consilio, & assensu id non faciant. Forma autem huius abiurbationis qualis esse debeat, habetur in cap. ego Berengarius. de consec. distin. 2. Circa hæc tamen dubitari potest, an qui in aliqua hæresi deprehensus est, cum spōte ad fidem Catholicam redire voluerit, cogendus sit omnem abiurare, & detestari hæresim, an satis erit eam solam abiurare in qua fuerat deprehensus. gl. in cap. accusatus. paragrapho. eum vero. in verbo, simpliciter. de hæreticis. lib. 6. tenet, quod non tenetur omnem hæresim abiurare: sed eam solam, de qua fuerat accusatus, & dicit glossa ibi suam sententiam elici ex textu illius. paragraphi, Eum vero. quia textus ille loquitur sub conditione si generaliter omnem hæresim abiurauit. Si autem teneretur omnem hæresim abiurare, non illud sub conditione reliquisset. Idem docet glossa in prefato cap. Ego Berengarius. in dictione, omnem hæresim. & probat glo. ista hanc suam sententiam per cap. Presbyter si à plebe. 2. qu. 5. Ego quidem istorum opinionem sub hoc sensu libenter suscipio, ut hæreticus nullo iure expresso teneatur cum ad ecclesiam redit, omnem hæresim abiurare, & detestari: quia (ut ego existimo) nullum tale est adhuc latum ius, quod hæreticum de una hæresi accusatum obliget ad abiurandum omnem hæresim. Verum

licet hæc ita se habeant, non tamen obstant, quin ob ali-
quam iustum causam possint inquisitores hæreticum co-
gere, vt non solum eam, de qua accusatus erat: sed om-
nem in genere hæresim abiuret, & detesteretur. Nam va-
riis succedentibus causis, & occasionibus ad multa potest
homo a suo superiori cogi, ad quæ alias non cogeretur.
Et certè (vt clarius meam proferam sententiam) semper
ita faciendum esse ego censerem, & melius puto, vt om-
nem cogatur hæresim abiurare. Quia hoc magis publicè
utilitati conuenit, ne cuilibet hæretico millies in aliam,
& aliam hæresim labendi præstetur occasio, cum hoc si-
ne periculo mortis se posse facere intelligat. Nam (vt ex
illo. paragrapho. Eum vero. aperte colligitur) qui non
in eadem, quam prius abiurauerat: sed in aliam labitur
hæresim, non dicitur relapsus, nec pena relapsi punietur,
si prius non omnem abiurauerat hæresim: sed eam so-
lam, in quam lapsus fuerat. Præterea omnes ferè hæreses
sunt sibi inuicem connexæ, quia licet facies habeant di-
uersas, caudas tamen adiuicem habent colligatas, vt di-
citur in cap. Excommunicamus primo & secundo, extra
de hæreticis. Dato vno inconuenienti (vt ait Aristote-
les) multa contingunt. Ex vno errore multi necessario
deriuantur, nunquam riuuli ex fonte. Hoc aperte expe-
tientia docente in Luthero didicimus. Hic enim omnes
Pontificis indulgentias contemnere cœpit, & hinc suo-
rum errorum prædicationem est auspicatus. Deinde hoc
non contentus, eo usque insaniit, vt purgatorium non
fuerit veritus negare. Inde coactus fuit negare necessa-
riam esse satisfactionem ullam pro peccatis, & solas duas
admittit poenitentiæ partes. Post hæc videns urgentissi-
mas rationes, quæ illum, vt ab errore discederet, impel-
lebant, dixit nihil post culpæ remissionem, manere in
peccatore ad cuius solutionem remissa culpa tencatur.
Vides iam quam connexæ, & concatenatae sint hæreses.
Et propter hæc causam necessarium est ut quisquis unam
aliquam abiurat hæresim, abiuret etiam eas omnes, quæ
ex illa deriuantur, & quæ illi perpetuo sedere coniun-
guntur: quia non potest illa sine aliis deseriri. Et quia non
potest facile statim agnosciri, quidquid mali ex aliqua una
hæresi deduci potest, ideo melius est, vt omnem prorsus
abiuret

abiuret hæresim, qui vnam abiurare debet. Si quis tamen arguat cōtra hæc per textum ca. Presbyter qui à plebe. 2. qu. 5. inane prorsus erit argumentum: quia res valde dissimiles, sunt hæc & illa. Illic enim agitur de purgatione delicti, qua in re verum esse fateor, neminem teneri, nec debere cogi ad purgandum se nisi de illo solo delicto de quo fuerat infamatus. Hic autem in præsentiarum nihil nunc agimus de purgatione: sed de abiurazione hæresis quæ est res valde diuersa.

Nam & ego etiam fateor neminem posse cogi, vt purget se de hæresi de qua non fuerat infamatus. Deinde & si eadem esset ratio de abiurazione, & de purgatione facienda, nihil contra nos ageret textus ille: quoniam alia crima non sunt sic connexa, & colligata quemadmodum hæreses, & ideo in aliis non oportet se de omnibus purgare: sed solum de illo, de quo fuerat infamatus. Secundum testimonium sui constantis animi, & non simulati: sed veri reditus ad fidem est, publica promissio, & iuramento firmata non recedendi ab ea fide, quam tunc confitetur: sed in ea perpetuo usque ad mortem perseverandi. Qui enim se aliquid facturum iurat, satis testatur id sibi in voto esse, & non simulat: sed verè se id proinvisisse. Nam (vt ait Paulus) omnis controvæsiæ finis est iuramentum. Forma huius promissionis & iuramenti habetur in cap. Quoties. 1. quæstione septima. Et (vt nullus relinquatur suspitioni locus) iurabit insuper, quod illam abiurationem, & hanc promissionem quam iuramento confirmauit, non facit timore mortis, aut alicuius pœnæ temporalis: sed solum ex odio, & detestatione hæresis, & ex amore fidei Catholicæ. Quibus omnibus recte peractis, hæreticus, qui deserto prisino errore ad fidem Catholicam redire voluerit, & misericordiam congruo tempore petterit, in ecclesiæ communione recipietur. Hic autem abiurationis ritus, & modus recipiendi ad Ecclesiæ consortium hæreticos, non recens est, nec à trecentis annis repertum, nec pure humatum inuentum, quemadmodum Lutherus dicere solet: sed ante mille annos. & ex ipsis (vt suspicari licet) Apostolū vestigijs descendens, & Deo ecclesiæ suæ id inspirante (vt credere oportet) in variis conciliis ordinatum.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Concilium Arelatense. Concilium Arelatense secundum cap. . suorum decretorum, hanc disciplinæ regulam statuit. Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentia, incredulitatis præteritum damnet errorem. Concilium Nicenum sub magno Constantino celebratū ca. 8. suorum decretorum de eisdem Nouatianis hæreticis loquens, ait: Si qui voluerit venire ad ecclesiam Catholice ex Nouatianis, placuit sancto concilio, ut ordinentur, & sic maneant in clero. Ante omnia autem hanc habeant confessionem, quam per scripturam exigi oportet, ut faintant se communi consensu Catholicæ ecclesiæ statuta obseruaturos, id est, communicaturos se, & his qui forte secundas nuptias experti sunt, vel his, qui persecutio- nis tempore lapsi sunt, quibus tamen lapsi pœnitentiæ modus, & tempus a scriptum est, ut in omnibus sequantur ea, quæ in ecclesia Catholica obseruantur. Hæc Nicenum concilium. Multo clariora sunt, quæ in Ephesina synodo sub Theodosio iuniore, & Celestino Papa celebra- ta habentur, & magis plene explicant eum modum, quem in recipiendis hæreticis, Catholicæ nunc seruat ec- clesia. Nam in epistola, quam præfatum concilium misit Nestorio hæretico Episcopo Costantinopolitano hæc, quæ sequuntur, habentur. Non autem sufficit, vel tuæ religioni, tantummodo fidei symbolum confiteri, quod expositum est per idem tempus, Spiritu sancto largiente, & venerando & magno concilio apud Nicæam celebra- to. Hoc enim non intellexisti, nec recte interpretatus es, quinimo peruerse, licet sono vocis eadem verba protu- leris. Sed consequens est etiā, Iureiurando fateri te, quod ana- hematizes quidem tua pollutæ, & prophana dogmata sentias autem, & doceas quæ nos vniuersi per orientem, seu occidentem Episcopi, & magistri, præsulesq; populo- rum credimus & docemus. Hæc in concilio Ephesino. In quibus verbis aperte monstratur is modus, quem in recipiendis hæreticis, qui ad fidem redire volunt, Catholicæ nunc tenet ecclesia. Ipsa tamen abiurationis forma, quam nunc inquisitores fidei iniungunt hæretico resipisci- centi post suæ hæresis confessionem, & ante pœnæ infla- tionem, multo plenior est, & copiosior: quippe quæ om- nem præcludit hæretico, errandi in posterum libertatem,

sub

Sub tali verborum serie. Ego. N. recognosco, & confiteor coram vobis Dominis, me errasse in prædictis, & super his in corde cōtrito, & humiliato absolutionem, & pœnitentiam requiro, & hanc hæresim, & omnem aliam quo-cunque nomine censeatur abiuro, & promitto, quod de cætero seruabo illibatam fidem, quam Romana tenet ecclæsia, & prædicat: & quod hæreticos, & credētes eorum, toto posse meo persequar: & tam eos, quam eorum fautores, receptores, & benefactores, bona fide, & sine dolo, & sine mora manifestabo ecclesiae, vel prælato: & pœnitentiam, quæ mihi pro mea culpa iniungetur, integrè seruabo, & complebo: & volo, & concedo, quod si ab hac hora in posterum cōtigerit me relabi ad eundem errorem, vel alium cuiuscunq; hæresis quocunq; nomine censeatur, errando fortè in aliquo casu, vel credendo, aut fidem habendo errantibus, vel eos, vel credentes eorum recipiendo scienter, aut defendendo, aut fouendo dicto vel factio, aut eis bene faciendo qualitercunq; eos vel celando, vel non manifestando bona fide, & sine mora, vel si pœnitentiam iniunctam à vobis non seruauero, & perfectè non compleuero, ab inde ipso facto habear excommunicatus. & periurus, & hæreticus manifestus: & me ego iudico, ita quod sine ampliori cognitione, & sententia, quæ iure lapsis, & manifestis hæreticis indicitur, mihi pœna imponatur. Insuper assero, & protestor me puram, & totam veritatem de me, & aliis in quantum scio, dixisse: & si fortè constare poterit me malitiose de veritate aliquid suppressisse, vel tacuisse, imponenda, vel iniungenda mihi à vobis pœnitentia, seu absolutio obtenta, vel obtainenda nihil mihi profit. Hæc est forma abiurationis, quam nunc ut in plurimum inquisitores hæretico tempestiuè resipiscienti verbo, & scripto facere iniungunt, ut ex ea, & per eam firmum se in fide testetur, & nulla illi neat rimula, per quam si postea errauerit, elabi possit, ne dignas suo scelere sustineat pœnas.

FINIS LIBRI PRIMI DE
iusta hæreticorum punitione.

Fr. Alfonsi A Castro

ZAMORENSIS ORDINIS MI.
norum, de iusta Hæreticorum puni-
tione Liber secundus.

PRÆFATIO.



A M Indurata est aliquorum hæreticorum pertinacia, vt si quis illos à prauis, & distortis erroribus, in quos semel deflexerunt, ad rectam fidei lineam reflexta voluerit, citius frangere, quam corriger possit. Multi sunt enim hæretici, qui suas hæreses tam mordicus tenent, vt si illis Catholice ecclesiæ definitiones, aut antiquissimæ illius consuetudines ab ipsis Apostolis ad hunc usq; diem seruatæ, aut sanctorum omnium concordes de aliqua re sententiæ, aut apertissima deniq; scripturæ sacræ testimonia offerantur, multò obstinatores in illis permaneant, tantum abstest, vt ab illis discedere velint. Hos non oportet, immo nec decerit, eadem legis mansuetudine punire, qua si resipiscere voluissent (vt libro primo diximus) fuissent puniendi. Doctus siquidem medicus non eodem collyrio omnium oculos inungit: neque omnia vulnera eadem manus levitate traetat Chyrurgus. Nam ferro necesse est, vt abscondantur vulnera, quæ fomentorum non sentiunt metadecinam. De illis solis hæreticis, qui non sunt prorsus deplorati primo huius operis libro differui, & blanda illis ostendi medicamenta, quibus sperabam illorum vulneratis conscientiis posse mederi. Nunc igitur, vt rem undeque consummatam relinquerem, necessarium fore existimau, de his hæreticis, qui immedicabili morbo laborant, hoc secundo libro differere, vt doceam, qui sint illi, & quae sint lege tractandi.

QVIS

QVIS MERITO SIT CENSEN-
dus hæreticus incorrigibilis.

CAPVT PRIMVM.

QVONIAM de illo, qui tam obstinato animo hære-
sim tuetur, vt iā incorrigibilis meritò iudicatus
in hoc secundo libro disputare decreui, ideo necessarium
fore existimaui, ante omnia perscrutari quis sit dicendus
incorrigibilis, vt plenè sciamus, quis sit ille, de quo præ-
sentem suscipimus disputationem. Ut autem hoc melius
facere possumus, oportebit dicere aliquid de correctione,
quoniam (vt ait Aristoteles) rectum est iudex sui, & ob-
liqui. Correctio quam reiicit incorrigibilis, emendatio-
nem significat alicuius erroris. Error autem esse potest in
voluntate, & in intellectu.

Errat voluntas, cùm appetit id, quod odio erat habens-
dum, aut odio habet, quod erat amandum: aut cùm id,
quod diligendū erat, plusquam deberet, diligit, aut quan-
do plusquam liceret, prosequitur odio id, quod iuste odif-
fe poterat. Errat intellectus, quando iudicat falsa pro
veris, aut vera pro falsis, aut certa pro incertis, aut incerta
pro certis. Quum aliquis suum errorem emendat, siue
ille sit error voluntatis, siue intellectus, tunc corrigi dici-
tur. Nunc tamen de correctione voluntatis non est opus
dissetere: sed de correctione intellectus, quia hæresis, de
cuius correctione nunc agimus, vt capite primo huic
operis diximus, error est intellectus, & non voluntatis.
De quacunque tamen correctione fiat sermo, hoc erit in
primis aduertendum, non ideo aliquem dici incorrigi-
bilem: quia corrigi non potest: sed quia non vult. Nam
liberum arbitrium vertibile est, & ex hoc in illud muta-
bile, adeò vt quæ ardentissimè amauerat, nunc iniquissi-
mo odio prosequatur, & quæ acerbissimè oderat, nunc ef-
frenatè diligit, quæ modo censet vera, postea iudicet fal-
sa, & econtrario intellectu semper in his alternationibus
cedente voluntati. Et inde euenire necesse est, vt nullus
tam tenaciter alicui adhæreat sententiæ, quin ab illa dis-
cedere possit propterea q̄ voluntas, cui subest intellectus

& ad cuius nutum s̄epissimè regitur, noros & contrarios suscipit affectus iis, quos ante habebat. Intellectus siquidem ad voluntatis arbitrium frequenter sua disponit iudicia: quoniam illa iudicat esse bona, quibus voluntatem affectam esse intelligit, illa rursus mala, quæ scit voluntatem odisse. Quo fieri oportet, vt sicut voluntas mutabilis est circa suos affectus, sic intellectus circa sua iudicia, ita vt quod prius dixi bonum, postea dicere posuit malū, & malum dicere bonum. Alioqui oporteret dicere illum qui semel in aliquem errorem lapsus esset, non iustè puniri posse, eo quod sententiam suam non reuocabat: quia nullus adeò punitur pro eo, quod vitare non potest: multò ergo minus iustum esset, vt quis ab homine puniretur, propterea quod facit aliquid, quod ne faceret in sua non erat situm potestate. At qui in hæresim aliquam lapsus est, nisi resipiscat assertionem pestilentem abiuans, & ab hominibus in præsenti vita, & à Deo in futura iustissimè punietur. Fit ergo necessario, vt intellectus hominis circa sua iudicia s̄apè mutabilis sit, ita vt contraria his, quæ prius sentiebat, nunc sentire, & docere posuit. Quia & si intellectus in suis operationibus sit causa naturalis, & non libera, in multis tamen subest impedio voluntatis: ita vt illa præcipiente nunc ad hæc nunc ad illa cognoscenda vertatur, & nunc hæc, nunc illa credit, & bona vel mala esse iudicet. Ex quibus euidentissimè colligitur, non ideo aliquem hæreticum dicendum esse incorrigibilem: quia hæresim, quam prius tuebatur deserere non possit: sed quia non vult, cum possit, nec tamen ideo omnis, qui non vult corrigi statim dicendus est incorrigibilis, etiam si ille semel admonitus fuerit: quoniam non satis est semel admonuisse: sed pluries admonere oportet, vt meritò sit incorrigibilis censendus. Quoties autem, & à quibus sit admonendus, vt meritò incorrigibilis censi posse, id nunc pertractandum est. Pro qua re plenè (vt decet) explicanda triplicem oportet habere cōsiderationem, iuxta triplicem finem, ad quem dirigenda est admonitio. Primo quidem admonietur, qui est in hæresim lapsus, ne hæreticus fiat. Non enim omnis, qui in hæresim aliquam labitur, eo ipso efficitur hæreticus: quoniam nisi illi adsit pertinacia, etiam si erreret

erret non dicetur hæreticus, prout docet Augustinus, & habetur eius sententia in cap. dixit Apostolus. 24. q. 3. Ob hanc igitur causam ille, qui in fide errat, primo admoneatur, vt hæreticus non fiat. Quam admonitionem si ille contempserit, iam merito pertinax dicetur, & per conse quens hæreticus. Qualiter autem, & à quo ista admonitio facienda sit, & qnoties iteranda, iam supra lib. primo cap. 10. abunde, atque satis aperte declarauit, & ideo hic re petere non est opus. Postquam ille iam effectus est hæticus, oportet illum adhuc pluries admonere, vt incorrigibilis merito dicatur. Neque enim omnis hæreticus est censendus incorrigibilis, cum multos illorum constet fuisse correctos, qui tamen olim fuerant in suis hæresibus pertinacissimi. Aliud est esse pertinacem, & aliud esse incorrigibilem. Quomodo, & ob quam causam sit aliquis censendus pertinax, supra libro primo cap. 9. declarauimus, nunc verò declarare intendimus quando, & ob quā causam aliquis censeretur debeat incorrigibilis. Admonendus est ergo hæreticus, & non leuiter, antequam seculari potestati velut incorrigibilis tradatur. Nam B. Paulus hæreticum hominem non ante duas correctiones dixit esse vitandum. Caveant ergo hæreticorum inquisitores, ne ideo statim hæreticum aliquem incorrigibilem censeant: quia semel & fortè leuisime ab illis admonitus, noluit illorum admonitioni acquiescere. Magis laborare debet, vt paucos iustè puniat, quam vt multos iniustè. Non gloriantur. etiam si gloriari liceret, quod multos ob hæresim damnauerint: sed propterea quod iustè damnauerint, & iustum aduersus illos protulerint sententiam. Non enim hoc curare debet bonus iudex quam multos: sed quam iuste hæreticos puniat. Anxie res est examinanda, & omnem (vt dicitur) lapidem mouere oportet, antequam de alicuius correctione desperetur. Oportet hæreticorum inquisitores omnem circa hæretici emendationem adhibere diligentiam, antequam illum incorrigibilem censeant, & velut talem potestati seculari tradant. Nolo tamen, vt ob hoc quisquam putet, me sentire admonitionem hæretici esse in infinitum protrahēdam, aut millies iterandam, vt semper sit hæreticus usq; ad mortem admonēdus, & semper de illius emendatione sperandum, vt nunquam ante

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

mortē fit incorrigibilis censendus quia semper ante mortem ab hæresi respiscere potest. Non ita ego sentio; quia (vt dixi) non ideo quis censendus est incorrigibilis; quia corrigi non potest: sed quia legitime admonitus corrigi non vult. Qualis autem sit censenda legitima admonitio, vt si illam hæreticus contempserit, merito dicatur incorrigibilis, id nunc à me tractandum est. Abbas in cap. cum non ab homine. de iudiciis. refert sententiam Domini Antonij dicentis trinam admonitionem debere necessario præcedere, vt quis dicatur incorrigibilis. Cuius sententiam quamuis in aliis ad hanc rem pertinentibus Abbas reiiciat, hac tamen parte illam libenter amplectitur. Sed hæc illorum sententia licet in aliis criminibus vera sit, in crimen tamen hæresis verum non habet iudicium. Nam beatus Paulus censet duas admonitiones esse satis, vt hæreticus merito censeri possit incorrigibilis, & ideo post duas admonitiones iubet ab ulteriori admonitione cessare, quippe quod non sperarit ullam à tali hæretico emendationem. Hæreticum hominem (inquit ille) post unam, & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Duas voluit adhiberi admonitiones, vt per illas periculum fieret de hæretici emendatione, quibus peractis, si ille emendari neglexerit, iubet ab ilius admonitione, & colloquio astinere, & hoc est quod dixit deuita. Causa autem cur sit deuitadus, est illius incorrigibilitas immedicabilis, & hanc expressit Paulus aliis verbis sic inquiens: Sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est. Subuersum dixit incorrigibilem, & de cuius emendatione nulla merito habetur spes. Quod autem præfata Pauli verba sint de incorrigibili hæretico intelligenda, testatur Theophylactus, qui illa verba interpretans ait: Quo pacto alibi dixit, ne forte illos Deus ad penitentiam adducat? Ibi quidem facit de his mentionibus, qui emendationis spem aliquam præferunt: hic vero incorrigibilem dicit, & undeque adeo plane distortum, & tam variis, & multiplicibus modis implicitum, ut se nequeat his explicare: sed per se sit condemnationi adiudicatus, id est, qui nullam habeat sui erroris excusationem, quippe cum nec illud possit prætendere, se se à nemine suis admoniti

Theop.

1. Tim. 3.

monitum, vel ad veritatem instructum. Qui & admonitus sit, & opime institutus. Quo sit, vt sit per se condemnatus, qui nihil habeat, quo sua errata excusat. Hęc Theo phylactus. Ecce vide iuxta Pauli sententiam, hęreticum hominem, qui primam, & secundam admonitionem concinit esse censendum incorrigibilem, & propterea non oportere illum iterum admonere. Forte aliquis mihi obicit, dicens Christum saluatorem nostrum trinam saltem monitionem præcepisse, qui fratrem in nos peccatum præcepit ter admoneri, antequam haberetur tāquam Ethnicus, & publicanus. Potest ad hoc facilè responderi, quod̄ saluator noster loquitur non de publica, & iudicatia correctione, sed de secreta, & fraterna, quę illam iudiciariam præcedit. Admonitio autem illa, quę hęretico adhibetur, de qua modo loquimur, non est secreta, neque fraterna: sed iudicaria dicenda: quoniam ex mandato iudicis, aut per eum facienda, vt ipse ex bina admonitione possit judicare, an ille sit corrigibilis, an non. Et inde colligitur, vt tria illa admonitio non sit hęretico exhibenda: sed satis esse, vt iuxta Pauli sententiam bis admonetur, & sic admonitus, si emendari noluerit, incorrigibilis censeatur. Hęc tamen duæ admonitiones non sunt nimis celeriter vna post alterā sine interuallo adhibendae: quia tunc non duæ: sed potius vna censi debet. Si quis mihi obicit cap. ad abolendam. De hęreticis, vbi Papa præcepit, vt hęreticus, qui postquam in errore fuerit deprehensus, non confessim abiurauerit hęresim suam, tradatur potestati seculari ab illa puniendus, ex quo videtur sequi non esse necessariam ulteriorem admonitionem. Respondeo, quod̄ ille dicendus est confessim renuntiare, qui post primam aut secundam admonitionem renūciat. Interualla siquidem temporis, & spatia quando non sunt punctualiter præfixta, non sunt tam stricte accipienda in materia morali, sicut in logica, aut philosophia. Deinde consuetudo quę est optima legū interpres, docet nos verba illa sic esse intelligenda. Nam semper ecclesia cōsueuit aliquem hęreticis præfigere terminum, nec tamē breuem, infra quem si resipuerint, recipiet illos ad gremium suum tanquā benigna mater. Quo tempore transacto claudit illa januam, sicut fatuis virginibus, quę int̄pestiue ad nuptiarum

Mat. 18.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

rum celebritatem venerant, dominum clausisse historiam
Euangelica refert. Neque huius laudabilis Ecclesiastica
conuentudinis recens est initium: sed antiquissimum esse
constat, quippe quod ante mille annos obseruatum esse
seitur. Nam cum olim Nestorius nouam quandam
aduersus Catholicam fidem confingeret hæresim, ne-
gans beatam virginem Mariam esse Dei matrem dicen-
dā, Celestinus Papa, qui tunc vniuersali præter eccles-
iæ epistolam ad illum misit: qua illum de errore argue-
bat, deditq; decem dierum spatiū, quo sibi bene consu-
lere posset. Et si intra illud tempus nollet veram, atque
Catholicam recipere fidem, intelligeret se Episcopatu, &
communione fidelium priuandum. De hac re testimoniū
præbet Liberatus Diaconus, qui fuit tēporibus Sil-
verij, & Vigiliū Pontificum in quodam opere, quod appellat
Breuiarium Nestorianorū, & Eutychianorum, capi-
te quinto sic inquiens: Celestinus vero Papa misit incre-
pationis epistolam cum exhortatione, & vituperatione,
quia errare non debuerit ab eius ordinatione. Et est eius
principium, aliquantis diebus vitæ nostræ, tribuens ei de-
cem dierum spatiū, hoc est, à prima die acceptationis ip-
sius epistolæ, vsque in ultimam diem, ut si minime Nesto-
rius emendaret expositiones suas, & reuocaret ad Eccle-
siam, qui propter Christum, qui est caput eius ab eo fue-
rant expulsi, cognosceret se ab eius collegio & omnium
sanctorum Episcoporum collegio esse separatum, insi-
nuans ei dedisse vicem suam in concilio per epistolam
suam, cuius principium est: Tristitia nostræ sanctitatis ve-
stræ literæ, qua Cyrllo admonuit, ut si per illos decem
dies doctrinam suam minime Nestorius emedaret, dispo-
neret eum à communi communione Episcoporum, vel
Coëpiscoporum remouendum, & prouidēdum illi ecclæ-
siæ. Hactenus Liberatus Diaconus. Et huius dilationis à
Celestino Papa Nestorio ad misericordiam concessa, me-
minit epistola à concilio Ephesino ad eūdem Nestorium
missa, in qua post verba monitoria hæc adduntur. Quod
si hoc religio tua facere distulerit iuxta dilationem lite-
ris præfinitam sanctissimi, & reverendissimi cōsacerdotis
noſiri Romanę præfulis ecclesię Celestini, ſcias te nullam
fortem habere nobiscum, nec locum, aut colloquium cum
Dei

Liberatus
Diaconus.

Concilium
pheyf. num.

Dei sacerdotibus, & Episcopis obtinere. Hæc in epistola concilij Ephesini. Hanc etiam consuetudinem post aliquot secula seruauit Benedictus Papa huius nominis secundus cum Machario Antiocheno Episcopo hæretico, concedens illi quadraginta dierum spatium ad resipescientiam. Hoc autem ita factum esse constat ex actis septimæ synodi, quorum pars aliqua refertur in cap. convenientibus. 1. q. 7. in quo inter alia, hæc inseruntur verba. Item Petrus Apochrysarius Papæ dixit : Romæ exulatus est Macharius hæreticus à sancta sexta synodo, & quadraginta dierum inducias dedit illi pater noster Benedictus Papa, & quotidie mittebat ad eum Bonifacium consiliarium suum, & instruebat eum commonitorii verbis ex diuina scriptura : sed nullatenus voluit emendari. Hoc autem faciebat, ut eum reciperet in ordine suo. Hæc ex septima synodo. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod Machario iam per sy nodum de hæresi damnato, datae sunt ad resipescientiam quadraginta dierum inducias. Ex quibus verbis apertissime conuincitur, longè aliud esse damnare aliquem, ut hæreticum, & aliud damnare illum, ut incorrigibilem. Non ergo omnis, qui hæreticus est, censebitur incorrigibilis: nisi postquam constiterit illum esse hæreticum, fuerit insuper sufficienter admonitus. Deinde concilium Constantiense hoc idem obseruare decreuit cum Hieronymo de Praga, quem (ut ex vigesima prima eiusdem concilij sessione constat) multis diebus in carcere detentum expectauit concilium, ut pristini erroris penitentia ductus, resipiceret à laqueis diaboli, à quibus captiuus tenebatur. Postquam igitur hæretico datum fuerit aliquid, vel mediocre induciarum tempus, hæreticorum inquisitores, & iudices omnem, quam potuerint intra illud tempus debent adhibere diligentiam, ut hæreticus ab errore suo discedat. Nunc ipsis metu illum blande admoneant. nunc alios viros doctos, & pios ad illum mittant, qui illum doceant quantum à Catholica fide aberret, testimoniosis sacrae scripturæ aut ecclesiæ definitione, aut alijs viis, quibus hæreses reuinendas esse supra ducimus, illum conuincant. Hanc esse, & semper fuisse ecclesiæ sententiam, testimoniosis sanctorum doctorum ostendant. Si hæreticus adeo

ædeò in suo errore fuerit induratus, vt intra tempus præfixum sufficienter admonitus hæresim deserere noluerit, tunc meritò incorrigibilis censeri poterit, & velut talis puniri. Et si post elapsum tempus illi præfixum, & post adhibitam in illo tempore omnem debitam admonitionem de errore verè pœnitens resipuerit, saluabitur anima eius, punietur tamen velut incorrigibilis, & ad veniam, & indulgentiam non recipietur, ita vt per illam conuersionem, & pœnitentiam, pœnam mortis evadat, præsertim si iam per sententiam damnatus esset. Nam alioqui si ante damnationem, quamvis post terminum præfixum, resipiscat (vt supra libro primo docuimus) perpetuo carcere includetur, prout fieri mandatur in cap. excommunicatus. paragra. si qui autem de hereticis. Si vero post damnationem redire voluerit, iam non recipietur. Quia & si tunc pœniteat, non tamen amore veritatis: sed odio pœnæ id facere videtur. Neque talis suspicio iudicanda est longè à Christiana pietate abesse, imo potius econtrario diuinæ voluntati sumillima. Nam eodem modo Deus peccatores iudicat, qui si in tempore vitæ illis ad pœnitentiam dato pœnitere voluerint, veniam à Deo impetrant, quam præsentis vitæ tempore transacto, etiam si cum lae chrymis, & gemitis petant, nunquam tamen obtinebunt: Damnati siquidem in inferno (vt liber sapientiae testatur) se male egisse dolent, & propter peccata, quæ olim in hoc mundo viuentes commiserunt, pœnitentiam agunt, quæ tamen illis ad salutem nequaquam prodest. Quia non amore virtutis, & iustitiae: sed odio pœnæ, quæ sustinent, se peccasse dolent. Esto etiam, vt amore iustitiae pœnitenteret illos præteriorum malorum, nihil à Deo talis pœnitentia impetrat, ob hoc solum: quia extra tempus à Deo ad pœnitentiam, & veniam datum, facta fuisse.

Sap. 5. Venit enim nox (ait Saluator noster) in qua nemo operari potest. Quo loco iuxta Augustini interpretationem Saluator noster noctem appellavit tempus post hanc vitam, in quo nemo potest operari, hoc est, mereri, sive ad vitam, sive ad mortem perpetuam: sed quare mereri non possunt? Nonne habent plenam Arbitrij libertatem? Habet utique. Quid igitur obstat ne gloriam aut pœnam mereri possint? Certe, vt multis non infimæ authoritatis doctori-

doctoribus placet, solus status obstat: quia videlicet in eo sunt statu, in quo Deus decreuit nullam, aut gloriam, aut pœnam illos posse mereri, quantumlibet bene aut male agant. Ad hanc imitationem ecclesia facit, quum tempus ad pœnitentiam hæreticis statuit, intra quod si ab hæresi recesserint, eos recipit, & veniam illis tribuit. Tempus autem ad pœnam mortis euitandam ab ecclesia concessum, ut libro primo diximus, est totum tempus ante sententiæ prolationem: quia toto illo tempore si redierint, etiam si postquam fuerint per testes conuicti veniant, pœnâ mortis euadent. Hoc autem tempore peracto, etiam si pœnitere se dicant, non recipit illos ad veniam: quia tunc non amore iustitie: sed odio pœnæ illos pœnitere presumit, & ideo illos incorrigibiles censet, & velut tales potestati seculari tradet, ut ab illa debita animaduersione puniatur. Ad eundem modum dicitur hæreticus incorrigibilis ille, qui hæresim, quam sciebat ab ecclesia damnatam tutatus est, & in illa usq; ad mortem perseverauit: quoniam ecclesiæ diffinitio, quam optime sciebat, satis erat illi probina, & trina admonitione. Cum igitur ecclesiæ admonitionem audire noluit: sed illa contempta usq; ad mortem in hæresi perseverauit, merito incorrigibilis iudicatur, & eisdem pœnis, si post mortem de illius hæresi constiterit, plectetur, quibus viuens, & incorrigibilis manes plectetur, ut habetur, in cap. Accusatus. paragia. in eo. de hære. libr. 6. Ob eandem etiâ causam censetur incorrigibilis hæreticus, is qui accusatus de hæresi negavit delictu suu toto tempore, quod illi, si fuisset confessus, datum erat ad veniam. Cum autem videt se per testes conuictu, transacto tempore illo ad veniam dato, fatetur crimen suum, & dicit se pœnitere. Hic talis existimatur incorrigibilis: quia & si pœnitere se dicat, non est credens, quod zelo fidei, & odio hæresis hoc dicat: sed timore pœnæ, quam vehementer abhorret. Verum & si hic talis merito censeatur incorrigibilis, ecclesia tamē illū mirius tractare decreuit, quam si usq; ad finem pertinax in hæresi mansisset. Nam hunc, qui postquam per testes conuictus est, ante sententiæ prolationem resipiscit, & ad ecclesiæ communionem redire vult, ecclesia iubet perpetuo carcere ad agendam cōdigñā pœnitentiā detrudere: ut habetur in cap. penultimo,

de hæ-

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

de hæreticis. paragra. si qui autem . Nec tamen propter quod iam velut incorrigibilis aliquis damnatus est , debent inquisitores hæreticorum ab illius admonitione cefare: sed vteriorem adhuc oportet eos adhibere diligen-
tiam, vt illum ab errore ad veram fidem reuocent, & sic animam illius à gehennæ incendiis, si potuerint, saluent, quamuis corpus à motte iam eripere non valeant. Et hic iam tertius est finis, ad quē vltima dirigitur admonitio. Plurima sunt tentanda remedia, vt vel animā à dæmonis potestate eripiant. Si Macharium hæreticū Papa Benedic-
etus per quadraginta dierum spatium (vt dictum est su-
pra) quotidie monebat, vt illum in ordine Epicopatus re-
ciperet , multò instantius, & importunius id faciendum
est, vt animam illius à potestate dæmonis ereptam Chri-
stus inter choros angelorum illam recipiat. Sēpe illum in-
quisitores admoneant, & si ipsi in exhortationibus suis
non profecerint, tunc alios viros doctos, & verè pios, &
honestos adhibeant, qui illum admoneant. Et quamuis
isti nihil aduersus hæreticum prævaluerint, non tamen
deditamentur alios iterum adhibere: quoniam non omnia
possumus omnes . Multi siquidem ad verba Pauli con-
uersti sunt ad fidem Catholicam, qui fortè per verba Pe-
tri, & aliorum Apostolorum non fuissent conuersi. Mul-
ti etiam in prædicatione Petri egerunt pœnitentiam, &
baptizati sunt, qui fortè aliis Apostolis prædicati bus pœ-
nitentiam minime egissent. Nō enim omnes per eundem
verbi ministrum Deus ad se trahere decreuit : sed quosdā
per Petrum , alios per Ioannem , alios per Bernardum,
alios per Franciscum, alios per Dominicum. Diuisiones
gratiarum sunt (ait Paulus) idem autem spiritus, & diui-
siones ministracionum sunt, idem autem Dominus, & di-
uisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui opera-
tur omnia in omnibus. Et postquam varia gratiarum ge-
nera enumerauit Paulus, statim subiungit : Hæc autem
omnia operatur unus, atque idem spiritus, diuidens sin-
gulis prout vult. Si Deus prout vult, singulis dona sua
diuidit, nō ergo omnia omnibus concedit : nō igitur mi-
rum si Petro dederit gratiā, vt possit conuertere Franci-
scū, & hæc non dederit Ioanni. Deinde si per viros doctos
hæreticus homo sententiā suā recantare contemnit,

1.Cor.12.

vīrum

Virum aliquem piū vitæ sanctitate clarum, quanuis idiotam illi offerte procurent. Quoniam fieri est possibile, ut vox sancti hominis simplicis, & idiotæ potentior sit ad hæreticum confundendum, quam mille argumentationes virorum doctorum. Infirma enim huius mundi (ut ait Paulus) elegit Deus ut fortia quæ confundat. 1. Cor. i.
 Ut superbiam Pharaonis deiiceret Deus, & duritiam frangeret, non magnas, & feras elegit bestias, sed minutissima animalia, videlicet muscas, cyniphes, locustas. Exod. 8.
 etiam Deus potentiores vult esse simplicis alicuius hominis, & idiotæ voces, quam omnium virorum doctorum syllogismos & enthymemata, ne fides nostra videatur esse in sapientia hominum, sed (ut ait Paulus) in virtute Dei. Pro hac re est apertissimum, & relatu dignissimum exemplum, quod narratur lib. 10. historiæ Ecclesiastice, cap. 3. Et quo maior verbis adhibetur fides: verba quæ eadem Historia refert, hic inserere decreui, sic enim de gestis in concilio Nicæno referens ait:

Quantam vero virtutem habeat fidei simplicitas, etiā ex his, quæ itibi gesta referuntur agnoscimus. Etenim cum pro studio religiosi Imperatoris, ex omni terra sacerdotes dei coissent, opinione cōmori philosophi quoq; & dialectici valde nobiles, & opinatisimi conuenerunt in quibus quidam insignis in arte dialectica, per dies singulos, conflictus summi certaminis cū Episcopis nostris viris adæque in dialectica non improbabiliter eruditis mouebat, & fiebat ingens spectaculum, conuenientibus ad audiendum doctis, & literatis viris. Nec tamen ullo genere philosophus conclidi à quoquā poterat, aut constringi. Tanta enim dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maximē putaretur adstrictus, velut anguis lubricus laberetur: sed ut ostenderet Deus: quia non in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit, quidam ex confessoribus simplicissimæ naturæ vir, & nihil aliud sciens, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixū, inter ceteros auditores Episcopos aderat. Qui cū vidisset philosophum insultantem nostris, & callida se disputari onis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, velle se paucis cū philosopho sermocinari. Tum vero nostri quæ simplicitatem illius viri, & imperitiam de sermone duns-

Historia Eccl. cœlestia.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

taxat noscent, pauere, & velut pudorem quendam pati,
ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta
simplicitas. Perstitit autem senior, & hinc mouit sermonis
exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi Philosophus au-
di, quæ vera sunt. Deus unus est, qui fecit cœlum & terram
quicq; homini, quæ de limo terre formauerat, spiritum de-
dit, vniuersa, quæ videntur, & quæ nō videntur virtute
verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit.
Hoc verbum, ac sapientia, quem nos filium dicimus, hu-
manos miseratus errores ex Virgine nascitur, & per pa-
sionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resur-
rectione sua æternā nobis contulit vitam. Quem & ex-
pectamus iudicem omnium, quæ gerimus, esse venturum.
Credis hoc ita esse Philosophus? At ille velut si nunquam
vllum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefa-
ctus virtute dictorum, mutus ad omnia hoc solum potu-
it respondere, ita sibi videri, neq; aliud verum esse, quam
quod dixerat. Tum senior, si haec, inquit, ita esse credis,
surge, & sequere me ad templum, & huius sivei signacu-
lum suscipe. Et Philosophus conuersus ad discipulos su-
os, vel ad eos, qui audiendi gratia conuenerant. Audite
(inquit) o eruditivi viri. Donec verbis mecum gesta res est,
verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte
subuerti: ubi vero pro verbis virtus processit ex ore di-
centis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo
aduersari potuit Deo. Et ideo si quis vestrum potuit in
his, quæ dicta sunt, sentire, quæ sensi, credat Christo, &
sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus. Ita Philo-
sophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est vi-
etum. Haec tenus Historia Ecclesiastica. Ex quibus apertis
sime constat saepe Christiana simplicitatem potentiorē
esse ad hæretorum duritiam frangendam, quam mille
virorum doctorum argutiae. Quò sit, vt non satis sit inqui-
sitoribus hæretorum: si ad conuettendum aliquem hære-
ticum, unum aut alterum virum doctum adhibuerint: sed
oportet, vt plures, & doctiores, quos nouerint illi adhi-
beant, neq; hoc satis est, vt consummate suum exequan-
tur officium: sed opus est, vt viros sanctitate excellentes
quanuis idiotas, si illos agnoscant, illi offerant. Quoniā
(vt diximus) fieri est possibile, vt Deus per merita viri
san-

Sancti & simplicis conuertat hæreticum, quem viri docti
suis argumentationibus conuertere non potuerunt.
Admonere tamen Lectorem decreui, ne putet me existi
mare hanc tam exactam, & tam prolixam admonitionem
esse sic necessariam ante hæretici condemnationem, vt nisi
illa præcedente merito hæreticus damnari non posset, &
seculari potestate tradi. Nam (vt sæpe iam me dixi) me
minis si semel, & iterum legitime fuerit admonitus, &
ille monitioni non obedierit, satis est, vt ab Inquisitoribus
damnari possit, & seculari tradi potestati, vt patet
per cap. Ad abolendam de hæreticis. Sed hanc tam pro-
lixam, & tam exactam admonitionem dico esse necessa-
riam, vt saltem hæretici anima, si resipuerit, saluetur, cor-
pore illius ad mortem damnato. Forte hæretorum inqui-
sidores expostulabunt me, q̄ rem nimium difficultem la-
borisq; plenā illis imponere velim. Quibus ego respon-
deo multo maiorem multoq; acerbiorem esse laborem,
quem hæreticus propter hæresim, & illi proper officiū
negligēter administratum, in inferno susinebunt. Mu-
ta sunt toleranda, vt vel vñā animā ex inferni faucibus
libereret pastor, & rector Filius Dei, vt nos à dæmonis eri-
peret potestate, carnem nostram cū omnibus ferē illius
miseriis assumere, & mortem in illa pati dignatus est.
Non est igitur æquum, vt inquisidores, & Episcopi, quis-
bus incumbit negotium, pro hæretici anima recuperan-
da præfatos admonitionum labores subire recusent, pro
qua Christus filius Dei mortem subire non recusauit.

Q VOD RELAPSUS HÆRETICVS
merito censetur incorrigibilis, & quis sit
dicendus relapsus. Cap. II.

Qvia Ecclesia hæreticos, qui relapsi appellantur,
tanquam incorrigibiles punit, ideo necessarium
fore existimauī, hic perscrutari quis dicatur relapsus.
Bifariam contingere potest, vt aliquis dicitur relapsus.
Nam quidā est aperte relapsus. Alter autē non aperte, &
manifeste est relapsus: sed propter iuris præsumptio-
nem, quæ talis ac tanta est, vt contra illam nulla proba-
tio admittatur, relapsus censetur. Ut quis manifeste re-
lapsus dicitur, duo sunt necessaria.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Primum est, ut semel in aliquam hæresim fuerit lapsus,
& de illa accusatus, & propter illam damnatus, & post
illam damnationem, hæresim in iudicio abiurauerit.
Secundum est, ut post hujusmodi abiurationem, iterum
in hæresim labatur. Quæ duo, si alicui conuenient,
tunc is manifeste relapsus dicetur, & erit. Si alterum
horum desit, quanvis tortè posse dici relapsus: sed non
apertè, & manifestè relapsus. Sunt adhuc alii (ut dixi-
mus) qui & si non sint manifestè relapsi, nec de ipso re-
lapsu apertè conuicti, quadam tamen iuris præsumptio-
ne censentur relapsi. Hi autem dupliciter contingunt.
Nam qui de hæresi tam vehementem dedit iuspitionem
ut purgatione canonica indigerit, quanvis non tuerit
de crimen conuictus, si post abiurataim hæresim, iterum
in hæresim labi contingat, hic iuris præsumptione cenie-
tur relapsus, ut patet in cap. Accusatus. parag. 1. de hære-
ticis lib. 6. Illum enim, qui vehementem dedit de hære-
si iuspitionem, ius Canonicum fingit fuisse lapsum, ut si
postea in hæresim reciderit, merito posse dici relapsus;
Hæc autem de vehementer suspecto intelligenda sunt:
quoniam qui modicam, & leuem de hæresi iuspitionem
præbuit, quanvis postea in hæresim labatur, non dicetur
relapsus. Punitur tamen grauius, quām si absq; nulla præ-
cedente iuspitione, tūc primo in hæresim laberetur, hęc
habentur in præfato cap. Accusatus. Nec refert, an in
eandem reciderit hæresim, an in aliam: quoniā qui ab-
iurauit hæresim simpliciter, hoc est, non exprimens hanc
aut illam: sed hæresim absolute, aut qui abiurauit hære-
sim generaliter, hoc est, omnem hæresim, si postea in hæ-
resim quanvis nō eandem lapsus fuerit, merito relapsus
iudicatur, ut expresse habetur in eodem cap. Accusatus.
parag. Eum verò. Difficultas tamen non parua hic ori-
tur de illo qui contractè, & restrictè abiurauit, ita ut so-
lam, de qua accusatus, aut vehementer suspectus fuerat,
hæresim abiurauit: si postea non in eandem, sed in aliā
hæresim fuerit lapsus, an talis sit dicendus relapsus.
Glossa in illo eodem paragrapho in verbo, simpliciter,
dicit se credere talem non esse dicendum relapsum. Et
illius sententia ego etiā subscribo, & in illam manibus
(ut dicitur) & pedibus eo: quoniā si Papa voluisset hunc
talem

talem pro relapso haberi, non fuisset cum illa modifica-
tione, & verborum restrictione loquutus: sed absolute
dixisset eum, qui semel hæresim quomodolibet abiuraf-
set, si postea in hæresim laberetur esse dicendum rela-
psum. At cum dicat eum esse dicendum relapsum, qui
hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, & postea
in eandem, aut aliam hæresim incidit, eo ipso visus est à
nomine relapsi excludere illum, qui postquam vnam sin-
gularem hæresim abiurauit, in aliam lapsus est. Sed ex
hac difficultate alia via inquisitores hæreticorum, pru-
denter quidem, se liberant, quia hæreticum semel depre-
hensum, non eam solum, de qua accusatus, aut vehemen-
ter suspectus est: sed omnem hæresim abiurare compel-
lunt. An autem hoc iuste fiat, supra capite primo huius
libri disputavimus. Also modo dicitur aliquis ex iuris fi-
ctione relapsus, cum videlicet post abiurata hæresim ac-
ceptat, deducit, visitat, siue associat, aut dona, vel mune-
ra hæreticis donat, vel mittit, seu sauorem illis impendit:
qui excusari non possit. In hoc enim casu ius præsumit
istum, qui alias in hæresim lapsus fuerat, ideo aliquod ho-
rum, quæ nunc diximus, facere: quia priorem, quam abiur-
auit hæresim iterum approbat. Sed hæc de illo intelli-
genda sunt, de cuius priori lapsu semel constituit, siue hoc
ante abiurationem, siue post illam confiterit. Nam de
illo solo loquitur textus in eodē cap. Accusatus paragra.
ille quoque. Sed circa dicta in illo. paragra. duo mihi
oriuntur dubia, quæ non paruam videntur habere diffi-
cultatem. Primum est, an is, qui ob solam vehementem
de hæresi suspicionem, omnem hæresim abiurauit, si post
istam abiurationē hæreticos recepit, aut munera misit, aut
aliquod illorum quæ in illo. paragra. enumerantur, feci-
sit dicendus relapsus. Et forte alicui videbitur, quod sic:
quia post abiurbationem generalem hæresis, iterum in ve-
hementem incidit hæresis suspicionem, hæreticos recipien-
do, aut munera illis dando, vel mittendo. Ego vero du-
plici motus ratione cōtrarium dicendū esse puto. Prima,
quia nullus est textus, quo dictum illud probari possit,
imò si per coniecturas hic agere licet ex textu illius para-
gra. magis coniicere licet hunc talem, de quo nunc dispu-
cāmus, non esse dicendum relapsum: quoniam si illū Papa

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Judicasset esse dicendū relapsum, nō addidisset verba illa,
per quæ manifeste ab illa regula generali illū excepit; sed
generalī voce fuisset loquitus. Dicens autem de cuius la-
psu in hæresim ante abiurationem constituerat, vel nunc
ēenstat, aperte satis expressit illū, de cuius lapsu rūciam
constituit, non esse dicendum relapsum. Secunda ratiō est:
quia omnis, qui secundū iura iudicatur relapsus, cōportet,
vt saltē semel sit aperte, & manifeste lapsus in hæresim,
& de illa cōuictus. Et ita propter unum apertum lapsum,
& alium ex iuris fictione, aut pr̄sumptione, meī itō iudi-
cabitur relapsus; sicut patet in duebus casibus, de quib⁹
loquitur cap. Accusatus. paragra. primo. &. paragra. ille
quoq. Vbi autem sola fuit suspicio, etiam si semel, & ite-
rum vehementer pr̄buerit de hæresi suspicionem, mea
sententia non dicetur relapsus; quia suspicio, quæ ex lege,
& iure non oritur, id est, quam iura non approbant, &
confirman, nunquam erit sufficiens, vt recte per illā quis
possit damnari. Cū ergo nulla sit lex, quæ iubeat suspi-
cari illum, qui propter solam suspicionē hæresim abiura-
uit, si postea hæreticos receperit, aut munera illis dederit,
in fauorem hæresis hoc fecisse, cōuincitur ut propter hoc
non sit censendus relapsus; sed purgatio canonica est illi
iniungenda, & grauius meo iudicio puniri debet propter
secundain, quam pr̄buit suspicionem, quam punitus
fuit cū primam dedit. Secundum dubium & quidem
multo mea sententia difficultius est de illo cuius lapsus in
hæresim, siue ante abiurationē, siue post, fuit manifestus,
& notorius, & postea recepit hæreticos, aut illis dedit mu-
nera; sed tales hæretici, quibus munera dedit, non sunt
suspecti de hæresi illa, in quam iste, qui munera dat, fuit
lapsus, imo constat tales hæreticos longissime ab illa hæ-
resi distare, at qui huiusmodi hæreticis munera dedit,
postquam ipse hæresim abiurauit, sit dicendus relapsus per
textum illius. paragra. ille quoq. Et videtur quod non:
quia quando ali⁹ quid lege sanctificat propter aliquam ratio-
nem in ipsa lege expressam, quæ legislatorem, vt sic statue-
ret, mouit, si res talis occurrat, cui ratio legis nullo modo
possit aptari. erēendum est illā talem sub lege non com-
prehendi. Quia lex (vt ait Panormitanus in capit. finali
de reſcriptis) non est aliud, quā in ratio ipsius legis. Ra-
tio autem

tio autem quam textus ille afferit, vt qui post abiuratio-
 nem hæresis receperit hæreticos, aut visitauerit, aut mune-
 ra illis dederit, vel miserit, sit dicendus relapsus, est quia
 (vt dicit) illum ex approbari a se prius erroris consequen-
 tia non est dubium illud secisse. Hęc ratio cum ex sola su-
 spitione, aut præsumptione procedat, & non ex facti eui
 dentia, circa illum solum vim suam habere videtur, qui
 post abiuratam hæresim communicauit hæretico fauen-
 ti eidem hæresi, in quam illum lapsum fuisse constituit, aut
 saltem communicauit hæretico fauenti alteri hæresi, quæ
 nimiam habet connexionem cum illa, in qua ille prius
 lapsus fuerat. Tunc enim ex tali communicatione cum
 hæretico merito præsumi debet illum ad eandem, quam
 prius abiurauerat hæresim rediisse: quia hæreticum illum
 defendantem recipit, visitat, aut munera illi donat, vel
 ministrat. Si tamen is, qui hæresim abiurauit, communicat
 hæretico, de quo constat aliam valde diuersam hæresim
 tueri, & non eandem, quā ille alias abiurauit, non video
 quomodo ex huiusmodi conuersatione suspicari liceat
 istum ad eandem hæresim rediisse: cum constet illū talem,
 cum quo conuersatur illi hæresi aperte contradicere, de
 qua iste suit olim conuictus. Forsan hic aliquis mihi re-
 spondebit, quod quāvis non oporteat ex tali cōuersatio-
 ne suspicari istum ad eandem hæresim rediisse, quā prius
 tenuerat, & postea abiurauerat, bene tamen præsumere
 oportet istum in aliam hæresim incidisse, & hoc satis esse,
 vt merito relapsus dicatur. Contra hanc tamen respōsi-
 nē ipsem textus agere videtur: quia ratio quare textus
 dicit istum, qui post hæresis abiurationem hæreticis com-
 municauit esse dicendum relapsum, est: quia præsumitur ad
 præfatū errorē rediisse. Ex quibus verbis colligere opor-
 tet illum, qui non dedit suspitionē rediisse ad pristinū er-
 rorem, nō esse dicendum relapsum. Nec obstat, quod dicitur
 in paragra. Eū vero illū qui generaliter hæresim abiur-
 auit, si postea in illā, aut aliam hæresim labatur, esse dicen-
 dum relapsum: quia textus ille nō loquitur de illo, qui ex
 iuris fictione, aut præsumptione dicitur relapsus: sed de il-
 lo, qui est aperte, & manifeste, & sine villa fictione relap-
 sus. Et certè, qui semel de hæresi est conuictus, si post abiur-
 ationem hæresis generalem, in illam aut aliam hæresim

aperte lapsus fuerit, dicitur relapsus. Qui non est bis de hæresi conuictus : sed ex iuris fictione dicitur relapsus, vt iuris fictio sit aduersus illum valida, oportet, vt in eadem recidat hæresim, de qua prius suspicionem dederat, vehementem . Nam de hoc ita docet textus expresse in capite, accusatus, paragra, primo. Et vt mea clarius pateat sententia , verba textus in medium proponere decreui. Accusatus, inquit, de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc criminе magna, & vehementis suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abiurauit , & postea committit in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus. Hæc ibi. In quibus verbis id annotandum est, quod ait: Et postea cōmittit in ipsa. Ex quibus verbi satis aperte colligitur illum , qui post abiurationem committit in alia hæresi, & non in illa, de qua prius vehementem dederat suspicionem non esse dicendum relapsum. Et iuxta hunc modum, ego censeo intelligenda esse verba quæ habentur in paragra. ille quoque. Nam sicut in casu, qui ponitur in paragra. i. præcedit vehemens suspicio, & postea sequitur aperta cōmissio : ita econtrario in casu, de quo loquitur. paragra. ille quoque præcedit aperta commissio, & postea sequitur vehemens suspicio . Sicut ergo in casu primo, vt quis dicatur relapsus, oportet, vt committat in illa hæresi, de qua prius fuerat vehementer suspectus : ita etiam in casu secundo, vt dicatur relapsus , oportebit vt de eadem hæresi sit vehementer suspectus , de qua prius fuerat aperte conuictus. Et quidem, vt sic fiat, ratio ipsa suadet : quoniam non est æquum vt paris omnino sint conditionis in iudicio, is qui de hæresi bis fuit aperte conuictus, & ille, qui semel tantum fuit conuictus, & iterum vehementer de hæresi suspectus. Per hoc enim mea sententia distinguntur, quod is, qui bis de hæresi fuit aperte conuictus, siue secundo in eandem reciderit hæresim, siue in aliam dicetur relapsus, præsertim si postquam fuit primo de hæresi conuictus , omnem hæresim generaliter abiugavit. Qui vero semel tantum fuit de hæresi conuictus, & iterum vehementer suspectus, siue præcedat aperta commissio, & postea vehemens suspicio, siue econtrario, non dicetur relapsus : nisi ad eandem redierit hæresim , de qua prius fuerat conuictus , vel vehementer suspectus.

Et ego quidem ita dicendum esse censeo : nisi aliquod sit ecclesiæ decretum, quod huic meæ sententiæ aperte repugnet. Nam si de ecclesiæ decreto, quod huic meæ sententiæ aperte contradicat, vñcunq; constituerit, statim hanc meam sententiam pro recantata haberi peto. Quoniam ecclesiæ definitionem tati facio, vt in nulla re, vel latum pilum ab illa discedere velim. Potest adhuc alio modo aliquis dici relapsus propter vehementem suspicionem, vt puta, si primum de hæresi conuictus hæresim omnem abiurasset, & perpetuo carcere mancipatus fuisset, prout fieri mandatur in cap. Excommunicamus, paragrapgo. si qui autem dñe hæret, & inde ex carcere exitisset. Is certè dicetur merito relapsus ; quia de primo lapsu fuit conuictus, & de secundo dedit vehementem suspicionem per hoc solum, quod exiit à carcere. Nam ob hoc solū merito suspicari possumus, illum non verè pœnituisse, quod pœnitentiam iniunctam adimplere contempserit, & inde euenit, vt merito suspicemur illum ad pristinum redisse errorem. Et huic sententiæ fauet Abbas, qui in cap. cum non ab homine de iudiciis, pertractans, quis sit dicendus incorrigibilis inter alios, quos ibidem sub hoc nomine recenset, illum etiam, qui impositam pœnitentiam peragere negligit, aliis adiungit. Et specialiter loquitur de illo, qui exit à carcere, in quo propter crimen fuerat reclusus, præsertim si vocatus à iudice non vult comparere. Et probat Abbas suam sententiam per cap. vt famæ. de senten. excom. & cap. literas. de præsump. & cap. Accedens. dist. 50. & cap. testimonium. de testib. Ille enim (vt Abbas ait) dicitur emendatus, qui sui delicti fecit pœnitentiam. Sed difficultas est non parua de illo, qui iam omnem hæresim abiurauit, siue quia verè fuerat lapsus in hæresim, aut quia vehementem dederat hæresis suspicionem, si hic talis post illam abiurationem iterum labatur in hæresim : sed postea errorem cognoscens, sponte sua, & sine villa accusatione accedit ad inquisidores, & coram illis peccatum suum humiliiter confitetur, & veniam petit, an hic talis sit censendus relapsus, & per consequens incorrigibilis, & velut talis puniendus. Et quod sit dicendus relapsus, probari posset per hoc : quia est bis in hæresim lapsus. Ego tamen censeo non esse dicendum relap-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sum, si verum est illum venire sponte sua, & ex vera peccati cognitione. Nullus enim iudicari potest relapsus, nisi si bis fuerit de hæreti conuictus, aut saltem semel conuictus de lapsu, & iterum conuictus de vehementi suspicione. At hic, qui sponte sua venit, non est dicendus secundo conuictus, non potest ergo dici relapsus, & per consequēs nec incorrigibilis. Quo fit, ut sit necessarium recipiendus ad veniam. Oportet tamen, ut inquisitor diligenter perscrutetur, an re vera sponte sua veniet, & peccatum suum fuerit confessus. Nam si ex timore probationum, quas forte contra se nouerat, illum venisse constituerit, tunc iam meritò dicetur relapsus : quia non zelo fidei : sed timore pœnæ suum fatetur peccatum, & meritò credendum est illum non vere pœnitere. Declarato iam quis sic dicendus relapsus, nunc iam opus est, ut illum meritò incorrigibilem esse dicendum ostendamus, & velut talem fore puniendum. In re hac video non esse multis verbis opus, cum aperta sit de hac re ecclesiæ definitio. Nam Luccius tertius huius nominis Pontifex, sic ait: Illos quoque qui post abiurationem præfati erroris, vel postquam se (ut diximus) proprij antifititis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiurata hæresim recidisse, seculi iudicio sine villa penitus audientia decernimus relinquentdos. Haec ille. Quæ verba habentur in ea ad abolendam extra de hæret. Sed hanc ecclesiæ definitionem multū hæretici subsannant, atq; derident, & illam cōtra Christianam pietatem esse aliquibus rationibus cauillantur: sed omnes illorum rationes, quibus id agere cōtendunt, inanis, & (ut apertius dicam) irrationalib; proorsus esse, Deo duce, ostendemus. Primo obiiciunt nobis Dei misericordiam, qui peccatori etiam millies in peccatum recidenti paratus est semper veniam dare, si toties ille resipiscat, & veram pœnitentiam agat. Oporteret igitur (ut dicunt) ecclesiam, quæ illius est sponsa, ad sponsi sui imitationem agere, ut quoties hæreticus resipuerit, & veræ pœnitentiae signa dederit, illum recipiat, & illi indulgēiam præstet. Huic obiectioni responderet Alexander Para huius nominis quartus in cap. super eo, de hæret. lib. sexto. Cuius verba : quia propter nimiam breuitatem obscura sunt, ego aliquanto prolixius explicare decreui. Fatemur quidem

quidem quod obiiciunt, veniam culpæ semper esse dan-
dam peccatori, quotiescumq; veram ille pecca: i pœnitentia:
tiam egerit, & semper esse illum ad ecclesiæ communio:
nem recipiendum: si vera pœnitentia signa ostenderit.
Nam nihil eorum, quæ omnibus Catholicis fidelibus ec:
clesia concedit, illi negari debet. Audienda siquidē sunt
peccata, quæ ille sacerdoti in auriculari confessione dete:
gere voluerit, quibus auditis: nisi aliud obstat, non est illi
neganda peccatorum suorum absolutio. Si Eucharistiæ
sacramentum petierit, illi debet administrari. Vnctionis
tamen extremæ sacramentum illi non ministrabitur, pro:
pterea, quod iuxta beati Iacobi sententiam, huiusmodi sa:
cramentum non nisi iis, qui morbo corporali laborant
ministrari debet. Post mortem, ecclesiastica sepultura illi
velut cæteris fideli bus Catholicis concedetur. Non tamē
consequens est, ut mors, aut pena alia propter delictū he:
resis, in quod relapsus fuit, non debeat infligi. Non enim
fieri necessario oportet, ut quoties culpæ indulgentia da:
tur, pœna etiam, ad quam propter culpam destinatus fue:
rat, indulgentia detur. Nam Deus etiam postquam pec:
cato pepercit, pœnas subinde infligere consuevit. Pro
qua re (ut alia omittam) illud est apertissimum testimo:
nium, quod de David Rege secundus liber Regum nar:
rat. Hic enim agnoscens culpæ grauitatē, quam in adul:
terio, & homicidio commiserat, eiusdem culpæ indul:
gentiam à Deo impetravit. De qua testimonium reddi:
dit Nathan propheta dicens: Transtulit quoque Domi:
nus peccatum tuum. Post hanc tamen culpæ remissio:
nem, idem propheta prædixit illi multas calamitates, &
penas eum passurum propter cōmissum scelus, quas om:
nes postea tolleravit, quanuis iam fuerat illi peccatum
remissum. Ad hunc eundem modū ecclesia Christi spon:
sa faciendum esse decernit, quæ hæreticum relapsum si re:
fipiscat, ad pœnitentiam recipit, pœnat tamen ad quas
propter crimen hæresis destinatus erat, illi infligere non
formidat. Præterea, Secundo obiiciunt nobis hæretici,
Perro querenti à salvatore nostro quoties fratri in se pec:
canti dimittere debeat, & cum interrogatione proferen:
ti sententiam, usque septies? Saluator noster respondit:
Non dico tibi usque septies: sed usq; septuagies septies.

2. Reg. 11.

Mat. 12.

Quibus

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Quibus verbis apertissimè docuit semper fratri in nos peccanti debere dimittere. Hæc obiectio nihil profus mouet, neque aliquid contra nos agit, quoniam per illa verba Christus solùm docet nos dñebe offendas nostras hoc est, quæ contra nos fiunt, semper remittere, ita ut quietes in nos quis peccauerit, roties nos illi dimittamus.

Aliam tamen esse habendam rationem in punitione eorum criminum, quæ sunt aperte contra diuinum honorem, docet Augustinus in sermone tertio de plurimis

August. martyribus, sic inquiens : Diligenter attendite fratres, & scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem.

Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam non indulgamus peccatum incurrimus, quando autem aliqui in Deum peccauerint, si sine distinctione grandi indulgere voluerimus, participes nos eorum peccatis efficimus. Hæc ille. Quo fit, ut iudex quicunque ille sit, cum non suas: sed Dei aut ecclesiæ, aut alterius rei publicæ offendas punit, ad huiusmodi præcepti executionem non teneatur: ita ut cum non priuatas: sed publicas punit offendas, possit pro criminis qualitate etiam pœna capitis punire, nec huiusmodi pœnam remittere teneatur, immo saepissimè non remittere teneatur. Hæreticus autem non in solos delinquit iudices, aut prælatos, quos suo errore scandalizat: sed Deum, & ecclesiam illius sponsam multipliciter offendit. Primo, quia putat illos, aut fallere, aut falli posse, & ob hanc causam illorum dictis obedire recusat. Secundo, quia fideles, qui membra sunt Christi suo pestifero errore inficere, & à Christi corpore diuellere satagit. In cap. Vergentis. de hæret. diciuntur, quod hæreticus diuinam offendit Majestatem. Rursum, tertio hæretici contra nos arguunt sic dicentes : Esto hæreticum hominem damnare liceat, & incorrigibilem punire, non tamen postquam primo relapsus est, statim censi debet incorrigibilis, quoniam Paulus Apostolus Tito scribens admonet illum, ut hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devitet. Ex quibus verbis colligunt ecclesiam contraria Pauli sententiam agere, quæ post primam correptionem hæreticum damnat, & illum potestati seculari tradit, ut ab illa prout viderit expedire plectatur. Et certè (ut ingenuè verum fatear) hæc

Pauli

Titum. 3.

Pauli verba non parum momenti habere videntur aduersum nos : si ita à Paulo dicta esse constaret, prout nunc à nobis citata sunt, & in communib[us] bibliis habentur. Non tamen constat talem esse Pauli literam, quoniam longè aliter multi sancti viri illa Pauli verba citant, legunt, & interpretantur. Neque illa diuersa Pauli lectio apud solos recentes autores inuenitur : quoniam hoc parum detrahheret publicorum, & communium bibliorum autoritati : sed cum apud peruerstos autores, eosq[ue] probatissimos non solum Latinos, verum etiam Græcos reperiatur, facit, ut certi non simus quo pacto illa Pauli verba legenda sint. Beatus Ambrosius in commentariis suis Ambro. per epistolam ad Titum, illum Pauli locum hoc modo legit : Hæreticum hominem post primam correptionem deuita. Quæ quidem lectio valde diuersa est ab ea, quæ in communib[us] bibliis habetur. Beatus Cyprianus libro tertio ad Quirinum cap. 78. hunc Pauli locum sub his verbis citat. Hæreticum hominem post unam correptionem deuita. In quibus verbis nullam de secunda correptione mentionem fecit. Tertullianus in libro de prescriptionibus hæreticorum hæc eadem Pauli verba citans, post unam correptionem dicit hæreticum esse deuitandum. Denique beatus Irenæus martyr, Apostolis Irenæus. satis vicinus lib. tertio aduersus hæreses, capite tertio, sic ait : Tantum Apostoli, & horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem, quemadmodum & Paulus ait : Hæreticum hominem post unam correptionem deuita, sciens quoniam peruersus est, qui est talis, & a semetipso damnatus. Hæc Irenæus. In quibus verbis Paulum dixisse refert hæreticum hominem post unam correptionem esse deuitandum, & non ad secundam expectandum. Quæ autem sit verior litera, an hæc, quæ in communib[us] bibliis habetur, an illa, quam hi quatuor illustres, & vetustissimi autores citant, ego tantus non sum, ut definire hoc possim, nec tam arrogans, ut hoc tentare audeam. Nam beatus Hieronymus in commentariis super epistolam ad Titum interpretans hunc Pauli locum dicit hæc Pauli verba aliter apud Græcos, quam apud Latinos haberi, Apud Græcos dicit solum reperiri Cyprian. Tertul. Irenæus. Hieron.

reperiri post vnam correptionem. In Latinis vero cōdīcibus dicit legi, post vnam & alteram correptionem. Quæ autem istarum sit verior litera Hieronymus non diffinit, quoniam nullam illarum improbat. Ut autem arguimento quod ex illo Pauli loco nobis proponitur, respondeamus dico quod Paulus illo loco non loquitur de illo, qui postquam ab hæresi aliqua recesfit, ad illam, aut alteram rediit: sed de illo: qui in eadem hæresi persistit, quanvis semel, & iterum fuerit admonitus, ut hæresim desereret, & hunc talem dicit esse deuitādum, neque cum illo esse amplius colloquendum: quia qui semel, & iterum admonitus de errore suo, non vult corrigi, errare existimat corridentem, & timendum est, ne illum perdat, à quo admonetur, & docetur.

Vnde Chrysostomus homilia sexta super epistolam ad Titum interpretans hunc Pauli locum, postquam ex posteriore ad Timotheum epistola, cap. 2. alia Pauli verba citauerat, quæ cum istis in faciem pugnare videntur, illa omnia conciliare volens, sic ait: Nempe illic de his loquebatur, de quibus corrigendis supererat spes, ac de his, qui simpliciter reluctabantur, non aduersandi affectu sed studio descendæ veritatis. Vbi vero manifestus fuerit omnibus, atque conspicuus aduersarius veritatis, cur obsecro pugnas incassum? Cur aërem cedis? Quid vero est, quod ait: cum sit a se ipso damnatus? Quia profecto dicere non potest, nemo corripuit. Cum ergo post admonitionem in ea infidelitate persistet, ex seipso damnatus efficitur. Hactenus Chrysostomus. Ex cuius verbis satis aperte constat, illa Pauli verba de illo esse intelligenda, qui in eadem hæresi persistit, quem dicit semel, & iterum admonendum, & si credere noluerit, deuitandum. Si tamen hic talis hæreticus Deo inspirante resipisceret, & postea diabolo suggestente iterum in hæresim laberetur, quid de illo agendum esset Paulus hoc loco non docet. Quo fit, ut Pauli sententia, etiam iuxta verba, quæ in communib[us] bibliis habentur, nullo modo ecclesiæ determinationi contradicat.

Chrysost.

QVOD

QVOD IVSTVM SIT, ET

necessarium hæreticos punire.

Caput. III.

QVanis hæreſeos crimen fit adeo peſtilens, & intractabile, vt inter omnia humana ſcelera nullum fit, quod toti Christianæ reipu. magis nocere poſſit, & cui minus medicari valeat, non deſuere tamen hæreti: corum patroni, qui pro illorum impunitate contendant, dicentes hæreticos non eſſe ob hæreſeos crimen punien: dos: ſed diuino iudicio relinquendos. Qui hæc docent, ſi aliquis eſt in hac re cōiecturis locus, ideo illos ita dicere credo, vt liberius, quas velint, poſſint toti populo hæreſes prædicare. Optant quidem eas, quas contra eccleſiæ Ca: tholicæ doctrinam hæreſes conceperunt, in publicum ef: fundere: ſed timore pœnæ, quam nimium reformidant, mutire non audent. Rem itaq; ſuam agunt, qui hæc do: cent: quia ſuam vitam vtricibus pœnis caſtagari timent, cum alios ſui ſimiles conſpiciunt libera punitione cōfun: di, & ſibi iſpis impunitatem acqūiriere cenſent, ſi alios, quos in eodem criminе obligatos eſſe ſciunt, minimè pu: niendos eſſe conuincant. Ut autem hanc doctrinam fal: ſam procul, & longiſſimè ab eccleſia relegemus, oportet, vt multis vrgentissimisq; rationibus conuincamus, iu: ſtam eſſe & neceſſariam, hæreticorum punitionem. Pri: mò igitur eos, qui hæc docent percontor, an id quod de hæreticis docent, ad omnes ſceleratos homines etiam per: tinere cenſeant, ita vt nullum malefactorem hominem quamlibet ſcelestum puniendum eſſe credāt: ſed omnem: talem diuino iudicio relinquendum putent. Non credo hominem aliquem: niſi demēs ille ſit, taliter ſentire: quo: niā hoc naturali legi apertissimè repugnat. Nulla enim eſt, aut vñquā fuit tam barbara gens, quæ latrones, fures, homicidaſ, non acerrimè puniat, quoniam alijs nullius eſſet tura ſupelleſ, nullius vita ſecura, nullaq; respub. diu: persiſteret: ſed omnes citiſſimè perirent. Eſſent enim ho: mines, vt piſces maris, ē q; uib; maiores deuorant mino: res. Quo terum ordine ſeruato, fieri neceſſe eſſet, vt ſoli potentes viuerent, & nullus eſſet in republica pauperi: bus, & infirmis locus. Pr̄ter hanc naturalem legem, quæ om-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

omnium cordibus insita est, lex etiam diuina scripta tæ
lem sententiam manifestissimè damnat: quoniam non
vno tātum aut altero loco præcipit malefactores esse pu
niendos. Omitto pœnas illas, quas veteris legis rigor pec
catisbus esse infligendas olim decreuit. Apostolus Pau

Rom.13. malum feceris, time. Non enim sine causa gladiū portat,
Dei enim minister est, vindicta in iram ei, qui malum agit.

L.Pet.2. Et Apostolorum Princeps eandem sententiam cōfirmat
inquiens: Subiecti estote omni humāne creature propter

Deum: siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tāquam
ab eo missis ad vindictam malefactorū laudem verò bo
norum. Multa alia sunt pro hac re testimonia, sed pro re
tam aperta enarrare piget: quia video hæc satis superque
esse, nec esse pluribus opus. Si igitur fateri oportet male
factorē esse puniendū, peto causas, propter quas puniens
dus est, quibus assignatis, quā cādem causā militent con
tra hæreticos, quā contra alios malefactores, colligemus
inde, aut nullū malefactorem esse puniendum, aut hære
ticum etiam puniri oportere. Duplicem constat esse cau
sam, quā vehemēter vrget, vt malefactores iuxta variam
suorum criminum qualitatem puniātur. Prima causa est
ipsius malefactoris correctio, & emendatio. Nam ad hoc

peccator primum punitur, vt pœna vrgente discat bene

Esa.28. facere. Vexatio siquidem (vt est apud Esaiam) dat intelle

Prou.22. ctum auditū. Et Salomon in proverbiis ait: Stultitia col
liga ta est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.
Si quis autem hanc Sapientis sententiam ad solos ætate

pueros referri forte contendat, vt illi soli sint virga disciplinæ
erudiendi, & non senes, neq; iuuenes, audiat Hiero

Hieron. ronymum hæc Salomonis verba in commentariis super
proverbia interpretantem. Multos, inquit ille, nouimus

Terem.1. pueros sapientia præditos. Nam & Ieremias puer prophē
tiæ mysteriū suscepit. Et Daniel scribit, quod dedit Deus

Dan.2. pueris abstinentibus scientiam, & disciplinā in omni ver
bo, & sapientia. Vnde restat intelligere, quod pueros hoc

I.Cor.14. loco non ètate: sed sensu paruulos significet, quales vita
bat Apostolus esse eos, quibus ait: Nolite pueri effici ser
fibus: sed malitia paruuli estote. Huiusmodi enim pue

ros, id est, animos stultitiae, vel lasciviae, vel inertiae dedi
tos,

tos, necesse est iuuenili disciplina castigari, & ad iustam
vitæ tramitem prudentium vigore perduci. Hæc Hiero-
nymus, Propter hanc causam pientissimus Deus qui non
vult mortem peccatoris : sed magis, vonueritatur, & vi-
uat, sæpè ærumnis, & calamitatibus variis peccatores in
hoc seculo punit, vt vel sic eos erudiat, mala, quæ gesie-
runt agnoscere, & pro bonis, quæ culpa sua amiserunt
suspirare. Multi enim sunt, qui afflictionibus vexati, co-
acti sunt intelligere pessima esse, quibus irretiti sunt vi-
tia, & sic priorem vitam deserentes, nouam incepserunt,
& veterem hominem cum actibus suis exuentes, indu-
runt nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in Ephe. 4.
iustitia, & sanctitate veritatis. Et (vt alios multos omit-
tam) filius ille prodigus, cuius meminit Lucas in Euan-
gelio, non paruo exemplo nobis suffragatur. Ille siqui-
dem accepta ratione, quæ sibi hæreditario iure conting-
bat, abiens in regionem longinquam, totam subsistiam
suam dissipauit viuendo luxuriose : sed acerba fame illuin
postea cogente ad se reuersus didicit, quanta bona ami-
serat, quæ in domo patris persistens habebat. Et sic sapien-
tior factus ad patrem rediit, peccatum agnouit, & mise-
ricordiam petens statim impetravit. Paulus apostolus Aet. 9.
cum antea vastator esset ecclesiæ, & Christiani nominis
acerrimus persecutor, iens in Damascum cæcitatem corpo-
ris à Domino percutitur, vt vel sic ad desiderandum ve-
rum lumen cordis cogeretur. Paulus igitur, qui in pro-
speritate cæcus mente fuerat, flagellorum collyrio sana-
tus est, vt visum mentis reciperet, & ad Dei obedientiam
se præptum offerret. Et ideo post impositionem manus
Ananias, scamæ ex illius oculis cecidisse dicuntur, vt per
scamas illas ex oculis corporis decidentes cæcitatem men-
tis decidentem intelligeremus. Ob hanc causam Paulus
nos omnes admonet, vt tribulationes, quæ veluti flagella
quædam sunt, quibus Deus nos percutiens tanquam pa-
ter erudit, patienti animo feramus. Quem enim (inquit
ille) diligit Dominus castigat : flagellat autem omnem
filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam
filius nobis offert Deus. Quis enim filius, quem non cor-
ripit Pater ? Quod si extra disciplinam estis, cuius par-
ticipes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Deinde patres quidem carnis nostræ eruditiores habuimus, & reuerebamur eos. Num multò magis obtemperabimus patri spirituum, & viueimus? Et illi quidē in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant. Hic autem id, quod utile est in recipiendo sanctificationem eius. Hactenus Paulus in epistola ad Hebreos. Quapropter in posteriore ad Corinthios epistola de acceptis tribulationibus gloriatur, sic inquiens :

s. Cor. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placebo mihi in infirmitatibus : in contumeliis, in necessitatibus, in persequitionibus, in angustiis pro Christo. Et Regius propheta diuinorum flagellorum virtutem agnoscens, gratias Deo pro illis reddit, sic inquiens : Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas : prosperitate elatus precepta Dei non plenè didicerat, vt opere impleret: sed postea pennis sequentibus humiliatus est, & sic didicit preceptis Dei obedire. Nam (vt Salomon ait) vbi est humilitas, ibi erit sapientia. His igitur praefatis, percontari oportet eos, qui docent hæreticos non esse puniendos, an hæretici Catholicam fidem deserentes agat bene, an male. Non puto virum aliquem Christianum adeo desipuisse, vt dicat hæreticos bene agere, & ob haeresim, quam tuentur sine crimine esse. Nam cum haeresis sit peccatum, & tam magnum, vt totius Christianæ structuræ cuertat fundamentum, consequens inde est, vt haeticus pro eo, quod haeresim amplectitur, & tutatur, male & pessimè faciat. Si haeresis mala est, & hæreticus male facit illi adhærendo, consequens est, vt bonum sit hæreticum ab hæresi ad fidem Catholicam conuertere.

Pennis autem, & afflictionibus urgentibus scepè (vt experientia compræsum est) hæretici ad fidem Catholicam conuertuntur. Bonum igitur, & optimum est pennis, & afflictionibus hæreticos punire, vt illis urgentibus fidem, quam semel in baptismo suscepérunt, tueri cogantur. Nam (vt optimè quidam dixit) felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit. Præterea, si quis hominem ex aqua profunda, in quam se volens ad mortem proiecerat, contra illius voluntatem extraheret ad vitam, benefaceret: & si illum, cum posset, qualibet etiam maxima adhibita violentia,

Molentia, à morte eripere negliget, malefaceret, & mortis reus apud Deum haberetur. Nam (vt Symmachus Papa ait) non est grandis differentia, an lethum inferas, vel admittas. Mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cum possit, non excludit. Multo ergo melius facit iudex, cui ad malefactorum vindictam data est a Deo potestas, si haereticos, ut ad fidem Catholicam conuertantur, per poenas quamlibet duras cogit. Is enim animam eripit à morte, quae tanto est acerbior corporis morte, quanto anima multis interuallis corpus antecedit.

Hanc argumentationem per locum à minori ad maius procedentem: quoniam velimenter meo iudicio aduersarios vrget, ut clarior illa euadat, operq; pretium fore existimauit illam variis exemplis, & similitudinibus confitmare, quae Augustinus in epistola ad Bonifacium commentem de hac re loquens adducit: Molestus est enim (inquit ille) medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo: sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire peccant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est. Si enim equus, & mulus quibus non est intellectus, morsibus, & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera cōrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sœpè homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores, & molestias medicinales reuocent ad salutem: quanto magis homo ab homine, & frater à fratre: nē in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstabatur beneficium, quando se persecutionem perpeti querebatur? Haec tenus ex Augustino. Rursum quemadmodum patersimiliās se habet erga familiam suam, ita Rex aut sacerdos, aut quisvis alius iudex circa regnum, aut provinciam, aut quamlibet rem publicam sibi subiectam. Hoc enim docet beatus Augustinus super psalmum quin
Augusti.
quagesimum, vbi patrem familiās alloquens, hæc ait: Quomodo ad nos pertinet vobis loqui in ecclesia, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere. ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis subditi sunt. Hæc ille. At patersimiliās tenetur filios, & reliquos sibi subditos

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

verbo & flagellis corripere, vt vel sic sapientiores fiant,
& à malo ad bonum cōuerti cogantur. Propter quod Sa-

Prou.13.

lomon ait, qui parcit virgæ, odit filium suum. Ex quibus
apertè colligitur, vt Rex hæreticum hominem verbis, &
flagellis corripere teneatur, vt vel sic illum ad fidem Ca-

Prou.27.

tholicam, quā in baptismo suscepereat, redire cogat: quod
si facere neglexerit, non ex charitate amator: sed contra
charitatem osor hæretici merito censebitur. Nam (vt re-
ctè Salomon ait) meliora sunt vulnera diligentis, quam
fraudulenta oscula odientis. Deniq; (vt huic primæ causæ
punitionis malorum finem imponamus) si ad emenda-
tionem malorum procurandam bonum est, vt mali puniā-
tur, consequens est, vt tanto melior sit peccatoris alicuius
punitio, quanto peius est peccatum, quod ille commisit.
Quia quanto peius est peccatum, tanto melior erit illius
emendatio & per consequens tanto melior (modo cæte-
ra sint paria) erit punitio, quæ ad tales emendationem
extorquendam ordinatur. At crimē hæresis (vt supra do-
cuimus) est pessimum. Optima est ergo hæretici punitio,
quæ illum ad hæresis reuocationem, & abiurationem fa-
ciendam quodam modo cogit. Secunda causa, propter
quam bonum est, & necessarium malefactores punire est
publica, & communis totius reipublicæ vtilitas, vt vide-
licet cæteris, qui tales puniones conspiciunt, incutiatur
timor, qui eos à malo auertere cogat. Nam (vt egregius

Horatius.

Poëta ait) Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Postquam autem peccatores timore pœnæ ducunt in des-
suetudinem malum, illud horrere incipiunt & deinde
bonum ex consuetudine paulatim dulcescit. Vnde Au-

August.

gustinus super Psal. 127. Cūm per timorem gehennæ con-
tinet se homo à peccato, sit consuetudo iustitiae, & inci-
pit, quod durum erat amari & incipit timor excludi cha-
ritate, & succedit timor castus, quo timemus, ne tardet, ne
discedat, ne eo careamus. Ille vtilis: sed non permanet in
æternum, vt iste. Hæc Augustinus.

Quapropter Christus saluator noster sæpè peccatori-
bus durum Dei iudicium, vt inferni pœnas, minatus est,
vt per timorem gehennæ illos à peccatis reuocaret ad pœ-
nitentiam. Licet enim meliores sint, qui amore ducuntur,
plures tamen sunt, qui à timore coguntur ad bonum: &

Hi non mali. Nam timor Domini initium est sapientiae, Psal. 118.
 & viam parat ad charitatem. Propter hanc causam Paulus Timotheo scribens, ait: Peccantes coram omnibus ar-
 gue, ut & ceteri timorem habeant. Volebat quidem Paulus timore pœnæ homines à malo auertere, & ad bonum
 inducere, & ob hanc causam iubet, ut publicè peccantes coram omnibus arguat, ut aliquorum punitio multos à
 malo deterreat. Si autem publicè peccantes impuniti re-
 linquerentur, maxima inde præstaretur occasio ad quæ:
 cunque facinora committenda. Facilitas siquidem veniae
 incentiu[m] præbet delinquendi. Et sapientissimus Salo- Eccle. 8.
 mon ait: Etenim quia non profertur cito contra malos
 sententia, absq[ue] timore villo filii hominum perpetrat ma-
 la. Propter hanc causam Aristoteles. 10. Ethico. cap. 9. cen-
 set iustum esse, ut legum transgressoribus pœnæ aliquæ
 statuantur à republica, quatenus per illarum metum ho- Aristo.
 mines ad legum obseruantiam cogātur. Multitudo (in:
 quit ille) necessitat[i] potius, quam rationi, & pœnis, quam
 honestati paret. Idcirco sunt, qui legumlatores oportere
 censem ad virtutem inuitare, ac prouocare honestatis
 gratia, propterea quod i[n]s, qui probi sunt, ob consuetudi-
 nem præcipue obtemperabunt: aduersus autem inobe-
 dientes, & hebetiores ingenio, castigationes, pœnasque
 instituere, at eos, qui curari, atque emendari nequeunt,
 extrudere, atque exterminare. Probum enim hominem
 & ad honestatem viuëtem, rationi obtemperaturum esse
 inquiunt: improbum verò voluptatem affectantē dolore
 afficiendum esse, perinde atque iumentum. Hactenus Ari-
 stoteles. Ex hac secunda iustæ punitio[n]is causa apertissi-
 me colligimus, bonum esse, & necessarium hæreticos pu-
 nire, ne illorum impunitas aliis ansam præbeat, quascunq[ue]
 que voluerint hæreses publicè prædicare. & docere. Hoc
 enim manifesta experientia compertum est, prouincias il-
 las, in quibus severa contra hæreticos viget iustitia, mul-
 tò plus ab hæresibus esse purgatas, quam illæ, in quibus
 effrenata est omnibus concessa licentia docendi, & præ-
 dicandi quicquid libuerit. Huius rei testis fidelissimus
 est nostra Hispania, ad quam propter acerbum discipli-
 nae rigorem in ea aduersus hæreticos vigentem, vix vi-
 lus est ausus accedere ad Lutheranam sectam prædicant-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

dam, aut docendam : quanuis multi ex hac pestifera factione per reliquas ferè omnes Christiani orbis prouincias peruagentur. Si vel mediocri aliquo disciplinæ rigore aduersus hæreticos usa fuisset Germania, nec tantum fidei Catholicæ detrimentum fuisset experta, nec tam molestam, & tam periculosam hæreticorum infestationem pateretur, sicut nunc patitur. Quia illoruim effrontem, & nimis effrenatam audaciam timor duræ punitio-
nis repressisset. Quibus timore perterritis, si illi correcti, & emendati non fuissent, hoc saltem non spernendum commodū inde haufisset Germania, quod suæ hæreseos virus, quod mente conceperant, non fuissent ausi in populum euomere, & sic nō tantus populus fuisset illorum pestifera doctrina infectus. Meritò igitur sapientissimus

Prou. 29. Salomon ait : Virga, atque correctio tribuit sapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati suæ confundit matrem suam. Que verba interpretans beatus Hieronymus

Hieron. in commentariis super proverbia ait : Puer namq[ue] quem frequentissimè corripiendum, & erudiendum admonet, populus Dei est, qui si non assiduis monitis, & increpationibus sacerdotum fuerit castigatus, confusionem generat ecclesiæ, detrahentibus his, qui foris sunt religioni fidei Christianæ. Hæc Hieronymus. Ideò igitur Germanæ populus nunc ecclesiam matrem suam confundit : quia suæ dimissus est voluntati, qui si virga, & correctio-
ne fuisset eruditus, accepisset ab ea (vt Salomon ait) sapientiam. Ex his omnibus apertissimè colligimus, aut nullum quamlibet sceleratum hominem esse puniendum, aut hæreticum esse etiam puniendum : quia bonum est, hæretici sicut cuiuslibet alterius peccatoris emendationem per penas procurare, & bonum est timorem aliis incutere, ne hæreseos venenum, quo populus infici posset, passim coram illo euomere audeant. Si is, qui in rem publicam peccat, meritò puniri potest, consequens est, vt hæreticus etiam iustissimè puniatur : quia hæreticus etiam in rem publicam peccat. Vnde piissimus imperator Theodosius in lege, Manichæos. C. de hæreticis. ait : Quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Præterea, si Rex, aut Episcopus, aut quævis alia publica potestias valet punire peccantes in proximum,

rum, & in rempublicam, consequens est, & necessarium, vt multò magis punire valeat eos, qui peccant in Deum, & in ecclesiam. Quia multo grauius hi, quam illi peccant, & ob hoc multò etiam grauius puniri debent. Nam (vt in primo libro Regum ait Eli sacerdos) si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Hæretici autem: quia contra ecclesiæ Catholicæ doctrinam pertinaciter sentiunt, credunt ecclesiam ipsam errare. Qui autem ecclesiam credit errare, necessarium est, quod credat, aut Deum errare, à quo illa regitur, & docetur, aut deum ecclesiam suam sic deseruisse, vt illam nec regere, nec docere voluerit, contra id, quod ipse ante sè promiserat. Quidquid autem horum de Deo hæretici sentiant, gravissimè in illum, sic sentientes peccabunt: quia per hæc, aut Deum mendacem, aut ignorantem, aut in promissis minimè fidem faciunt.

Cum igitur tam grauem iniuriam Deo inferant hæretici, oportet, vt grauius illi sint puniendi, quā si essent in hominem aliquem, aut in totam rempublicam iniuriosi. Non enim ob aliā causam Principes Romani, ac reliqui omnes Principes Gentiles tam atroci persecutione inse: Etati sunt Apostolos, ac reliquos martyres: nisi quia idola sua neglexerunt, & illis publicè detrahebant. Non persecuti sunt Apostolos propter pacis turbationem, aut propter reipublicæ proditionem, aut propter quævis alia crimina. Quoniam Apostoli fuerunt viri pacifici, nihil contra rempublicam tentantes, nemini nocentes, omnibus benefici. Nihil bono statui reipublicæ contra: rium, illis tanquam malefactoribus vñquam obiectum est: sed duntaxat, quia idolis thura adolere noluerunt, ipsaq; vilipendebant. Ideò Principes, ac Reges tanquam suorum falsorum deorū zelatores, in eorum vindictam exarserunt. Putabant quidem, & meritò, peccata in Deum multò grauius esse punienda, quam peccata in hominem. Ob quam causam non dubito illos, si verum Deum cognouissent, multò acerbius in hæretico: corum punitionem fuisse exarsuros, quam tunc in Apostolos fecerunt. Rursum omnis persona, aut reipublica habens potestatem coactiuam, potest subditos suos obligare ad ea, quæ ad pacis, & tranquillitatis

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

obseruationem sunt necessaria. Si quis autem illa prætermittens, pacem turbauerit, iustè potest illum iuxta criminis qualitatem punire. Nihil est autem quod magis ecclesie pacem, & unitatem tollat, quam hæresis. Quia per ilam quicunque hæreticus se à fidei veritate separat. Et propter hanc causam hæretici omnes dicuntur Schismati ci, hoc est, diuisores: quia fidei, & ecclesiæ unitatem diuidūt. Iustè igitur hæretici puniuntur tanquam pacis ecclesiastici & turbatores. Deinde Paulus (vt ipse testatur) in promptu habebat vlcisci omnem Corinthiorum inobedientiam. Cur igitur Christianis Principibus non licebit vlcisci hæretorum inobedientiam, & rebellionem, qui im proba quadam, & pertinaci audacia contra ecclesiæ doctrinam insurgunt, & illius verissimis dictis obedire contemnunt?

2. Cor. 10. Insuper hæretici (vt Paulus ait) multum proficiunt ad impietatem: & sermo eorum, vt cancer serpit: quia quotidie magis, ac magis occupat, & deuorat, & maculat mentes eorum, qui illos audiunt, & cum illis versantur. Ne igitur licentiosa impunitate audatores facti amplius grassentur, & magis quotidie noceant, bonum est duris illos pœnis reprimere, vt metu pœnarum exterriti nocere desinant. Accedit ad hæc totius Catholicæ ecclesiæ consensus, quæ à multis retroactis seculis hæreticos puniendos esse censuit, vt per pœnas illos sapientiores faceret, & tanquam lupos ab oibis arceret. Paulus vas electionis quēdam pseudoprophetam cæcitate percussit, eō quōd Sergium Paulum proconsulem auertere quæbat à fide. Nam (vt Apostolorū narrat historia) Paulus plenus spiritu sancto intuens in pseudoprophetam dixit

Act. 13. O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, nō definis subuertere vias Domini rectas, & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, nō videntis solem usq; ad tempus. Et cōfestim cecidit in eum caligo, & tenebrae, & circumiens quærebat, qui ei manū daret. Si tanta seueritate vsus est Paulus in pseudoprophe tam, eō q; proconsulcm quærebat auertere à fide, credendum est illum multo maiore seueritate fuisse usq; contra Lutherum, & alios huius temporis hæreticos, qui nō solum vnū proconsulem: sed multos proconsules, Duces, Marchiones, Episcopos, Archiepiscopos, multas ciuitates multasque

multasque prouincias auerterunt à fide. Innocentius pri-
mus huius nominis Pontifex Cathaphrygas exilio dam
nauit. Gelasius Papa Manicheos in vrbe repertos exilio
puniuit. Recharedus Hispaniarum Rex olim Arrianos
omnes in Hispania existentes militia priuauit. Nec vllum
liberi hominis munus illos obire permisit. Imperatores
Theodosius, & Martianus varias contra hæreticos sta-
tuerunt pœnas, quæ habentur in codice Iustiniano titu-
de hæretic. Constat iam aperte si me (vt opinor) maximè
illos errare, qui pro hæreticorum impunitate contèdunt:
& ipsis hæreticis, quibus impunitatem optant, esse multò
peiores: quia ansam illis præbent, vt omnes, quas velint
hæreses libere prædicent, & doceant. Vnde beatus Grego-
rius exponens illud Job, quod de diabolo sub nomine
Behemo ih loquitur dicens: Protegunt vmbrae vmbram
eius, sic ait: Vmbræ quippe sunt diaboli, omnes iniqui, qui
dum imitationi iniquitatis eius inferuiunt, quasi ab eius
corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem vmbrae
eius sunt pluraliter reprobi, ita singulariter vmbra eius
est, vnuquisque peccator. Sed dum doctrinæ iustorum
mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corri-
gi non permittunt vmbra behemoth istius, vmbram eius
protegunt: quia peccatores quique in quo sibi male sunt
consci, in eo & alium peccantem defendunt. Vmbræ vmb-
ram eius protegunt, dum nequissimorum facta, nequio-
res peruersis patrociniis tuentur. Et paucis interpositis
subdit: sic fit, vt summa criminum dum defenditur, augea-
tur: & vniuersaliter nequitia eo sit ad perpetrandum faci-
lis, quo difficilis ad puniendum. Sceleræ quippe peccan-
tium tanto maiora incrementa percipunt, quanto per de-
fensionem potentium diu inulta tolerantur. Sed tales
qui que seū extra, seu intra sanctam Ecclesiam esse videan-
tur, tanto se apertiores Dei hostes exhibent, quanto ma-
iores sunt patroni vitiorum. Hactenus Gregori.

RESPONDE T VR OIECTIONIBVS

eorum, qui pro hæreticorum impunitate
contendunt. Cap. IIII.

VI X V L L V M est tam apertum mendacium, quod
no possit ab eo, qui mentiri, & decipere optat quadā
veritatis imagine adumbrari. Sic etiam non desunt his,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

qui hæreticos impunitos esse volunt, argumenta quedam
quauiis falsa, quibus suum errorem aliquo veritatis colo-
re aliis suadere conantur. Vt igitur Catholica veritas clari-
tor, & firmior maneat, opus est eorum obiectionibus oc-
currere, & argumenta, quibus Catholicam veritatem
oppugnant, prorsus euertere. Primo ergo obiciunt, Deo
non placere coacta seruitia: sed voluntarie esse illi sacri-
ficandum, atque inde colligunt neminem ad fidem, aut
aliquid aliud bonum esse cogendum. Nemo enim (ve-
niunt) ad id cogendus est, ex quo nullam potest conse-
qui utilitatem. Ex bono autem, quod quis coactus facit,
nullum meretur a Deo recipere præmium. Nam Aposto-
lus cum Corinthios ad eleemosynas hortaretur, ait:
Vnusquisque det prout destinauit in corde suo, non ex
tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit
Deus. Ex quo datur intelligi, quod qui inuitus dat, & rem
perdit, & meritum. Huic obiectioni respondet beatus Au-
gustinus sic inquiens: Si voluntas mala semper suæ per-
mittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis
sanctis filium durum non solum verbis corrīpere: sed
etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coa-
August. Etus, ac domitus dirigatur? Vnde idem Salomon dicit: Tu
percutis eum virga, animam autem eius liberas a morte.
Si autem mala voluntas suæ semper permittenda est liber-
tati, quare corripiuntur negligētes pastores, & dicitur eis:
Prou. 13. Errantem non reuocatis, perditum non inquisistis? Et
vos oves Christi estis, characterem dominicum portatis
in sacramento, quod accepistis; sed erratis, & peritis. Non
ideò displiceamus: quia reuocamus errantes, & querimus
perditos. Melius enim facimus voluntatem domini mo-
mentis, si vos ad ouile eius redire cogamus, quam consen-
tiamus voluntati errantium, vt perire vos permittamus.
Hæc Augustinus. Et ponuntur hæc verba in capit. disipli-
cet. vigesimateria quæst. quarta. Sed quia in his verbis
Augustinus absolute, & sineulla distinctione loqui vide-
tur, vt omnis sine ullo discrimine possit ad quodlibet bo-
num cogi, ne quis ex verbis illius male intellectis decipia-
tur, admonere decreui lectorē, vt intelligat nō omnes ius-
sū posse cogi ad fidē: sed considerandā esse illius, qui co-
gitur qualitatē. Si quis nūquā fidē Christi suscepit in bā-
ptismo,

ptisimo, sicut sunt Iudæi, aut Sarraceni, aut Paganii, is certe non est minis, & terroribus compellendus ad fidem: quia credere voluntatis est. Si quis vero fidem iam semel in baptismo suscepit, & postea eam deseruit, quemadmodum apostatae, & reliqui haeretici faciunt, is merito compellendus est, ut fidem quam semel suscepit, teneat. Ratio autem huius delicti: criminis est: quia iure naturæ quisque obligatur, ut quod semel promisit, reddat: & sic ex eodem iure oritur, ut potestas publica possit illi cogere ad promissa seruanda. Licet enim cuique liberum sit aliquid promittere, vel non promittere: tamē postquam illud promisit, ita non est in eius potestate, seruare promissum, vel non seruare. Nam per promissionem suam se subdidit potestati publicæ, ut possit ab ea ad seruandum promissum compelli. Idem proorsus dicendum est de votis, & redditione voti. Vouere siquidem libertatis est, reddere autem necessitatis. Ad primum quidem nemo cogitur, ad alterum vero iuste quisque compellitur. Iudæis, & Sarracenis, & ceteris infidelibus liberum est fidem velle suscipere, vel non suscipere. Liberum dico non quidem ad beatitudinem consequendam, ita ut sine fide possint vitam consequi sempiternam sicut cum ea: sed liberum dico, quoad publicam humanam potestatem: quia non sunt in hoc publicæ potestati subiecti, ut possint ad fidem Catholicam suscipiendam compelli. Postquam autem iam fidem in baptismo suscepserunt: quia tunc se illam in posterum seruatores promiserunt, merito ad id, quod suscepserunt tenendum, & quod promiserunt seruandum, compelli possunt. Hæc nostra sententia confirmatur auctoritate concilij Toletani quarti, quod in capite suorum decretorum, scilicet postquam definierat Iudeos & Sarracenos non esse ad fidem Catholicam cogendos ita ait: Qui autem iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti: quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & christmate uictos esse, & corporis & sanguinis Domini extitisse participes: oportet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate suscepserunt, tenere cogatur, ne nomine domini blasphemetur, & fides, quam suscepserunt, vilis ac contemptibilis habetur. Hæc concilium Toletanum. Quæ verba habentur in volu-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

volumine dec̄ etorum in cap. de Iudæis. 45. dist. Ex quib⁹ verbis clarissime patet hæreticos esse ad fidem Catholica⁹, quam deseruerunt, cogendos. Quod autem obit⁹ ciunt, neminem esse cogendum ad id, ad quod inutiliter cogitur, fateor. Sed nunquid hæreticus inutiliter cogitur ad fidem suspiciēdam? Minime. Quia multiplex ex hac compulsione succedit utilitas. Prima est ipsius hæretici emendatio, quæ ex punitione facile oriri potest: quoniam saepe aliquid timore incipitur, & tandem perfecto amore finitur, & tunc (ut beatus Ioannes in sua. Canonica ep̄stola ait) perfecta charitas foras mittit timorem. Sed obiciunt, multis ista non prodesse: sed per tales penas multos fictos Christianos fieri, qui & si publice se dicant fidem tenere, mente tamen negant. Huic obiectioni ego iuxta beatum Augustinū respondeo, quod non ideo contemnenda est medicina: quia aliquorum insanibilis pestilentialia per illa non sanatur. Non est enim vitium medicinæ sed morbi, cum ea, quæ aliis morbis medicina succurrit, alicui eiusdem generis morbo non medetur. Deinde etiam si aliquibus huiusmodi compulsione ad salutem non profit, non tamen ideo inutilis censenda est: quia tunc publica consideranda est utilitas, quæ multò maior est, quam priuata. Nam per talē punitionem cohibentur hæretici, ne suas hæreses publice prædicent, & doceant: & sic sua pestifera doctrina totam rem publicam inficiant. Magna siquidem est totius reipu. utilitas, si illa à pestiferis hæreticis corum doctrinis immaculata custodiatur. Vnde colligimus melius esse, hoc est, minus malum, occultos hæreticos tolerare, quā publicos permittere: quia hi per effrenatam, licentiosamq; audaciā multò nocētiores fiunt, quam illi, qui timore penit⁹ veluti freno quodā cohibiti, in publicum prodire non audent. Secundo sic arguunt: Hæretici verbis, & rationibus conuincendi sunt, nō sunt ergo penit⁹, & afflictionibus ad fidem cogendi. Consequentia dicitur esse notam, & assumptū probant: quia B. Petrus docet, debere nos omnes esse paratos reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in nobis est fide. Fateor quidem (& hoc ipsum iam supra docui) bonum esse prius hæreticos verbis admonere, rationibus illos iuxta cuiusq; hæretici conditionem applicandis, de sua hæresi conuincere: sed quia

s. Ioan. 4.

t. Pet. 3.

Quia multi sunt adeo peccatores, & indurati, ut citius frangantur, quam emendetur, opus est circa illos id agere, quod beatus Isidorus ait: Qui blando verbo (inquit ille) castigatur, & ne corrigitur, necesse est, ut acrius arguatur. Isidorus.

Cum dolore abscondenda sunt, quae leniter sanari non possunt. Haec ille. Pastor, qui videt lupum inuidentem regem ouium, vocibus primo contra illum clamat, ut vel sic illum a grege arceat: & si vocibus illum minime deterreti conspicit, baculo, & funda, & gladio, & sagitta, si opus est, illum aggreditur, ut a grege propellat, & sic oves illas custodiat. Pastores sunt ecclesiae Praelati, qui vigilant super subditos, tanquam super oves sibi commissas, pro quibus sunt Deo reddituri ratione. Lupi autem, qui his ouibus maximè nocent, haeretici sunt, de quibus Saluator noster apud Matthæum ait: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et Paulus in Actibus Apostolorum, haereticos appellauit lupos sic inquit: Scio quoniam intrabunt post discessione meam lupi rapaces in vos, non parceret gregi. Ne igitur haeretici aliis noceant, oportet illos tanquam lupos rapaces flagellis, & fustibus pertutere, si admonitione blanda non compescuntur. Coguntur medici multas, & varias perquirere medicinas cum vident visitata, & communia remedia non proficere, & quo magis incrudecunt morbi, eo efficaciora sunt querenda antidota, quæ illos ab humano corpore citius, & melius propellere valeant. Bonum certe, & optimum salutis medicamen circa haereticos ad fidem reducendos, est lenitas, & mansuetudo, per verba monitoria, & sermonum blandicias. Cum vero hoc pharmacum ob induratam haereticorum malitiam nihil illis prodesse cognoscitur, debent hi, quibus talium morborum est cura commissa, asperioribus in illos, & acerbioribus vii medicamentis. Nam Dominus, & redemptor noster Iesus Christus totius lenitatis, & mansuetudinis exemplar, facto ex funiculis flagello nummularios omnes templo eiecit, oves quoque, & boues eorum, æs illorum effudit, & mensas subuertit. Si hoc nummulariis fecit, multò acerborem se haereticis præstisisset: quoniam multò grauius haereticorum, quam nummulariorum est peccatum, & multos plus haeretici,

quam

Mat. 7.

Act. 20.

Ioan. 2.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

quām nummulariū ecclesiæ nocere possunt. Tertiō sic arguunt hī, qui pro hæreticorum impunitate contendunt. Perfecta viuendi forma, quam Christiani omnes tenere debent, in sacro Euangelio, & in Pauli, & cæterorum Apostolorū epistolis plenisime continetur. Euangelium autem, aut Apostolorum epistolē nō docent Christianos debere Principum fauorem contra hæreticos implorare, neq; Principes debere molestiam aliquam hæreticis inferre: ergo Principes, qui hæreticos puniunt, & qui ad hanc punitionem Principum fauorem implorant, contra Christi, & Apostolorum doctrinam faciunt. Huic obicitō dupliciter respondeo. Primo quidem nego nullam esse in sacro Euangelio, & in Apostolorū epistolis, de hæreticorum punitione doctrinā. Nam Christus Saluator noster de fratre peccatore reprehenso, & non emēdato loquens,

Mar. 18. apud Mat. ait: Si ecclesiā non audierit, sit tibi sicut Ethnicius, & Publicanus. Et paulo ante in eodem cap. dixit: Vt homini illi, per quem scādalum venit: expedit enim ei, vt suspendatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundo maris. At nulli sunt, per quos grauius nascatur scandalum, quā per hæreticos, expediens igitur est, vt suspendatur mola asinaria ad collū eius, & demergatur in profundo maris. Et Paulus Apostolus præcepit hæreticū hominem semel, & iterum admonitū fore ab hominum consilio deuitandum. Et Galatis scribens satis aperte insinuat hæreticos ab hominum cōmunione propellendos

Titum. 3.

Gal. 5. sic inquiens: Utinam absindantur, qui vos conturbant. Nulli autē sunt qui grauiores, & magis noxias turbationes inter fideles excitant, quām hæretici: qui nouas quotidianē fingunt doctrinas, quibus dei populu ab unitate fidei separate contēdunt. Deinde & si, in sacro Euangelio, aut Apostolorū Catholicis epistolis nulla de hæreticoru punitione reperiretur aperta doctrina, nō tamen idēc cōse: quens est illorū punitionem non esse iustum. Quonia in tunc cōsulto, & ex industria, hæreticorum punitio facta fuit ne fides sacrī Euāgeliū humanę tribueretur potentia. Nam cū ea, quā fide creduntur, omnē humanum superēt intellectum, oportebat fidē Euāgeliū diuine ascribere virtutē, & non humānē sapientiē, aut potentiē. Propter hoc Christus saluator noster primos discipulos suos, per quos fides

Fides Euangeliū prædicāda erat, nō sumpsit philosophos, aut alios viros doctos: sed simplices, & idiotas, & profsus iūliteratos. Ita etiam ne eadē fides humanę imputaretur potentia, oportuit fidem hanc non per Imperatores, aut Reges, aut dices, aut quoslibet alios mundi potētes: sed per homines pauperes, & infirmos, & impotentes per totum orbē prædicari. Postquam autem iam semel per totum orbē fides Euangeliū fuerat prædicata, & Principes terrae viuificæ Crucis vexillū portates sub Chrisii nomine militare cœperunt, & diademata Regum obediētiæ fidei se subdiderunt, iā tunc oportuit ipsam fidē contra hæreticos, acerbissimos eiusdē fidei hostes, regum & Principum armis foueri, & eorū autoritate, & maiestate cōsolidari. Quēadmodum enim olim Dauid lieet Rex erat, & ex mādato Dei per Samuelē prophetā vñctus, patienter expectauit, & mansuete cum Saule egit, donec Deus Saülē de medio sustulit, quo ē vita sublato Regalia omnia exercuit, sic etiā ecclesiā nō est à principio potestate gladii materialis in suos subditos vfa: sed cum omni māsuetudine expectauit, donec Deus iugo suo colla Regum terrae subderet. Quarto argumentantur contra nos ab exēplo Apostolorum, & aliorum ecclesiæ procerum, qui in p̄incipio nascentis ecclesiæ fidem Catholicā verbo, & exemplo perfectissime docuerunt. Illi enim (quamvis multe tunc erant hæretici videlicet Simon Magus, Menander, Saturninus, Cerdon, Ebion, Cerinthius, Martion, Valentinus, alijsque plures, quos enumerare, non est opus, nutrī quam tamen leguntur Principum terrae fauorem, aut auxilium contra hæreticos implorasse, neque ab illis petitis se, vt hæreticos p̄cna aliqua punirent, quia illos ad Catholicam fidem redire compellerent. Non licet igitur Christianis nunc fauore Principum hæreticos persequi, alioquin discedent longissime ab Apostolorum imitatione, quod maximè reprobandū est. Hanc obiectiōnem (vt testatur Augustinus super Ioannem) opposuerunt Donatistæ hæretici cōtra Catholicos, qui Principum fauore iam tunc hæreticos persequebantur. Sed hanc obiectiōnem facile refellit B. Augustinus dicens, quod in principio nascentis ecclesiæ ideo Apostoli, & eorum successores non petierunt Principum fauore cōtra hæreticos:

quia

quia nullus tunc Imperator, aut Rex obediebat Euangeli
hio, nullus tunc fidem Christi redemptoris nosiri suscep-
rat. Sub illis quidem temporibus Princeps Romani fue-
re Nero, Domitianus, Traianus, Decius, & alij similes
crudeles tyranni, qui omnes fidem Catholicam acerbissi-
mè sunt persecuti. Nondum tunc impletum fuerat,
quod Spiritus Sanctus per os Dauid prædixerat. Et nunc
Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Serui-
te Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et
iterum : Et adorabunt eum omnes Reges terræ : om-
nes gentes seruient ei. Quo modo Apostoli, & qui il-

Psal. 71.
los proximè sunt secuti, fauorem, & auxilium tunc pes-
terent, ab illis, quos sciebant esse fidei Christianæ aper-
tissimos hostes ? Non enim tam stupidi, & dementes
erant Apostoli: vt ab his, quos optime nouerant : fidem
Catholicam ardentissime persequi, fauorem pro eiusdem
fidei tutela contra hæreticos peterent. Quod ergo Apo-
stoli, & illorum proximè vicini, non petierunt fauorem
Principum contra hæreticos, non fuit quia hæretici non
fuissent punitione digni: sed quia gladius Gentiliū Prin-
cipum, & Imperatorum nondum seruienbat Euangilio.
Postquam autem Imperatores sacro baptisme sunt ab-
luti, & Christo nomina dederunt, & de eius nomine glo-
riari coepерunt: iam tunc Christiani fauorem Principum
contra hæreticos petere non dubitarunt. Nam à magno
Constantino viri Catholici in cōcilio Nicæno petierunt
auxilium, quo possent hæreticos extirpare, quorum peti-
tioni piissimus Imperator libentissime annuit, & sic Ar-
rium cum suis asseclis damnauit exilio: quia fidem Nicæ-
ni concilij nolebat recipere. Theodosius Imperator punis-
uit hæreticos Manicheos priuatione omnium bonorum
suum: priuauitq; illos omni hæreditaria successione.
Horum exempla sequuti alij Imperatores, & Reges Chri-
stiani, Varias successu temporum contra hæreticos leges
ediderunt: vt per legum severitatem, insanam hæretico-
rum audaciam compescerent. Hac etiam de causa (vt Au-
gustinus ait) cū multi ex septuaginta discipulis à Domi-
no, & Salvatore nostro discessissent, & arbitrio sue male,
& impie discessionis ille eos permisisset, cæteris duode-
cim, qui permaserant dixit: Nunquid & vos vultis abire?
Hoc

C. de hæret.
1. Manachei
1. Ariani.

Hoc quidem tunc saluator noster fecit: quia quanuis magna habet tunc etiam potestatem, qua viri potuisset illos puniendo, & compescendo, prius tamen elegit commendare humilitatem. Tunc enim spretus erat Christus & nondum adorabant illum Reges terrae, neque Gentes seruiebant ei, quemadmodum de illo Propheta regius praedixerat. Quod prophetia quanto magis impletur, tanto ecclesia Christi sponsa maiore virtutis potestate, ut non solum inuitet, sed etiam compellat ad bonum. Nam homo ille qui cenam magnam fecerat, cum illi, qui ad eam inuitati fuerant, venire recusasset, ait seruo: Exi citio in plazas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Er ait Dominus seruo: Exi in vias & fenes, & compelle intrare, ut impleatur dominus mea. De his qui primo venerant, dictum est: Introduc eos. De posterioribus vero dictum est compelle eos intrare. Quod primis dictum est, ad illa tempore referri debet, in quibus fidem Catholicam Reges & Principes terrae nondum suscepserat. Tunc enim quilibet arbitrio suæ voluntatis dimittebatur. Quod posterioribus dictum est, posteriora respicit tempora, quando gladius Regum & Imperatorum seruire coepit Euangeliu. Et in his temporibus, non solum inuitari debent heretici, sed compelli ut fidem Catholicam, quam semel in baptismo suscepserunt, corde credant ad iustitiam, & ore confiteantur ad salutem.

DE HÆRETICORVM POENIS,
& primo de corporalibus, deinde de spiritualibus sigillatim tractatur, & nunc primo de bonorum temporalium confisacione.

Cap. V.

O Stendimus iam manifestissimis (ut opinor) argumentis iustum, & necessariam esse hereticorum punitionem, supereft, ut penas, quas iura hereticis decernunt, sigillatim pertractemus, & meritò illas esse decretas conuincamus, ut vel sic obmutescere faciamus impudentem quorundam hominum audaciam, qui Pontifices & Reges de nimia aduersus hereticos severitate notant. Multæ, & variæ sunt penæ, quibus ecclesiastice sanctiones

Ioan. 6.

Psal. 71.

Luc. 14.

nes, Imperatorumq; leges hæreticos plecti iubent. Quædam enim sunt spirituales pœnæ, quæ anima solâ respiciunt. Aliæ sunt corporales; quæ corpus affligunt. De singulariis suo ordine dicimus, & prius de corporalibus, postea vero de spiritualibus pœnis differemus. Inter corporales pœnas, vna & quæ nō paru hæreticos vexat, est bonorum omniū proscriptio, & confiscatio. Nam qui hæreticus est, ipso iure omniū bonorū suorum dominio priuat, & in eius locū fiscus subrogatur, si hæreticus est secularis, & in terris dominorū seculariū. Si vero hæreticus est secularis in terris Ecclesiæ, aut est clericus, bona eius applicantur fisco Ecclesiæ: nisi clericosū bona essent Ecclesiæ, vel ipsi haberent stipendiū ab Ecclesia, quia applicabantur Ecclesiæ, cuius erant, vel à qua stipendiū acceperant. cap. excōmunicamus. paragra. damnati. extra de hæreticis. Iusta siquidē pœna, & meritō cōtra tam graue scelus statuta, ut huius tam acerbæ pœnæ metu, hæretici suas hæreses aliis palam facere reformident. Diuitiarum siquidem cupido, & amor, multorum animos adeo vehe menter percellit, ut pro illarū tutela nullum prætermittant labore, nihilq; intentatum relinquant, etiā si pro illarum cōseruatione oporteat periculo se exponere mortis. Quantus autē est diuitiarum amor, tanta inde succedit lætitia, & voluptas cùm possidentur, & tantus dolor cùm amittuntur, postquā fuerant semel possessæ. Equa enim lance pensantur odiū & amor: gaudium & dolor: lætitia & tristitia. Quantū quisq; rem aliquā amat, gaudet, & lætatur de illius præsentia, tantum habet exosam eiusdem rei priuationē, dolet, & tristatur ex ea. Et hinc euenit, ut quotquot diuitias ardenter amant, suspiros reddantur & timidi. In omni siquidē negotio formidolosior est diues, q; pauper, cautijs munit ædes furū metu Metuit tempestates propter frumenta, quæ habet in agris & propter merces, quas habet in mari. Metuit amicos, ne fortasse illis rogantibus aliquid donare cogatur. Metuit inimicos, ne vi aut fraude aliqua illata, aliqua ex parte noceant. Timidius, & parcus conuictiatur metu mulcte. Omnia deniq; circunspectius facit, & dicit metu calumniæ, quæ potissimum diuitibus strui solet: quoniam habent, quod illis auferri possit. Ob hanc causam sapientes

des legumlatores cūm leges aliquas considerunt, quas summe obseruatas esse cupiebant, aliquam pecuniæ muletam earundem legum transgressoribus statuerunt, vt metu mulctæ pecuniæ homines ab illarum legum transgressione deterrent. Solon, qui nūc inter septem Græcæ sapientes numeratus est, aliquibus earum legum, quas Atheniensibus dedit, quo melius obseruarentur, certam aliquā pecuniæ mulctam adiecit. Nam (vt Plutarchus in vita Solonis refert) si quis sacris in locis, vel in iudicio, vel apud magistratus, aut cūm certaminū spectaculum instaret, in viuum aliquē esset maledictis inuestitus, eum quinqu drachmis mulctari, quarū tres, illi, qui fuisset iniuria affectus, duas alias ærario publico soluere iussit. Si quis etiā raptæ liberæ mulieri vim intulisset, eum decem drachmis mulctari præcepit. In Romano autē imperio multæ, & variae sunt leges, quæ aliquorū scelerum patratoribus aliquā certam pecuniæ pœnā decernunt. Multæ etiam sunt aliæ, quæ propter grauiora alia scelera, eos, qui illa perpetravint, omnium honorū dominio, & possessione priuant. Si quis enim criminē lex malefatis fuerit infectus, eum lex iubet eo ipso omnium honorū suorū possessionē esse priuarum. I. quisquis. C. ad legē luxliam malefatis. Quæ pœna adeò vim suam, & potestatē extendit, vt et iam valeat post mortem. Quoniam, & si reus non fuerit de hoc crimine accusatus in vita, potest post mortem accusari, & si fuerit tunc cōdictus, tunc bona eius repetentur ab his qui possident. Sic entm sanctum est in. I. penul. & vltim. eodem titu. Falsarii monetae eo ipso omniū bonorum suorum possessionem amittunt. I. penul. C. de falsa moneta. Bona cōtrahentis incestas nuptias, fisco sunt iure ipso applicata, vt patet in authent. incestas. C. de incestis, & inutilibus nuptiis. Raptor ingenuę mulieris, siue illa virgo tracuerit, siue despōlata, siue vidua, & qui illū comitatus est in inuasione, & rapina, omniū honorū suorū dominio priuatur, & bona eius ipsi raptæ applicatur. I. vnica. parag. & si quidē. C. de raptu virginū. Omitto alia municipalia iura, quæ cū multa & varia sint, vt tamē ullum ex illis tra multis reprietur, quod criminia aliqua coercēda certā aliquā pecuniæ mulctam nō statuerit, his qui talia crimina cōmisissent.

Solon.

Plutare.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Sin his omnibus, atq; aliis id genus legibus, quæ cōmuni totius populi consensu probatae sunt, alicuius certæ pecuniae multæ, aut omnium bonorum priuatio, ad criminata talia coercenda iuste decreta esse dicitur, multò iustius est, vt hæretici, quoru[m] multò grauius est, quam aliorum peccatum, ommiu[m] bonorum suoru[m] proscriptione cohibeantur. Nam (vt optime dicitur in I. Gazaros. C. de hæreticis, & Manichæis) longè grauius est æternam, quam temporalem offendere Maiestatem. Ex quo apertissimè colligitur, vt multò etiam iustius sit hæreticos: quoniam diuinā offendunt Maiestatem, omniū bonoru[m] proscriptione punire, quam eos, qui humanam Maiestatem quouis alio crimine lādunt. Ad idem, si falsarii monetae iuste omnium bonorum suorum dominio priuantur, multò iustius est, vt consimili pœna feriantur hæretici, qui multò peiores falsarii sunt, quam illi. Quia hæretici falsa, & erronea dogmata pro veris disseminant, & sacram scripturam ad falsum, & longe à Dei spiritu alienum, detorquent sensum. Nonne multò pretiosior est scriptura sacra, quam quævis, & quantalibet mundi pecunia? Multò ergo malignior est, qui scripturam sacrā falsificare contendit, falsum illi adhibens sensum, quam qui falsam cudit pecuniam. Quo sit, vt multò etiam grauius sit puniendus. Præterea iustum est, vt pœna respondeat culpæ, & in eo quisq; puniatur, in quo peccauit, aut in eo, vnde peccati sumpsisit occasionem. Hac enim ratione Salomon in libro Sapientiæ probat iustas fuisse plagas, quibus Deus Ægyptios idololatras afflixit, sic inquisiens: Quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutantum animalium in vindictam, vt scirent: quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit omnem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem virorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plena[s] & ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fulmi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus præ timore occidere. Nam & sine his uno spiritu poterat occidi, persecutionē passi

ab ip

ab ipsis factis suis, & dispegi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposui: sti. Hactenus Salomon in sapientia, in quibus verbis id aduertendum est, quod ait: Deum per Muscas, & cyni: phes, & locustas & gyptios puniisse, non quod aliae illi defuerint pœnæ, quibus illos affigere potuisset: sed quia nulla erat culpæ conuentior, ut in ipsis animalibus punirentur, quæ illi maximo venerabantur honore. Ex hoc eodem argumento colligimus, vt, licet sint aliæ mul: tæ pœnæ, quibus hæretici possunt puniri, omnium tamen bonorum suorum proscriptione iuste plectantur, vt in eo puniantur, quod illis præbuit suæ hæresis occasionem.

Nam inter multas hæresum causas, vna, & non parua est (vt libro tertio, capitu. primo, ostendemus) auritia, quæ portam latissimam ad hæreses introducendas ape: rit. Vnde Paulus in prima ad Timotheum epistola ait: 1. Tim. 6.
Qui volunt diuities fieri, incident in temptationem, & in laqueum diaboli & desideria multa, & nocua, quæ mengunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Et in epistola ad Colossenses, auritiam dicit esse idolorum seruitutem. Hoc etiam docuit saluator noster apud Matthæum in parabola illa nuptiarum, quas Rex quidam filio suo fecit, & misit seruum suum vocare invitatos ad illas, & noluerunt venire. Ex illis autem, qui venire neglexerunt, fuit unus, qui abiit in negotiationem suam. Nam quia diuitias amat, pro illis acquirendis negotiati: oni operam dabat, & ideo hanc gaudio nuptiarum pre: culit. Nuptiæ, quas Rex filio suo facit, iuxta omnium sa: crorum doctorum interpretationem, figuram gerunt in carnationis filij Dei. Ad has nuptias per seruum suum Deus inuitat, quando per prædicatorem suum vocat ad fidem incarnationis. Sed ad hanc venire negligit, qui di: uitias amat, & negotiationi intendit. Nam qui diuitias effrenate amat, filium Dei pro nobis pauperem effectum despicer, & illius Euangeli quod paupertatem extollit, & nobis illam valde commendat, nullā præstabit fidem. Hanc enim esse arbitror unam ex potissimum causis, propter quam multi ex Iudæis fidem Catholicam suscipere

Colos. 3.
Mat. 22.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

recusant; quia diuitias vehementer amant, & pro illis acquirendis vñuras exercent, quas, si ad fidem Euāgeliū convertantur, sciunt non esse illis permittendas. Deinde, qui diuitias ardenter amat, & si fidem semel iam in baptismo suscepit, quæ ilium ad credendum Euangelio cogat, quidquid tamen pro paupertatis commendatione, & pro diuitiarum contemptu in Euangelio legit, ad alium detorquet sensum: quia voluntas nimio diuitiarum amore infecta, totum intellectum ad illarum fauorem convertit, & trahit. Et sic intellectus obcæcatus pro illis sentit, pro illis loquitur, pro illis prædicat, & docet.

Hieron. Vnde beatus Hieronymus exponens Psalmum. 143. in 1. Io versu: Boues eorum crassi, sic ait: Vedit & Pharaon in somnio boues crassos, Israælitici populi tenues sunt, Ægypti crassi. Videlis enim magistros hæreticorum nihil aliud facere: nisi studere diuitias. Diuitias student, & pauperem Christum contemnunt. Hæc Hieronymus. Sed præter hæc scripturarū testimonia, extant etiam non pauca exempla, quæ apertissime comprobant sæpe hæreses ex avaritia oriri. Nam (vt ex multis aliqua pauca proferamus) Ieroboam ille, qui super decem tribus erectus est in Regem Israël, timens, ne si populus Israël occasione adorandi verum Deum ascenderet Hierusalem, & sic conuerteretur cor populi ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, & sic ipse Ieroboam regnum quod iam tenebat amitteret, excogiato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit populo Israël: Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce dñs tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan. Ex quo factò discimus, avaritiam ipsius Ieroboam, ipsum & totum illius regnum, non solum in hæresim: sed in apostasiam, & idololatriam proiecisse. Et hunc Ieroboam omnium hæreticorum typum tenere, testatur Angelomus in commentariis super libros Regum, exposiens hoc, quod nunc diximus ipsius Ieroboam scelus.

Mat. 15. Idem etiam docet beatus Hieronymus super septimum Amos prophetæ caput. Manifesta est etiam, atq; à Christo acerbe damnata hæresis illa pharisæorum docentium populum, melius & Deo gratius esse hostias in templo offerre, quam illas parentibus egentibus distribuere. Hæc autem

autem Pharisaeorum hæresis ex apertissima illorum processione avaritia. Ex hac etiam postitera radice ortus est Græcorum error, qui (vt Guido Carmelita de illis referr) docent usurpas esse licitas. Deniq; (vt multa alia exempla præterea) vnum solum, & alterum proferam, quæ satis erunt ad ostendendum quam potens sit effrenata avaritia ad fidem subvertendam, & hæresim inducendam. Isidorus in lib. illustrium virorum, quæ post Hieronymum, & Gennadium fecit, de Osio Cordubensi Episcopo disserens, hæc, quæ sequuntur verba refert. Osius Cordubensis ecclesiæ Episcopus scripsit ad sororem de laude virginitatis epistolam pulchro, ac diserto cōpositam eloquio. In Sardicensi etiam concilio quamplurimas cēdedit sententias. Hic autem post longum senium vetustatis accessus à Constantio Principe minisq; perterritus, metuēs ne senex, & diues damnaretur, vel exilium pateretur, illico Arrianæ impietati consensit, cuius quidem vitam, vt meruit confessim exitus crudelissimus finiuit. Nam post impianam, vt ait quidam, Osii præuaricationem, dum sanctus Gregorius Eliberitanus Episcopus in Cordubensem urbem iuxta Imperiale decretum fuisset adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Osius dicit Clementino Constantij præfecto Vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille, non audeo (inquit) Episcopū in exilium mittere: nisi tu prius eum ab episcopatu deieceris. Ut autem vidit sanctus Gregorius, quod Osius vellet dare sententiam, appellat Christum totis fidei suæ visceribus exclamans: Christe Deus, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, ne patiaris hodie humanam proferre sententiam aduersus me minimum seruum tuum, qui pro fide nominis tui, vt reus existens, spectaculum factus sum: sed tu ipse queso in causa tua iudica, ipse sententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quasi metuens, de exilio fugere cupio, cùm mihi pro tuo nomine nullū supplicium graue sit: sed vt multi à præuaricationis errore liberentur, cum præsentem viderint ultionem. His dictis, ecce repente Osius residēs fastu quasi regalis Imperij, cùm sententiam conaretur exprimere, os vertit, distorquens pariter, & ceruicem, ac de sessu in terram eliditur, atq; illi spirauit. Tunc admirantibus cunctis etiam Clementi-

Isidorus,

Osius.

Gregor.
Eliberitanus,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

nus ille Gentilis expauit, & licet esset iudex, tamen timens ne in se simile supplicium iudicaretur, prostrauit se ad pedes sancti viri, obsecrās, ut sibi parceret, qui in eum diuinæ legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio, quam mandatus Imperio. Inde est, quod solus Gregorius ex numero vindicantium integrum fidem habens: nec in fugam versus est, neque pauplus est exilium. Vnusquisque enim timuit de illo vterius iudicare. Hactenus Isidorus. Cuius verba, nec uno mutato, tam prolixè citauit: quia historiam continent scitu dignissimam, & exemplum memoratu dignum, ut aperte videat omnes verum esse, quod de auaritia dixit Paulus, quod illa quidam appetentes errauerunt à fide. Ecce Osium virum olim illustrem, & in fide Catholica clarum, qui in conciliis Nicæno, & Sardicensi, optime pro fide decertauerat, tandem ne diuiniis, quas iuuenis acquisierat, senex careret, in hæresim Ariianam, quam olim aperte damnauerat, lapsus est. Alterum exemplum, quod non sine graui cordis dolore referri potest, nobis hisce temporibus præbuit magna Germania pars, quæ inuidens ecclesiasticis viris, quod multas posiderent diuinitias, cupiensq; illas sibi vendicare, ut aliquo titulo, quamvis non vero, nec iusto, id facere posset, hæresim quādam olim à Vadianis inuentam: sed ab ecclesia rejectam, & iamdiu sepultam, ab inferis suscitauit dicentē, ecclesiasticos viros nō posse villas diuinitias posidere, nec agros, nec possessiones villas: sed Christi, & Apostolorum eius paupertatem debere in omnibus imitari. Surrexit quidem olim hec hæres, Vadianis illam in Ægypto docentibus, sub Damaso Papa, & Theodosio seniore: sed cito periit. Illam longo post tempore suscitarunt Valdenses, siue pauperes de Lugduno. Eundem errorem eodem fere tempore docuit Marsilius Paduanus hoc solo nomine notus, quod ecclesiasticos viros acerrime oderit. Sed hunc cum errore suo aperte damnauit Ioannes huius nominis Pontifex vigesimus secundus.

Vadiani.
Valdenses.
Marsilius
Paduanus.
Joannes
Vuiclef.

Deinde paucis aliquot elapsis annis Ioannes Vuiclef, qui in verba Valdensium iurasse videtur, hunc reuocauit errorem dicens, esse contra sacram scripturam, quod viri ecclesiastici habeant possessiones: sed hic error cum aliis multis eiusdem Ioannis Vuiclef in concilio Constantiensi sesio-

sessione octaua damnatus est. Hanc tamen toties damnatam, & iam diu sepultam hæresim ab inferis suscivit Lutherus, qui ad hoc solū natus esse videtur, ut omnium Lutherus, ferè veterum hæreticorum venenata dogmata reuocaret. Cūm enim ille errores aliquos effundere cœpit, non statim illi tota adhæsit Germania: sed maior pars illi contradicebat, & illius execrabantur errores. Ut autem fauorem populi, quem maximè optabat, sibi conciliaret versutus homo, & serpentino afflatus spiritu, modum quo id facilè assequi posset, excogitauit. Ecclesiasticis viris, quos optimè nouerat reliquo populo esse vehementer inuisos, derrahere cœpit, dixitque nullo pacto illis licere prædia, aut agros possidere, nec vilas prorsus habere diuitias.

Quia (vt ait) neque Apostoli quibus primo res ecclesiæ successere, nec alij Christi saluatoris nostri discipuli, quorum locum alij infertores parhoci tenent, villa prædia, aut agros vilos possederunt, & si quid horum illis dabatur, vendebant, & pretium ex illis acceptum aliis egentibus diuidebant. Propter hanc causam (quam in magno illo opere, quod aduersus omnes hæreses ædidimus, nullius esse momenti ostendimus) Lutherus docuit ecclesiasticos viros esse omnium agrorum, & prædiorum, quæ possidebant, iniustos possessores. Hac igitur ratione, & causa populus alioqui avaritiae deditus facilè persuasus est, vt ecclesiasticorum diuitias quas anxiè cupiebat, per vim, & violētiā ab illis tanquam ab iniustis possessoriibus raperet. Factum itaq; est, vt Luthero docente, & populi avaritia sugerente, omnia prædia in multis Germaniæ populis ab ecclesia tollerentur.

Multa Cenobia, monachis inde electis, sunt in direptionem data, & illorum agri, hortus, vineæ, domus, & si quæ sunt alia prædia, aut sunt inter se diuisa, aut communia reipublicæ utilitati arrogata. Hoc exemplum post aliquot annos Angli sequuti, Rege aut permittente, aut (quod verius puto) præcipiente, vt suæ satisfacerent voracissimæ cupiditatí, omnia Monasteria, quæ in regno illo ditissima erant, destruxerunt, & illorū annuos redditus inter se diuiserunt. Et certè timendum est, ne illa auri sacra famæ, quæ tatorum fuit causa malorum, etiam sit causa, vt ab eo, quod semel male cœperunt, nunquam desistat.

Timeo quidem, & meritò, vt ea Germania pars, quæ
 Martino Luthero docente ab ecclesiæ vnitate est separa-
 ta, auaritia illorum suggerente, nunquam ad ecclesiæ vni-
 tam redire velit. Quoniam optin. è omnes illi intelligi-
 gunt, nunquam se ab ecclisia recipiendos; nisi prius præ-
 dia, quæ iniuste ab ecclisia rapuerunt, restituant. Timo-
 igitur (quod Deus pientissimus auertere velit) vt malint
 dulcissima illa totius eccliasiæ concordia caedere, quam di-
 uitijis iam etentis priuari. Quum primum hoc opus
 ædidi, hunc timorem conceperam non solum de Ger-
 mania, sed etiam de Anglia: Nunc vero de Anglia non
 est quod tineamus, quia Deus pro sua immensa miseri-
 cordia, precibus, vt piè creditur, multorum fidelium qui
 in eo regno latitabant, pulsatus viam aperuit, per quam
 totum regnum, quod ab eccliasiæ vniione recesserat, ad il-
 lius consortium rediret. Nam Henricus Angliæ Rex hu-
 ius nominis octauus, qui huius recessus fuerat causa &
 origo, vnum soluim masculum filium reliquit Eduardum
 regni sui successorem, qui post sex annos in regni posses-
 sione peractos mortuus est, sextodecimo ætatis sue anno
 antequam duxisset vxorem. Huic successit in regno iure
 hereditario soror illius Maria scemira quidem Christia-
 nissima, & quæ in fide Catholica fuerit adeò constans, ve-
 pater illius Henricus neque blanditiis neque terroribus
 potuerit vñquam illam ad hæresim suam suscipiendam
 vel tantillum flectere. Hæc cùm primum regni gubernia-
 cula suscepit, de regni ad fidem Catholicam reductione
 cogitare cœpit, & pro hac re consequenda omnes suos co-
 natus adhibuit. Verum quia feminæ se esse agnoscebat,
 & ideò tam arduum opus sine marito viro etiam Chri-
 stianissimo se perficere posse nō confidebat, maritum ac-
 cepit Philippū Hispaniæ Principem Caroli Cæsaris hu-
 ius nominis quinti filium & heredem virum verè Cathe-
 licum & pium, qui à teneris annis res diuinæ semper ha-
 buit in summa veneratione. His pœctis matrimonij dati
 & acceptis, statim ad illius executionē Angliam perrexerat
 multis ex omni ordine Hispanis comitatus. Quò post
 quam peruenit prædictæ Mariæ Reginæ se matrimonij
 vinculo colligauit in festo Iacobi apostoli anno sesqui-
 millissimo quinquagesimo quarto, Pœctis nuptiarum
 solens

solennibus festis Rex & Regina huic negotio se totos
 dederunt, ut regnum Angliæ quod sub suo regimine iam
 tenebār, ad ḡeūmum ecclesiæ Catholicæ, à qua multos
 annos discesserat, reducerent. Ad quod recte peragēdū
 comitia totius regni, quæ Angli Parliamentum vocār, ius-
 bent congregari Londini duodecima die mēsis Nouem-
 bris eiusdem prædicti anni. Hoc parlamentū cōgregato,
 tantam adhibuit Rex diligentia ut totum regnum alicet
 ret ad fidei Catholicæ susceptionē, ut pro hac re nihil in-
 tentatum relinqueret. Rege igitur sic sollicitante, & Deo
 specialiter adiuuante, factum est ut in die Sancti Andreæ
 proxime occurrente totū regnum per procuratores suos
 in comitiis congregatos obediētiam Romano Pontifici
 quam illi ante multos annos subtraxerant, publicè præ-
 stiterint. Quo factō post paucos elapsos dies Rex & Re-
 gina miserunt Oratores suos Romam, qui eorū & totius
 regni nomine omnem exhiberent Pontifici reuerētiam,
 & restituerent, quem antea negauerat, debitam obedien-
 tiā. In eo itaq; statu est nunc regnum Angliæ, in quo
 fuerat antequam Henricus ab ecclesiæ vniōne se & illud
 separasset. Probauiimus iam multis sacre scripturæ & san-
 ctorum doctorum testimoniis, apertissimisq; exemplis,
 vnam ex potissimis hæresum causis esse, fuisseque semper
 impiobam auaritiam. Iustè igitur hæreticis hæc pœna
 decreta est, ut omnibus suis bonis sint ipso iure priuati.
 Nam huius pœnæ timore, qui anxiè diuitias amat, etiam
 si hæreticus sit, hæresim tamen suā aliis propalare formi-
 dabat. Et si hæresim, quā mente concepit, aliis palam fa-
 cere non fuerit veritus, fiet (ut iuxta Sapientis senten-
 tiam) in eo puniatur, in quo peccauit. Sed hic mihi ali-
 quis fortè obiiciet multas esse hæreses, quæ nullam pror-
 fus ab auaritia sumpsere originem. Imò multæ cum auar-
 itia velut ex diametro pugnant. Talis fuit Apostolico-
 rum hæresis dicentium neminem, qui proprium aliquid
 retineret, posse ad vitam æternam peruenire. Tales igi-
 tur hæreses nō sunt tali pœna puniendæ, ne in eo, in quo
 non peccauerunt, puniantur. Fateor quidem aliquanta:
 les hæreses esse, quæ nullam penitus cum auaritia habeat
 conuenientiam, lex tamen non respicit casus particula:
 res: sed ea, quæ ut plurimum accidunt.

Sap. 6.

Deinde,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Deinde, & si tales hæreses non habeant ab auaritia orsum : ius è tamen omnium bonorum proscriptione punientur. Quoniam non ob hanc solam causam est hæreticis hæc imposita pena: sed etiā, vt quia hæresis (vt supra ostendimus) grauissimi est crimen, in eo puniatur, quod acerbissime omnes fermè homines affigere creditur, & vt talis pœna metu in crimen hæresis labi formident. Et si huius pœnae terrore hæresim non fugerint, iustum est, vt eam ipsam pœnā, quam pro hæresis amore neglexerunt, patientur.

Q VOD HÆRETICVS A TEMPORE
commissti criminis amittit omnium bonorum
suorum dominium, etiam ante iudicis de-
clarationem. Fiscus tamen non potest
bona apprehendere, nisi post iu-
dicis declarationem.

Cap. VI.

Pvnitur hæreticus, & quidem iuste (vt euidentissimis probauimus argumentis) omnium bonorum suo- rum priuatione : sed opus est, vt inquiramus, an eo ipso, quod hæreticus est, omnium bonorum suorum dominio priuetur, an oporteat prius iudicis declarationem præcedere, qua innotescat, illum hæreticum esse. De hac re varia est inter iurisperitos sententia. Archidiaconus in cap. cum secundum leges. de hæret. libro sexto dicit hæreticum non statim post crimen commissum, esse priuatum omnium bonorum suorum dominio : sed vt tale dominium perdat hæreticus, dicit esse prius necessaria jam sen- tentiam iudicis. Non quidem talem, quæ illum damnat ad pœnam, quia hanc fatetur non esse necessariam : sed sententiam dicit prærequiri declaratiuam criminis com- missi, hoc est, qua declaretur illum fuisse hæreticum. Quousque hæc sententia pronuntietur, dicit hæreticum esse verum dominum omnium bonorum suorum, & de illis tanquam de re verè sua posse disponere. Data vero tali sententia, qua ille damnatur de hæresi, effectum illius damnationis dicit trahi retro ad diem commissi crimi- nis, ita vt virtute huius declaratiuæ sententiæ, priuetur à die commissi criminis dominio omnium bonorum suorum,

suorum, & ex tunc sit illi omnis bonorum suorum alienatio interdicta. Et ad hoc mouetur per id, quod dicitur in dicto cap. cum secundum leges in paragapho. confiscationis. Ibi enim præcepit Papa, ut executio confisca-
tionis non fiat per fiscum: nisi prius per aliquam ecclesiastici personam super hoc potestatem habentem, senten-
tia super eodem crimen fuerit promulgata. Hæc autem
tanti viri sententia (cum bona illius venia dixerim) om-
nino mihi videtur absurdæ, & textui apertissimè contra-
ria. Primo quidem contra hanc sententiam est id, quod Aristoteles libro sexto Ethicorum, cap. 2. ait: Hoc solo præ-
uatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt. Ex quibus
verbis apertissimè colligitur, quod si haereticus ante damnationem erat verus suorum bonorum dominus: damnatio sequens non potest facere, quod non fuerit domi-
nus. Alioqui damnatio sequens faciet, quod Deus facere non potest. Præterea, si ante damnationem erat domi-
nus bonorum suorum: ergo ante damnationem poterat bona sua vendere, aut permutare, aut alio quouis modo in alterius dominium & potestatem transferre. Nam hæ sunt effectus ex vero dominio procedentes, videlicet do-
nare, vendere, permutare. Qui enim est dominus alicuius rei, potest illam vendere, permutare, aut donare: nisi forte sit à lege, ne hoc facere possit impeditus, sicut con-
tingit in minore vigintiquinque annis, qui nihil horum de rebus suis facere potest. Non quidem, quia non sit il-
larum rerum dominus: sed quia per legem est prohibi-
tus, ne aliquid horum de rebus suis facere possit. Idem etiam contingit in muliere nupta, quæ licet verum suæ dotis habeat dominium: tamen sine mariti licentia, &
assensu nullo pacto in alterius dominium & potestatem, illam træsferre valet. Si haereticus ante damnationem est dominus bonorum suorum, consequens est ut ante damnationem possit illa donare, vendere, aut permutare: quia nulla lege est impeditus, ut dominio penes illum manente, nihil horum agere possit. Si quis concedat haereticum ante damnationem posse bona sua vendere, aut permutare, aut donare, conuincitur hoc esse falsum per hoc, quod post condemnationem omnes tales contagi-
eūs rescinduntur, & nullius fuisse roboris iudicabuntur.

Hoc

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Hoc autem non fieret, si ante condemnationem tales cōtractus aliquid valuerint. Nam (ut proximè superius ex Aristotele diximus) quod semel factum est, infectum esse non potest. Deinde, si hæreticus ante damnationem habet verum omnium bonorum suorum dominium, sequitur inde, quod illo ante damnationem mortuo, filius Catholicus illi succedens habebit etiam verum illorum bonorum dominium: quia succedit omnibus bonis quorum pater erat dominus. Si hoc concedit, prout necesse est illum concedere, sequitur ex eo, quod licet postea constet de hæresi patris defuncti, & propter illam damnetur post mortem, bona illa, quæ iam filius habet, non erunt ab illo auferenda, & fisco applicanda: quia non est iustum, ut quis sine culpa sua priuetur bonis suis, quorum verus erat dominus. Hoc tamen falsum esse conuincitur, per cap. Accusatus. paragrapho. in eo vero casu. de hæret. lib. 6. Rursus, hæc sententia aperte contrariatur textui illius cap. cum secundum leges. Ibi enim decernitur bona hæreticorum esse ipso iure cōfiscata. Si ad bonorum hæretici confiscationem (ut hæc opinio ait) requiritur iudicis declaratio, non sunt ergo bona illa ipso iure confiscata. Non est enim aliud dicere, ipso iure: nisi quod solius iuris potestate, sine alicuius hominis sententia, sunt confiscata. Et (ut nostram sententiam firmorem reddamus) producamus in simili causa, & negotio exemplum aliquid, per quod res ipsa clarius innotescat. Nam argumentum à simili magnam habet apud iurisperitos vim, & probatem. Qui commisit crimen aliquod cui in poenam est à iure inficta excommunicatio, quāvis ad hoc, quod sit ab aliis evitandus, iuxta Constantiensis concilij editum, requiratur iudicis declaratio, ut tamē iste in excommunicationem incidat, nulla requiritur sententia, aut declaratio. Nam per hoc differt excommunicatio inficta à iure, ab excommunicatione inficta ab homine, quod prima nullam requirit hominis sententiam, ut illa suum sortiatur effectum, secundam sine sententia iudicis nullus incurtere potest. Hæreticus ante damnationem est excommunicatus, ergo ante damnationem est etiā bonorum suorum dominio priuatus. Consequentia probatur esse bona: quia hæc poena etiam est ipso iure inficta sicut illa:

illa: ergo etiā ante iudicis declarationem incidet in hanc
 sicut in illam, cūm non ob aliā causam statim sine iudicis
 declaratiōe (vt diximus) incidat in excōmunicationem:
 nīl quia illa est ipso iure inficta. Deinde si fiscus ante cō
 demnationem hæretici, nō acquisisset dominium bono
 rum illius, sequeretur fiscū ante talem sententiā peccare,
 quādo à iudice petit donari sibi bona alicuius, quē inten
 dit probare esse, aut fuisse hæreticum: hoc autē nullus fa
 nē mentis concedet. Quod autē hoc ex illo sequatur, per
 hoc sit manifestum, quod fiscus sic petens, petit; quod nō
 est suum sed alienū: ergo iniustē petit: præsertim cūm nō
 ob aliam causam bona illa petat: nisi ob solū hæresis cri
 men, in quod certissimē scit illū cuius bona petit, lapsum
 fuisse. Quod autē hæc opinio pro se affert, parum, vel (vt
 verius dicam) nihil sen: etiā suę fauet. Nam quod dicitur
 in paragrapho confiscationis. non respicit hæreticum: sed fis
 cum: nec in illa parte textus, Papa loquitur de hæretico,
 an amittat dominiū bonorum suorum ante iudicis decla
 rationem: sed loquitur de apprehēsione, aut occupatione
 bonorum per fiscum facienda, quām omnino fieri proh
 bet ante iudicis ecclesiastici declarationem. Et meritò id
 prohibet: quoniam ad laicam, siue prophanam potesta:
 tem non spectat de crimen hæresis iudicare: quia in il
 lius iudicio səpissimē errare posset. Ut autē quod dici
 mus clarius ostendamus, oportet in hac causa duas con
 siderare personas, duas etiam operationes iuxta personā
 rum diuersitatem valdē diuersas, quarum vna vni conue
 nit personæ, altera alteri. Sunt quidē in hoc negotio
 hæreticus, & fiscus personæ valde diuersi. Sunt etiam do
 minium, & possessio, res inter se diuersæ: quārum quæli
 bet ab alia separari potest. Nam potest esse dominium
 sine possessione, & possessio sine dominio, vt cuilibet
 est notissimum. Iuxta has duas personas, & has duas
 rerum qualitates, duæ etiam sunt partes in illo capite.
 cūm secundum leges. Prima habet initium capit. &
 Secunda pars est in illo. paragrapho. confiscationis.
 In prima agitur de dominio bonorum hæretici, & il
 lū ab hæretico tollit, & fisco tribuit: decernens, vt bo
 na hæretici sint ipso iure confiscata. Sed quia dominio
 ablato ab hæretico, non statim erat ablata possessio:

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

& similiter quia dominio concesso fisco, non statim intellegiebatur concessa illi possesio : ideo in secunda parte illius cap. in illo. paragrapho. confiscationis. agitur de concessione possessionis. Et hanc dicit fiscum capere non posse: nisi prius per aliquam personam ecclesiasticam que hoc facere posse, sententia fuerit super crimine promulgata. Nullus enim potest rem suam ab iniusto possessore detentam, per vim, & violentiam ab illo capere: sed iudicis autoritate id faciendum est. I.e. si quis ad se fundum. & Ie. si. C. ad legem Iuliam de vi publica, siue priuata.

Quia igitur Papa in illa prima parte cap. dominium bonorum hæretici abstulerat ab ipso hæretico, & concederat fisco, prohibet in secunda parte: ne prætextu huius dominij, talium bonorum possessionem, autoritate propria capiat : sed publicam expectet potestatem, quæ sibi bonorum possessionem tribuat. Talem autem publicam potestatem, dicit esse personam ecclesiasticam potentem de crimine hæresis iudicare, & illius declaratione super crimine hæresis promulgata, satis esse dicit ad hoc, ut fiscus bona hæretici occupare possit. Textus ergo illius paragraphi. confiscationis. dicit necessariam esse iudicis ecclesiastici declarationem, ad hoc, ut fiscus possit bona hæretici apprehendere, & illorum possessionem capere, non autem ad hoc, ut talium bonorum dominium acquirere valeat: quoniam iam ante talem sententiam in prima parte cap. concederat illi talium bonorum dominium. Per talem ergo sententiam, quæ aliquis damnatur ut hæreticus, ille nō priuatur dominio bonorum suorum: sed per illam declaratur, & innotescit illum esse iam priuatum tali dominio, quæ quidem priuatio ante talem sententiam aliis nō erat ita manifesta, & per talem sententiam habet, quod posse capere possessionem. Et certè si hanc rerum diuersitatem aduertisset Archidiaconus vir alioqui doctus aliter sensisset. Hac igitur opinione tanquam falsa rejecta, est alia verior opinio Ioānis Andreæ in hoc eodem cap. cū secundum leges. qui dicit hæreticum à die commissi criminis amittere dominium omnium bonorum suorum. Hanc opinionem tuentur multi alii docti viri in iure canonico. Abbas in primo capite. Excommunicamus. extra de hæreticis. Dominicus de sancto Gemi-

Geminiano in præfato capite. cùm secundum leges. Petrus de Ancharrano super sexto. in eodem capi. Hi omnes censem hæreticum à die commissi criminis esse priuatum dominio bonorum suorum. Quod autem dicunt à die criminis commissi intelligendum est; non de solo crimen hæresis: sed de crimen pertinaciæ, & obstinationis in hæresi. Quia non eo ipso, quod quis labitur in crimine hæresis, amittit bonorum suorum dominium, sed solum postquam tam pertinax est in hæresi, vt iam meritò (iuxta ea, quæ libro primo diximus) hæreticus censeri debeat. Sicut enim non omnis, qui labitur in hæresim: nisi adsit pertinacia, est censendus hæreticus, ita nec omnis talis seclusa pertinacia amittit bonorum suorum dominium. Nam in causa cùm secundum leges. Papa non decernit esse confiscata bona lapsorum in hæresim: sed bona hæreticorum, ex quo sequitur, quod lapsus in hæresim, si admonitus de illa statim reuocat errorem suum, non est ipso iure priuatus, immo nec priuandus omnibus bonis suis. Quod bene notandum est non solum in hac pœna: sed in omnibus aliis, quas iura hæreticis decernunt, siue illæ sint ipso iure infictæ, siue per iudicem infiigendæ. Nullam siquidem illarum pœnarum ius statuit esse dandam illi, qui solum lapsus est in hæresim: sed illi, qui est hæreticus. Illis autem qui admoniti statim reuocant, & damnant errorem suum, pœna est ad arbitrium iudicis imponenda, consyderata prius erroris, & personæ qualitate. A solo ergo illo temporis momento, quo meritò censeri potest hæreticus, censendus est etiam amittere omnium bonorum suorum dominium. Ab illo tempore hæreticus usque ad sui criminis damnationem, habet solam bonorum suorum nudam possessionem, absque ullo illorum dominio. Fiscus vero circa illa bona contrariam tenet conditionem: habet enim circa illa ante criminis damnationem dominium solum absque ullâ possessione. Et inde necessariò sequuntur duo, unum ratione amissi dominii, alterum ratione possessionis retentæ. Ex hoc, quod possessionem retinet, quāuis (vt posse dicemus) non à iure sibi concessam, sequitur hæretici illo tempore non posse excludi ab agendo contra proprios debitores per exceptionem hæresis: quia antequā sit posses-

fessione priuatus, sicut retinet bonorum possessionem, tia etiam illorum administrationem, & per consequens tanquam administrator illorum potest agere contra proprios debitores. Ratione dominij amissi sequitur omnes illorum bonorum alienationes illo tempore ab hæretico factas nullius esse roboris, aut momenti, & per fiscum facile reuocare posse. Et ex hoc etiam necessario sequitur fiscum posse reuendicare bona illa sic alienata de manibus cuiuscunq; possessoris, hac tamen conditione ut premium, quo bona illa distracta fuerant, restituat emptori, si tale premium, aut aliquid illi æquivalens apud hæreticum inueniatur. Si autem nec premium bonorum illorum, nec aliquid aliud loco pretij apud hæreticum reperiatur, poterit tunc fiscus bona illa etiam nullo dato pretio reuendere: quāuis emptor bona fide emerit. Hoc docet Ioannes And. loco superius allegato, & post illum Dominicus de sancto Geminiano eodē loco. Et pro huius rei confirmatione afferunt argumentū ex l. si cūm dotē. paragr. fina. & l. seq. ff. so. ma. &c. ff. de legat. I. l. Imperator. & le. seq. Ego autem adduco simile: quod rem propositam māximē confirmat. Si Petrus emit bona fide à Ioanne rem furtiuam, quam Ioannes furto surripuerat à Francisco, & postea Franciscus rem illam ab eo furto sublatā inueniat apud Petrum, iuste reuendicabit eam à Petro, etiā si non inueniatur apud furem pretiū, aut aliquid aliud tantum valens. Hoc autem nō ob aliam causam iuste faciet, nisi quia rem suam à quocunq; possessore iuste repetere, & reuēdicare potest. Cūm igitur hæreticus à die cōmissi criminis, sit priuatus dominio omnīi bonorum, sequitur inde illum: si aliquid ex illis bonis vendiderit, rem non suam: sed fisci vendidisse. Et per consequens fiscum à quo cunq; possessore illam posse repetere. Hoc tamen intelligendum est antequā legitimū præscriptionis tēpus fie elapsum. Nam bona hæreticorū tenentes perscribere possunt etiam contra Romanā ecclesiam spatio annorū quadraginta, vt patet in ca. fi. de præscrip. li. s. Ex quo textu apertissimē colligitur, illi qui aliquid ab hæretico bona fide emit putans eum esse Catholicū, post spatiū quadraginta annorum præscribere cōtra fiscum, & post illud tempus elapsum, fiscum non posse illud ab emptore vēdicare.

dicare. Nam textus ille non solum filiis hereticorum, sed etiam aliis extraneis concedit præscriptionem: modo illi Catholici sint, & bona fide possederint, credentes se a viro Catholico bona illa recepisse, licet ante talē receptionem ille fuerit factus hereticus. Ex hoc etiam dominio bonorum perduto, sequitur hereticum non posse facere testamentum, & si quod forte constituerat in morte testamentum, nullius esse roboris, aut momenti: quia de propriis faciēdum est testamentū non de alienis. Sicut enim non potest bona illa vendere, nec permutare, ita etiam non potest quis modo, in aliquius alterius dominium, & postatem deriuare, siue hoc faciat per donationem inter viuos, siue per testamentum: quia omnes tales bonorum translationes, ut ratæ permaneant & firmæ, exigunt, ut sit in transferente verum dominium, quo cum priuatus sit hereticus, sequitur illum nullam talem bonorum translationem iustè facere posse. Ex hoc bonorum dominio ante iudicis sententiam amissio, sequitur etiam hereticum ante talem condemnationem teneri reddere fisco omnia bona, quæ habebat: quando effectus est hereticus, & si non reddiderit peccata mortaliter. Scio enim hanc conclusionem esse contra multorum Iuristarum sententiā, ideo illam tam manifestis evidentibusq; rationibus probare intendo, ut quisquis eas legerit, manibus (ut dicitur) & pedibus in meam transeat sententiam. Primò quidem probatur per hoc, quod bona illa iam non sunt heretici (ut manifestè ostendimus, & maior Iurisperitorum pars concedit) sed sunt fisci: ergo hereticus illa retinet, non suum, sed alienum retinet: ergo retinendo peccat, præsertim cum inuito fisco retineat. Consequentia ista probatur per beatum Augustinum in epistola ad Macedonium dicentem. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, penitentia non agitur: sed simulatur. Hæc Augustinus. Et habentur in cap. si res. decimaquarta. quæstione sexta. Forte aliquis hic respondebit: Augustini verba non esse proposito nostro conuenientia: quia Augustinus loquitur (ut ex eius verbis constat) de re aliena, ex cuius acquisitione, aut possessione habenda commissum est aliquod peccatum. bona autem heretici non sunt talia: quia hereticus

August.

pro talium bonorum acquisitione (vt præsuppono) non peccauit. Quo fit, vt bona hæretici talia non sint, vt iuxta dictum Augustini, hæreticus illa reddere teneatur. Aliter ergo, & apertius hanc meam sententiam sic probabo. Per præceptum istud, non furaberis, non solum prohibita est rei alienæ ablato: sed etiam quævis rei alienæ detentio inuito domino. Alioqui oporteret dicere furem solum peccare, quando rem alienam inuito domino auctor fert, & non quando domino inuito retinet, quod est aperte erroneous. Nam beatus Hieronymus super illud Proverb. 29. Qui cum fure participat, &c. sic ait: Non enim fur solummodo: sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, quærenti possessori pecuniam, qui perdidit, non vult indicare cum valet. Hæc Hieronymus. Et habentur in cap. Qui cum fure extra de furtis. Quæ verba sic intellegenda sunt, quod tenetur indicare non furem, sed furtum: & hoc quando furtum recuperari posset. Si ille, qui non iudicat rem furtiuam, cum potest, reus tenetur furti: multò magis reus tenebitur, qui verè detinet apud se. Et ita consequens est, vt non solum rei alienæ ablato: sed etiam detentio sit diuino præcepto prohibita. Ex quo apertissimè conuincitur hæreticum peccare, cum bona olim sua apud se retinet, & non reddit fisco: quia retinet alienum inuito domino. Si quis forte obstinato animo volens partem oppositam tueri: responderit, fatens per tale præceptum diuinum prohiberi detentionem rei alienæ, non tamen omnem: sed solam detentionem rei furto sublatæ. Hoc dictum facile refellitur & conuincitur, esse falsum: quoniā iuxta illud oporteret fateri hæredem non peccare, cum non reddit, & potest reddere legatum in testamento relictum legatario: nam ille, & si rem alienam retineat, non tamen furto sublatam, & ita iuxta præfata responsem oporteret dicere illum sic retinendo non agere contra illud præceptum: Non furaberis. Et si cōtra illud non peccat, non est aliud cōtra quod peccet. Eadem etiam ratione oporteret concedere illum, qui depositum ad custodiā sibi commissum non reddit domino suo illud petenti, non peccare, quāuis depositi dominus sit cordatus vir, & ad usum rei honestæ depositum petat. Is enim non detinet rem furto sublatam, quo sit (vt iuxta concessa)

Non agat contra illud præceptum: Non furaberis. Et per consequens sequitur illum non peccare quum non cōtra aliud præceptū agat. Hoc autem tamen aperte est falsum, vt nullus homo sanæ mentis illud concedere audeat: quia lege naturali tenetur homo depositū reddere, præsertim quando sic reddens non maius irrogat damnum domino, quā si retineret. Multa alia absurdā, & absonta incōuenientia sequentur ex illa præcepti diuini erronea interpretatione: quæ quia longū esset, & tediosum sigillatim recēdere, ideo prætermitto. Fateātur igitur necesse est per illud præceptum: Non furaberis, esse prohibitam omnem alienæ rei inuitō domino retentionem, quæ non est iure diuino, aut humano cōcessa. Quo sit, vt quisquis alienū, contra domini voluntatē retineret, per talem retentionem peccet: nisi fortē talis alieni retentio sit illi à iure, aut à iudice rectē iudicante, aut mandata, aut cōcessa. Nam si autoritate iuris, aut iudicis rectē iudicatis retineret, sic retinendo non ageret contra præceptū diuinum: & per consequens non peccaret. Tunc enim licet contra voluntatem domini actualem alienū retineret: non tamen contra voluntatem debitam quā, ipsemēt dominus habere tenebatur. Ipse enim dominus deberet tunc velle rem suā apud alium detineri quando talis detentio est à iure, aut à iudice rectē iudicāte mandata. Et si tunc vellet rem suam sibi reddi, malè vellet: & sic volendo peccaret. Ob hanc causam, is qui non reddit domino furioso petenti gladiū ab eo ad custodiam cōmissum, nō peccat: quia iure naturali prohibetur, ne reddat. Ob eandem causam si iudex præcipi peret ei, qui depositum custodit, vt domino non reddat: sed nomine suo custodiat, propterea quod creditor petit ex tali deposito solutionē debiti sibi dari, quam aliundē se habere diffidit, si depositum domino reddatur, eo casu is qui depositū non redderet, non peccaret: quia autoritate iudicis rectē iudicantis, qui creditoris indemnitatē iustē prospicit, hoc faceret. Dixi autoritate iudicis rectē iudicantis: quoniam si mihi constaret iudicem iniustē iudicare, cū mihi alienæ rei inuitō domino retentionem præcipit: quanuis ille præcipiat: ego malè agā, si retineo. Ex quo sequitur, vt si de re, quam scio vere esse alienam, ego cum domino illius coram iudice aliquo contendam

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

& iudex, aut amore, aut odio, aut imperitia deceptus, pro me iudicauit decernens rem illam esse meam, tunc iniustè rem illam detinebo : quanuis autoritate iudicis detinemam: quia iudex tunc iniustè iudicauit. Si tamen res mihi esset dubia : de qua cum alio coram iudice contendeo, & iudex decerneret esse meam : tunc ego iuste retinere possum, quāvis illa esset aliena: quia ego ignoro esse alienam, & autoritate iudicis, quem credo rectè iudicasse, illam retineo. Quoties autem quis sine iuris, aut iudicis autoritate retinet alienum inuito domino, peccat & agit contra præceptum illud : Non furaberis, per quod non solum prohibetur rei alienæ ablatio : sed etiam detentio inuito domino. Ex his apertissimè conuincitur hæreticus cum teneri ad reddendum fisco bona, quæ nunc retinet, & olim fuerunt sua, & si non reddiderit, peccabit mortaliter: quia retinet alienum inuito domino. Nam bona, quæ hæreticus retinet (vt iam probauimus) non sunt sua : sed fisci, cui ipso iure applicata sunt : quæ bona hæreticus inuito fisco, & sine aliqua iuris autoritate retinet, ergo iniustè retinet quousque fisco, qui est verus illorum dominus, illa reddat, Nullum est enim ius, quod concedat hæretico cum priuatione dominij possessionem bonorum olim suorum usque ad iudicis cōdemnationem. Si enim aliquid tale ostendatur, vltroneus, cædam arenæ, & quæ dixi libentissimè recantabo. Scio tamen nullam talem esse legis concessionem in toto iure canonico, à quo petendum est huius causæ iudicium. Fortè hic mihi aliquis obiiciet textum cap. cùm secundum leges, de hæreticis. libro. 6. in quo prohibetur fiscus, ne bona hæretici ante illius condemnationem apprehendat. Sed certè si litera illius textus diligenter (vt decet) circumspicitur, nullo pacto meæ sententiae contradicit, imò potius fauet. Nam textus ille priuat quidem (vt ante diximus) hæretici cum dominio bonorum: non tamen concedit illi possessionem illorum usque ad cōdemnationem, Quoniam & si in paragr. confiscactionis, prohibeat fiscus ne ante cōdemnationem hæretici bona illius capiat: non tamen per hoc concedit hæretico retentionem illorum bonorum usque ad præfatam condemnationem. Nam ex hoc, quod fiscus capere non potest: non est consequens,

sequens, ut hæreticus reddere non teneatur. Possunt enim
 hæc duo in multis sæpè cohætere, vt Petrus rem aliquam
 autoritate sua à me capere non posse: & tamen ego illi
 reddere teneam. Primo, casus est expressus in le. si quis ad
 se fundum. & le. fin. C. ad leg. Iul. de vi publica, siue pri-
 uata. Deinde, legatarius non potest legatum in testamen-
 to sibi relictum. autoritate propria sibi capere, & tamen
 hæres tenetur illi reddere. Rursus, qui fraude aliqua
 alium in venditione alicuius rei læsit, tenetur illi ad dam-
 ni recompensationem: ipse tamen autoritate propria, ta-
 lem ab illo recompensationem sumere non potest, præ-
 sertim si illam potest à iudice impetrare. Multa alia sunt
 similia exempla, quæ nō est opus recensere, per quæ osten-
 ditur non esse consequens, ut hæreticus non teneatur bo-
 na sua ante cōdemnationem reddere fisco: ex hoc, quod
 fiscus ante talem condemnationem non potest illa ap-
 prehendere. Cum igitur nullum sit ius, quod hæretico
 bonis suis priuato concedat bonorum suorum posses-
 sionem, quoisque sit à iudice competente de suo criminе
 damnatus: conuincitur inde hæreticum teneri ad redde-
 dum bona sua fisco, absque aliqua iudicis condemnatio-
 ne: ita vt si illa non reddat, peccet mortaliter. Hoc tamen
 solum credo esse verum, postquam fib iam constat se esse,
 aut fuisse hæreticum: quia ante hoc certè per ignoran-
 tiā excusabitur. Potest etiam hæc sententia probari
 per illas omnes rationes, quibus probatur legem pœnali-
 em ipso iure infictam obligare reum in conscientia ad
 pœnam à iure decretam, absque aliqua iudicis sententia
 sustinendam. De qua re, quia satis diffuse tractabo in eo
 opusculo, quod de lege pœnali nunc ædere paro: ideo
 nihil amplius nunc dicere statui. Ad illum igitur lo-
 cum mitto lectorēm, vt ex illo hauriat, quæ huic pro-
 posito conueniunt. Ex his ergo patet errasse omnes il-
 los, qui docent hæreticum ante sui criminis condemna-
 nationem, non teneri ad reddendum bona olim sua fis-
 co, qui ipso iure à die commissi criminis factus est illo-
 rum dominus. Et certè (vt ingenue fatear) ego non pos-
 sum intelligere, quo pacto hæc duo cohætere possint, vt
 fiscus sit ipso iure dominus omnium bonorum hæretici,
 & quod hæreticus bona illius retinens, non teneatur

illa reddere fisco, qui iam est verus illorum dominus, præfertim quum nulla lege sit hæretico concessa bonorum illorum possesio. Pugnant enim velut ex diametro hæc duo. Hæreticus absque aliqua iuris, aut iudicis, autoritate retinet bona fisci, & non tenetur illa reddere fisco. Necesse est igitur, ut quemadmodum hæreticus ipso iure priuatus est dominio bonorum suorum, & fiscus factus illorum dominus: ita teiam hæreticus ipso iure teneatur reddere bona sua fisco: præfertim quum ius non concedat hæretico, ut quanuis sit dominio bonorum suorum priuatus, posset illa retinere, quo usque de crimine hærefis sit a iudice competente damnatus. Et hanc meam opinionem tenet Abbas in capit. dilecti, extra de arbitris. An autem hæreticus resipiscens, & sui criminis pœnitens, recuperet talium bonorum dominium, quod iam per hæresim amiserat, paruæ difficultatis quæstio mihi videtur esse: cum tam expresse sit de illa definitum in capi. vergentis, extra de hæreticis. Consyderata enim personæ, & erroris qualitate, compensata etiam eiusdem hæretici præterita obstinatione, & præsenti pœnitentia, quæ ex signis exterioribus vt cunque coniectari potest: poterit iudex, aut omnia bona, aut aliquam illorum partem misericorditer illi condonare. Tam longa etiam potuit esse & tam ferrea hæretici obstinatio, ut etiam si illum postea pœnitiat, iustè agat iudex: si decernat nihil ex bonis illius esse illi relinquendum. Nam quanuis hæreticus pœnitens pœnam mortis effugiat: non tamen ideo consequens est, ut a reliquis omnibus pœnis ipso iure absoluatur.

DE SECUNDA HÆRETICORVM

pœna, quæ est priuatio cuiuslibet dominij
super quoscunque subditos.

Cap. VII.

Altera hæreticorum pœna est, priuatio cuiuscunque prælationis iurisdictionis, & dominij: quod antea super homines cuiuscunque conditionis habuissent. Nam qui hæreticus est, ipso iure omnibus talibus rebus priuatus est: sicut aperie decernitur in capitulo finali, extra de hæreticis. Sed quia multa circa textum illum

notatu digna occurrunt : decreui verba textus in medium proponere , vt hi , qui legerint , rei difficultatem animaduertere possint , & quæ circa illum textum dixerimus , notatu digna esse intelligent . Litera illius capituli sic habet : Absolutos se nouerint à debito fidelitatis , dominij , & totius obsequij , quicunque lapidis manifeste in hæresim aliquo pacto , quacunque firmitate valido tenebantur astricti . Hactenus litera illius finalis capituli , de hæreticis . In verbo , Absolutos . aperte ostendit sententiam esse à iure latam , & non à judice inferendam . Non enim præcipit , vt absoluantur : sed ipsis obligatis dicit . vt nouerint se absolutos . Quo fit , vt ad hanc pœnam sustinendam reus in conscientia obligetur , etiam ante omnem aliam iudicis sententiam , sicut supra diximus de priuatione cæterorum honorum . Per hoc quod dicit , à debito fidelitatis , ostenditur aperte illum , qui custodit depositum ab hæretico sibi ad custodiā commissum : non debere reddere hæretico depositum suum petenti . Nam & si lege naturæ teneantur omnes in reddendo depositum , fidelitatem seruare : ab hac tamen obligatione fidelitatis liberatus est quisquis ab hæretico depositum accepit , vt iam post illius manifestam hæresim , non teneatur illud hæretico reddere . Quo fit , vt si hæretico per ecclesiam dñato , fiscus bona illius apud alium sub sacramento fidelitatis deposita , apprehendere velit , is qui depositum custodiebat teneatur illi dare , nec possit à non reddendo per exceptionem depositi , aut fidelitatis se excusare : quoniam iam ab hoc debito fidelitatis est per ecclesiam absolutus . Eadem ratione præses alicuius oppidi , aut arcis munitæ , qui sub fidelitate , & iuramento illud ab aliquo domino accepit , si talis dominus factus fuerit hæreticus , non tenebitur illi castrum , aut arcem restituere : nec ad mandatum illius alicui alteri reddere , præterquam fisco , cui iure ipso competit talium rerum dominium . Multa etiam sunt , quæ Domino tenetur reddere quisquis illi fidelitatem iurauit , videlicet , incolume , tutum , honestum , vtile , facile , possibile : quæ omnia referuntur , & declarantur in cap . de forma fidelitatis . vigesima secunda quæstione quinta . Ab his omnibus fidelitatis partibus ipso iure absolutus est quisquis ad fidelitatem alteri seruandam ,

uandam, obligabatur postquam ille, cui tenebatur, factus
 est hæreticus. Nisi forte in aliquo casu ad aliquam illa-
 rum reddendam iure obligaretur diuino, quod per ius
 humanum tolli non potest. Credo enim humanitatis
 iura in casu extremæ necessitis etiam hæretico esse iure
 diuino debita. Necessitas enim non est subdita legi.
 Propter hanc eandem absolutionem à debito fidelitatis
 coniunx fidelis non tenetur coniugi hæretico debitum
 reddere: quia per hæresim alterius ipse hoc fidelitatis de-
 bito liberatus est. Non tamen ab omni: sed solum ab il-
 lo, quod præcepto exprimitur affirmatiuo, coniugcs
 enim propter sacramentum matrimonij, quo sunt astri-
 ëti, duplice fidelitatis vinculo sibi inuicem obligantur,
 altero affirmatiuo, altero negatiuo. Nam quisque con-
 iugum: tenetur alteri debitum reddere. Tenetur etiam
 non reddere corpus suum alicui alteri, quam suo coniu-
 gi. Ab hac fidelitate, quæ præcepto negatiuo exprimi-
 tur, nunquam alter coniugum potest esse liber, quantum
 libet alter coniunx peccet, etiam si labatur in crimen hæ-
 resis Quia & si propter alterius adulterium, aut hæresim,
 possit innocens petere, & impetrare diuortium, diuortio
 tamen inter eos facto, nullus eorum altero viuente po-
 terit alicui alteri, quam suo coniugi quomodolibet copu-
 lari, ut aperte docetur in cap. quæsiuit. & in cap. quanto.
 extra de diuortiis. A sola ergo illa fidelitate, quæ præcep-
 to exprimitur affirmatiuo, liberatus est ipso iure con-
 iunx fidelis, postquam alter in manifestam lapsus est hæ-
 resim, ita ut iam non teneatur illi debitum reddere. Sed
 hæc fidelitatis, & debiti absolutio non solum hoc huma-
 no, & canonico iure: sed etiam diuino roboratur. Nam
 sicut per adulterium corporale priuatur adulteri iure de-
 bitum exigendi: ita etiam per adulterium spirituale, quod
 est hæresis eodem iure priuatur: quia peius est adulterium
 spirituale quam corporale. An autem hæreticus resipiscens
 recuperet per pœnitentiam hoc ius retendi debitum, quod
 per hæresim amiserat: dubia aliquibus videtur esse quæ-
 stio. Urbanus tertius in cap. de illa. extra de diuortiis. de-
 cernit mulierem, quæ sine iudicio ecclesiæ separata est à
 viro lapso in hæresim, esse reddendam viro, postquam ad
 fidem Catholicam reuersus fuerit, compellendamq; esse
 iubet.

Iubet, si illa ad virum reuerti noluerit. Si verò iudicio ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum illum nullatenus dicit esse compellendum : glossa verò super capitulum, quanto. eodem titulo, & super capitulum final. de conuert. coniugat, non veretur aperte contra illum textum sentire, dicens : mulierem, quæ à viro hæretico recessit, si ille ad fidem redeat esse semper compellendam ad recipiendum virum suum, etiam si iudicio ecclesiæ ab illo recessisset. Et si illa ad virum redire noluerit: dicit illam esse cogendam ad monachatus religionem suscipiendam.

Pro hujus sententia probatione citat cap. vltimum. de conuersione coniugatorum . Ad præfatum verò capitulum, de illa, respondet illud esse correctum per sequens capit. quanto. eodem titu. Abbas in eisdem capitulis, glossæ sententiam, & opinionem non usquequaque probat : sed vrcunque ad ea discedit , nullam tamen assert rationem , per quam se meritò ab illa discessisse nobis ostendat. Ego verò rationes proferam : quibus glossam tota aberrasse via apertissime conuincam . Et primo suo ipsius gladio glossatorem transfigam : quia illud capitulum vltimum de conuersio. coniuga. quod pro se citauit, clarissime contra illum pugnat. Nam capitulum illud (vt ex litera illius facilime colligi potest) non loquitur in favorem hæretici resipiscientis, & pœnitentiam agentis: sed mulieri, quæ à viro hæretico iudicio ecclesiæ fuerat separata, fauet, cōceditq; illi, vt ipso nolente liberè ad Monachatus religionem, si velit cōuolare possit. In quibus verbis id summopere annotandum est, quod ait : libere conuolare: non ergo cogenda est ad religionem, etiā si ad virum reuerti noluerit. Alioquin si ad religionem (vt glossa docet) cogenda est, non ergo libere ad religionem conuabit, quemadmodum textus ille dicit. Præterea si mulier libere, & non coacta potest nolente marito intrare religionem: ergo etiam potest nolente marito manere extra religionem separata ab illo. Consequētia ista inde manifeste conuincetur esse bona, si ostēdamus causam, & originem, ex qua oritur, vt mulier fidelis, quæ iudicio ecclesiæ fuerat à viro suo hæretico separata, illo ab hæresi reuersa nolente, posset intrare religionē. Causa certè non est alia: nisi quia ille per hæresim tanquam per adulterium spirituale

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tuale amisit ius petendi debitum ab vxore, & sic illa fa-
 età est liberta ab hoc debito. Nam si ille non incidisset in
 hæresim, mulier non posset illo inuitu intrare religio-
 nem, sicut expresse definitum est in cap. quidam. & in cas-
 pi. cum sis. extra de conuersione coniugato. Causa igitur
 illius deuortij per ingressum religionis facti aperte ostien-
 sa, percontabor glossatorem, an maritus hæreticus ad fi-
 dem rediens recuperet per pœnitentiam illud ius peten-
 di debitum: quod per hæresim amiserat, an non? Si di-
 cit hæreticum recuperasse tale ius, oportebit fateri uxo-
 rem illius ipso nolente non posse libere intrare religio-
 nem: quia per talem ingressum negaret marito, quod illi
 iam iure debebatur. Si verò dicit hæreticum per pœni-
 tentiam non recuperasse tale ius per hæresim semel amis-
 sum, consequens est, ut non teneatur vxor illi post pœni-
 tentiam debitum reddere, sicut nec ante pœnitentiā: quia
 (ut concessum est) hæreticus post pœnitentiam non ha-
 bet maius ius ad petendum debitum ab vxore quam ha-
 bebat ante pœnitentiam. Quo fit, ut sicut post pœniten-
 tiā mariti olim hæretici, potest vxor eius illo inuitu li-
 bere intrare religionem: ita etiam poscit illo contra di-
 cente libere manere in seculo, absque cohabitatione cum
 viro, & absque redditione debiti: nam vna prorsus & ea-
 dem est vtriusq; separationis ratio. Verum (ut apertius lo-
 quar) non est opus dare optionem glossatori: quia velit,
 nolit, tenetur fateri hæreticum post pœnitentiam non re-
 cuperare ius petendi debitum ab vxore: quia obligatio se-
 mel extinta non reuiuiscit. Nam ob hoc hæreticus post
 pœnitentiam nō necessario (ut supra diximus) recuperat
 bona, quæ per obstinationem hæresis amiserat, ut defini-
 tum est in cap. vergentis extra de hæreticis: ergo eadem
 ratione etiam non recuperabit ius petendi debitum,
 quod semel amiserat. Et inde necessario consequitur, ut
 vxor illius libere poscit illi negare debitum coniugale, &
 per consequens non erit compellenda ad recipiendum vñ-
 rum, ab infidelitate reuertētem, à quo iudicio ecclesiæ fue-
 rat separata. Et certè miror quomodo in tam apertum er-
 rorem fuerit lapsus glossator, præsertim cum tā expressa
 habeatur contra suam sententiam ecclesiæ definitio, in
 p̄fato cap. de illa. Quod autē dicit illud cap. correctum
 esse

esse per sequens cap. non ita est : quia sequens cap. nullo modo contradicit primo, cum loquatur de diuersis. Nam cap. de illa loquitur de muliere, quæ iudicio ecclesiæ separata est : quæ cogenda non est ad virum ab heresi reuertentem redire. Cap. autem sequens in fine loquitur de illa, quæ proprio iudicio separata est à viro infideli, quæ post viri pœnitentiam cogenda est ad illum redire, quan- uis hoc non satis clare ibidem exprimatur: sed per conie- ctures ex eo elici debet. Causa autem huius discriminis inde (meo iudicio) prouenit, quod ecclesia vult nullā pœnam heretico infligi , antequam ille sit ab eadem de cri- mine suo damnatus, vt patet in cap. vt inquisitionis, & in cap. cum secundum leges. de hereti. lib. 6. Et si quid con- tra hoc tentatum fuerit, ipso iure habetur pro infecto. Mulier ergo quæ proprio iudicio se à viro infideli separa- uit: quia virum suum pœna heretici puniuit, antequam ille fuisset ab ecclesia damnatus, ideo talem separationem pro infecta iudicat ecclesia: & ideo tāquam si ab illo nun- quam fuisset separata, illi adhærere compellitur. Quæ au- tem iudicio ecclesiæ separata est: virum suum puniit, post- quam ille de suo crimen ab ecclesiastico iudice dānatus est. Ego enim iudicium illud ecclesiæ, quod dicitur esse necessarium ad hoc, vt illa poscit nolente marito intrare religionem, non aliud puto esse quā sententiam iudicis ecclesiastici, qua declaretur virum illum esse hereticum, qua sententia data , sine ulteriori separationis sententia, satis esse censeo, vt mulier poscit à viro suo separari, & vt separata non possit compelli ad recipiēdum virum suum ab heresi redeuntem. Sed iam opus est, vt pergamus ad explanationem reliquarum partium illius præfati cap. Absolutos. Nam illos, qui hereticis erant aliqua obliga- tione astricti, non solum dicit esse absolutos ab omni de- bito fidelitatis : sed etiam ab omni debito dominij. Pro cuius particulæ clariori intelligentia oportet prius lector- rem de multiplicitate dominij admonere. Quoddā enim est dominium super homines, aliud super ceteras res irra- tionales hominibus seruientes, vt sunt pecuniae, vestes do- mus, agri, vineæ, pecora, & cætera his similia. De domi- nio istarum rerum non est nobis sermo in isto cap. quo- niam de illo deseruimus superius, iuxta id, quod definitū est

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

est in cap. cum secundum leges. Dominium super homines est adhuc multiplex : quia quoddam est naturale, aliud ciuile, aliud Euangelicum . Dominium naturale super hominem aliquem nullum est nisi paternum , hoc est, quod habet pater super filios . Omnes enim in lege naturæ fuissent liberi: nec dominium aliquod esset in statu innocentiae nisi paternum. Pater enim tunc aut mater sicut modo, haberet potestatem docendi, admonendi, & corrigendi filios, & filij tunc tenerentur, sicut nunc tenentur obedire parentibus , & illis in necessitate si aliquam paterentur, seruire. Hoc dominium ideo dicitur naturale: quia naturalis ratio docet, ut filius subueniat patri, & seruiat illi, à quo recepit esse, & obediatur illi ad quem spectat admonere, & corrigere eum. Hoc dominium etiam si naturale sit , non est adeò fixum, & immobile, ut tolli non possit, sicut est reliquum dominium naturale : quod quisque homo habet super res necessarias ad suæ vitæ conservationem. Nam (ut recte beatus Thomas docet.) prima, & maxima naturalis inclinatio est ad esse: & ideo supra quamlibet rem necessariam ad suæ vitæ sustentationem, habet naturale dominium. Hoc dominium, nec homo a se abiicere potest: nec propter quodcumque peccatum per iudicium tolli. Vnde idem B. Thomas Secunda Secundæ. q. 59. arti. quarto. in solutione secundi argumenti, dicit: quod si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere esset (ut ait) seipsum occidere. Non est tam firmum, & fixum dominium patris super filios: quoniam filius re ipsa non est tam necessarius patri ad suæ vitæ sustentationem, sicut reliqua res. Quo fit, ut pater possit illud a se abiicere dominium: & superior in pœnâ aliquius delicti illud à patre tollere. Primum patet in emanicipatione : quoniam per illam pater filium in sua constituit potestate, & renuntiat iuri, & dominio quod super filium habet. Secundum patet in statu. Quibus modis ius patris potestatis soluitur, vbi inter alia hæc habentur. Cum autem is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur ciuitatem amittit, sequitur, ut qui eo modo de numero ciuij Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo desinant liberi in potestate eius esse, hæc ibi. Ad eundem

dem modū fit in peccato hæresis : quoniam propter hoc
crimen pater amittit dominium, quod super filios habe-
bat, & filij efficiuntur sui iuris. Nam filij, qui alioqui fui-
sent subditi patri, illo in hæresim obstinate labente, sunt
ipso iure absoluti ab omni debito dominij, quod super il-
los pater habuisset, ut dicitur in præfato cap. absolutos.
Verum quia multi putare potuissent, hoc non tam aperte
in illo cap. fuisse definitum, ideo speciale de hac re decre-
tum ecclesia statuere voluit , quo apertius id, quod nunc
proximè diximus declaratum est. Tale decretum habetur
in cap. quicunq;. paragra. illorū de hæret. lib. 6. Et inde se-
quitur patrē hæreticum non posse filio impuberi substitu-
tionem facere pupillarē. Quoniam inter cetera requisita
ad pupillarē substitutionē hoc est præcipuum, ut testator
impuberem in potestate habeat. I.e. ff. de vulga. & pupil.
Hoc etiam corollarium aliunde deduci potest: ex eo, scili-
cet, quod hæreticus intestabilis est. Nemo autem pro pu-
pillo substituere potest, nisi prius sibi fecerit testamētum,
d.l.z.paragra. i. Sed quæstio posset de hac re moueri, si pa-
ter ad suæ vitæ sustentationem antequam fieret hæreticus
indigeret filio, & postea eadem indigentia perseverante
laberetur in hæresim , an filius patri hæretico indigentia
sua opera, teneretur illi suas operas dare, illiq; vscq; ad sup-
plendam indigentiam ministrare. Cui quæstioni ego ita
respondendum esse censeo, ut filius eo casu maiori obli-
gatione teneatur patri, quam teneretur alicui alteri in ne-
cessitate existenti: quia licet filius sit iure ipso à patris hæ-
retici dominio, & potestate liberatus, non tamen quoad
opera misericordiae illi exhibeda, in quibus pater quāuis
hæreticus est præferendus. Hanc sententiam docet glossa
dist. 30. cap. i. & Panor. in cap. si quis. De hæreticis. Aliud
est dominium super personas non naturale , sed ciuale,
hoc est, quod non à natura sed ab humanis statutis sum-
psit initium. Et hoc etiam varium est, & multiplex, iuxta
variam autoritatem, & potestatem, quam habent domi-
ni super eos, quibus dominantur. Est enim quoddam do-
minium, quod inducit seruitutem in eo cuiusquis domi-
natur. Per hoc dominiū habetur potestas utendi seruo ad
omnia, quæ voluerit exceptis criminibus, quæ sine Dei of-
fensa perpetrari non possunt . Per hoc dominium habet
dominus

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

Dominus super seruos suos plenam potestratem vtendit illis ad suam vtilitatem, & non ad vtilitate illorū. Et per hoc differt dominiū hoc a dominio regali: quia Rex nisi tyrannus esse velit, non vtitur subditis ad suam propriam vtilitatem: sed ad vtilitatem subditorum. Dominus autem vtitur seruo non ad serui vtilitatem: sed ad suam propriam, quemadmodum vtitur pecoībus suis. Poteſt enim dominus seruum vendere, permuteſare, donare, locare, prout facere potuſſet de iumento aliquo. Quæ quidem misera seruitus, & ſi propter peccatum introducta fit, iure tamen gentium approbata eſt, vt habetur in capitulo genitum dicit. Hoc dominium statim amittit quisquis in manifestam hæresim lapsus eſt, & seruus illius ſi in hæresim domini non conſentit, eo ipſo eſt a debito domini absolitus. Sed diſſicultas oriri poſſet, an dominiū illius serui transferatur ad fiscum, ſicut cæterarum rerum, ita ut poſt hæresim domini, seruus illius fiat seruus fisci, an vero seruus fiat ſui iuris, & fit ipſo iure libertus. Salvo meliori iudicio, ego ceneo seruum, qui in hæresim domini conſentire noluit, non eſſe inter reliqua bona computandum, ut in dominium fisci cum reliquis bonis tranſeat: ſed eo ipſo redditum eſſe ſuæ libertati, ita ut iuste, & abſque vileno peccato poſſit fugere ab hæretico, qui fuerat dominus eius, & omnem illi negare obedientiam. Nam in prefato illo capit. fin. extra de hæret. abſoluuntur omnes ab omni obligatione, qui hæreticis quomodolibet tenebantur adſtriecti: ergo etiam serui ſunt abſoluti, & per coſequens ſunt liberti. Præterea de hoc habetur expreſſa in iure Cæſareo diſſinſitio. Nam in I. Manicheos. C. de hæret. ſtatuit Imperator Theodosius, ut seruus, qui noluerit obediere domino hæretico, fiat ipſo iure libertus. Iuſta quidem lex, per quam & hæretico domino pena, & seruo Catholico p̄m̄ium tribuitur. Ius autem Cæſareum, & ſi non poſſit de fide, aut hærefi definire: poteſt tamen & hæreticos pena, & fideles afficere p̄m̄io. Quo fit, ut ſaltem in terris, quæ legibus ſubſunt Cæſareis, seruus qui domino hæretico obediere recuſauit, & illius hæresim ſuſcipere noluit, fit ipſo iure redditus libertati: quia ſic p̄cipitur in prefato I. Manicheos. Et idē faciēdum eſſe ceneo in terris ecclesiæ Romanæ, quæ nullo modo ſubduntur Imperatori.

Quoniam

Quoniam, & si in illis locis non habeant vim iura Imperatorum: habet tamen vim suam illud cap. fina. extra de hæret. Quo iubetur omnibus, ut nouerint se absolutos ab omni debito dominii, qui lapsis manifeste in hæresim quomodolibet tenebantur adstricti. Aliud est dominium ciuile, & politicum, quod non inducit seruitutem in eo, super quem habetur: sed solum cōfert habenti dominium, autoritatem, & potestatem præcipiendi ea, quæ ad bonū regimen reipublicæ, cui præest, sunt necessaria, aut saltē cōmoda, & conuenientia, & puniendi transgressores eorum, quæ ab illo præcepta sunt. Hoc dominium habent Reges, Duces, Comites, & reliqui Domini, qui populis præfunt. Hi super quos tale dominium habetur, non distinguntur serui, sed subditi, & vocabulo iam ab omnibus recepto, dicuntur Vasalli. Hoc dominium etiam amittitur per hæresim manifestam, ita q̄ Rex factus hæreticus, ipso iure est regno suo priuatus, & Dux suo ducatu, & Comes comitatu, & idem de aliis populorum dominis quocunq; nomine censeantur, dicendum est: nam de omni dominio generaliter loquitur illud cap. fina. de hære. Nec mirari debet aliquis, q̄ Papa propter hæresis crimen Regem à regia dignitate deponat, & regno priuat: quoniam in negotio fidei etiam Reges sicut & alii inferiores subduntur summo Pontifici. Quo fit vt illos sicut quoslibet alios punire posse. Nam Regem Francorū Zacharias Papa ob multò minorem causam regno priuauit, vt refertur in cap. Alius. 15. q. 6. Imperium Romanorū sedes Apostolica transtulit à Græcis: quia ecclesiam non defendebant, in Germanos, vt habetur extra de elect. cap. venerabilem. Multo ergo iustius est, vt propter crimen hæresis Reges regno priuentur. Posset tamen hoc loco aliquis meritò querere: si Rex fiat hæreticus, ad quē regni illius dominium, & potestas iure deuoluetur. Nō quidem ad Imperatorem, præsertim si Rex non erat Imperatori subiectus, quales sunt Hispanorum, Gallorum, & Anglorum reges. Nam bona hæreticorum, laicorum, quæ iure canonico, & Cœsareo, applicantur fisco, nō cuiuslibet fisco sine discrimine applicata esse intelliguntur: sed soli fisco illius, qui dominium & iurisdictionem supremā secularem supra hæreticum habet. Consequens igitur

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

est, ut regnum, & reliqua bona hæretici Regis, qui non
subditur Imperatori: non sint ipso iure fisco Imperato-
ris applicata. Nec dicendum est regnum illud ipso iure ad
Ecclesiam pertinere: quia ipso iure non a plicatur Eccle-
siae bona laicorum hæreticorum: nisi illorum solum, qui
in terris Ecclesiæ viuunt, ut pater in cap. vergentis. & in
cap. Excommunicamus, extra de hæret. Ad quem igitur
regnum illud iure pertinebit? Si rex ille hæredem legitim-
um habet, & fidem, ego diceré illum esse iustum, &
legitimum regni successorem. Quoniā cūm nihil sit de
Rege hæretico in iure definitum, consequens est, ut idē
de illo censeatur, quod de homine ab intestatu deceden-
te diceretur. Nam cūm ille per hæresim sit ipso iure rege-
no priuatus, quantū ad regni possessionē censendus est
mortuus: & quia de regno illius, cui tribuendum sit, nis-
hil iura disponunt, oportet necessariō, ut regnum ad le-
gitimum hæredem deuoluatur. Et idem mihi videretur
dicendum de quocunq; alio dominio cuiuscunq; rei, cuī
est annexū vinculum primogenituræ, ita ut si possessor
illius fiat hæreticus, bona illa nō sint fisco applicata, sed
legitimo illius primogenituræ successori. De hac tamen
re nihil tertum definire volo, sed illam ciuilis iuris peri-
xis relinquo, ab illis definiendam, quorū hoc proprium
est munus. Si Rex hæreticus nullum habet hæredē, aut
ille quem habet, est etiam hæreticus, tunc si regnum nō
est etiā hærefi infectum, dicerem regnum ipsum habere
ius, & potestatem eligendi sibi Regem, iuxta id, quod in
primo lib. Regum dicitur: Populus facit sibi Regem. Si
verò regnum est etiam eadem peste infectum sicut Rex,
regnum etiam erit ipso iure priuatum, potestate eligēdi
sibi Regem, & tunc negotium deuoluetur ad summum
Pontificem, ut ille tanquā summus Ecclesiæ iudex decet
nat, quid sit agendum, sicut facile colligi potest ex di-
ctis in cap. Excommunicamus, paragra. moneantur. extra
de hæreticis. Aliud est deniq; dominium Euangelicum,
& est potestas alicui ex Dei Euangeliō, & non aliunde
concessa, qualis est potestas absoluendi peccatorem a
peccato, & potestas excommunicandi, & absoluendi ab
excommunicatione. Hoc dominium habent soli viri eccl-
esiastici curam animarum tenentes, vt sunt Episcopi,

Archie

Archiepiscopi, Papa. Et dicitur hæc talis potestas dominium Euangelicum, quia ex sola Euangelii autoritate illud habetur. Vocatur etiā dominium hoc à Theologis potestas iurisdictionis ecclesiasticæ. De hoc dominio difficultissima inter theologos versatur quæstio: an hæreticus sit etiā ipso iure priuatus hoc dominio sicut ceteris, hoc est, an Prælatus ecclesiasticus quicunque ille sit unius Papa, siue quiuis alius, postquam factus est hæreticus sit ipso iure potestate prælationis priuatus? De hac re non conuenit inter omnes theologos. Quidam enim dicunt prælatum ecclesiasticum factum hæreticum: diuino iure esse priuatum prælatione sua. Alii vero contra sentiunt Prælatum ecclesiasticum quantumlibet in hæresi pertinacem, non esse diuino, aut humano aliquo iure potestate prælationis priuatum. Et qui sic sentiunt, coguntur dicere hoc dominium Euangelicum non esse sub illa generali locutione comprehendendum, cum dicitur in illo cap. fina, de hæret. Absolutos se houerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequiū. &c. Oportet enim ibi exciperre dominium Euangelicum, à cuius debito (iuxta illorū opinionem) non sunt ipso iure absoluti, qui lapsis in hæresim erant per illud adstricti. Huius nodosæ quæstionis solutionem, quoniam difficilis est, & longum requirit tractatum, vñq; ad aliud capit. differimus, quod totū huic soli negotio impendemus, quando de pœnis spiritualibus disputabimus. Tales enim potestates, & talia dominia magis spiritualia, quam corporalia cēsenda sunt. Circa has omnes hæreticorum pœnas, de quibus in hoc cap. differimus, dubitatur ab aliquibus: an hæreticus occultus in has incidat pœnas. Ratio dubitationis est hæc: quia illud sæpe citatum cap. fina. de hæreticis. videtur solos manifestos hæreticos afficerē. Nam solos illos absolvit à debito infidelitatis & domini, qui lapsis manifeste in hæresim quomodolibet sunt adstricti. Phil. dicit hoc etiā verum esse in occulto hæretico, si illius hæresis probari possit: quia tunc potest manifestari licet actu nō sit manifesta. Eandem sententiā docet videtur Ioan. And. hac tamen addita conditione, q̄ processum fuerit ad probationes: quia probatio (vt ait) tunc facit delictum manifestum, vt in cap. cū olim. de verb. signifi.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Secus rāmen dicendum esse pūiat, si non est processum
ad probationes: quia Ecclesia non iudicat de occultis. Et
illius sententiae subscrībit Angelus de Clauatio in sua
summa, eandem amplectitur Sylvestris de Prierio in sua
summa. Ego tamē (absit precor verbo inuidia) puto hos
omnes quanuis in iure doctissimos, non intellexisse ve-
ram, & germanam illius textus sententiam. Nam quod
textus ille ait de lapsis manifeste in hæresim, non est in-
telligendum de manifestatione, quæ competit hæretico,
ita q̄ ille in publico, aut in manifesto hæresim asseruit.
Potest enim quis publice, & coram mille testibus hære-
sim aliquā asserere, & non esse hæreticus: quia potuit illā
asserere ex ignorantia, putans talem assertionem esse Ca-
tholicam. Potuit etiā asserere sine vlla pertinaci animosi-
tate, sed paratus obedere Ecclesiæ aliud docenti. Quorū
alterum si contingat, etiam si in fide erret, hæreticus mi-
nimè censembitur: vt habetur in cap. dixit Apostolus. 24.
q. 3. Si hæreticus non est, necessariō inde sequitur, vt pœ-
na hæretici nō sit puniendus, & per consequens pœna il-
lius cap. fina. de hæret. non comprehendat illum. Alioquā
fieret necessariō, vt quis sine culpa sua, & sine culpa alie-
na: imo & sine iusta aliqua causa puniatur, quod est con-
tra ius naturale, diuinum, & humanum. Nam textus ille
eos, qui lapsis manifeste in hæresim erant obligati, absolvit a debito fidelitatis, & dominii. Et tamē (vt diximus)
potest quis sine vlo peccato manifeste labi in aliquam
hæresim. Quod ergo textus ille ait de lapsis manifeste
in hæresim, non est intelligendū de manifestatione, quæ
se tenet ex parte asserētis: quia siue in occulto, siue in pu-
blico labatur in hæresim, non incurret pœnam, si nō est
hæreticus. Intelligenda sunt ergo verba illius textus de
manifestatione, quæ competit hæresi, ita vt ille dicatur
labi manifeste in hæresim, qui labitur in hæresim mani-
festam, quā scit esse ab ecclesia damnatam, quanuis illam
occulte, & sine vlo teste asserat. Qui vero ex ignorātiā
labitur in hæresim, nō dicerur labi manifeste in hæresim
quanuis i lam in publico foro coram mille testibus asse-
ruerit: quia non erat sibi manifestum talem assertionem
esse hæreticam, & ab Ecclesia damnatam. Is autem, qui
iuxta hunc intelligendi modum labitur manifeste in hæ-
resim

yesim, hoc est, in hæresim manifestam, eo ipso est necessario censendus hæreticus. Quia is (vt supra libro p.imo, cap. decimo docuimus) sine villa vteriore monitione est iam pertinax censendus: quia errorem suum non est paratus corrigerere. Quod facilime, vel ex eo colligi potest: quia ecclesiā, à qua corrigendus esset, aperto Marte oppugnat, quum eam non veretur asserere propositionē quam scit ab ecclesia damnaram. Si vero quis ex ignorantia lapsus est in hæresim, & postea legitime admonitus obediens contemnit, tunc primo dicitur labi manifeste in hæresim, quando legiūmæ admonitioni obtemperare recusat. Is igitur, qui iuxta hunc intellectum labitur manifeste in hæresim, cū sit iuxta p̄cedita cēlēndus hæreticus, merito hæreticorum pœnam incurrit, quantumlibet sit occultus, si tamen hæresim quam mente concepit, ali quo verbo explicauit. Et de talibus sic lapsis manifeste in hæresim, intelligenda sunt verba illius cap. fin. de hæret. quibus dicitur, quod qui talibus sic lapsis manifeste in hæresim erant aliqua obligatione adstricti, ipso iure sunt ab omni talis obligatione absolti. Nā per illa verba: Lapsis manifeste in hæresim, idem intelligitur, ac si dixisset, hæreticis. Et hi tales licet occulti sint, sicut incident in pœnam cap. secundum leges. ita etiā ipso iure incident in pœnam p̄fecti cap. fi. de hæret. si hæresim suā quāuis occulte, exterius prodiderunt. Nam (vt ait Abb. in isto cap. Absolutos) pœna ipso iure imposita afficit ipsum delinquenteim, qualibet occultum, pro qua sententia adducit glossam, quam dicit esse notabile in Cle. i. de hæret in verbo: Eo ipso. Ex quibus colligit Abbas, vt hæreticus quāuis occultus ipso iure amittat omne dominium, sicut & reliqua omnia bona ipso iure amittit: sed non poterit talis absolutio dominij (vt ait) allegari, nisi prius manifesta causa probetur. In quibus & si bene dicat, tamen in intelligentia illius vocis, manifeste etiam mihi errasse videtur. sicut alij. Est insuper aliud, in quo mihi non placet Abbatis sententia quam in illo loco iudicare videtur. Nam dicens pœnam ipso iure impositam afficere delinquentem quamlibet occultum, videtur non solum loqui de occulto per accidens, sed etiam de illo qui sua natura est occultus, qualis est ille qui hæresim suā mente pertractans nullum

exterius dedit suæ hæresis signum , per quod posset ab aliis cognosci. Nam quod Abbas hoc senserit, aperte confessat ex hoc quod ad suæ sententiaæ probationem citat glossam illam super Clementina i. de hæreticis, quæ aper-te docet pœnam ipso iure infictam afficer eum delin-quentem, qui sola mente deliquit nullū prædens exterius sui delicti signū, per quod certo posset ab aliis cognosci. Hæc autem sententia nunquam mihi placuit, & eam ferē-tora Theologorū schola reiicit. Sed de illa ego in præsen-tiarum disputare nolo, quoniam in opere illo, quod de potestate legis pœnalis paro, libro illius operis secundo lōgio: rem de hac re faciam disputatiudem. Nunc igitur de solo occulto per accidens loquor , hoc est de illo qui hæresim suam foris & extra cordis latebras prodidit, sic tamē oc-culte id fecit, ut vix vni aut alteri fuerit notus. Hunc igi-tur talem quamlibet occultum, si in manifestam hæresim fuit lapsus, dico esse omnibus illis pœnis obligatum, quæ contra hæreticos sunt ipso iure impositæ.

PROBATVR MANIFESTIS RATIO-
nibus iustam esse hæreticorum pœnam, de qua in
præcedenti capit. tractatum est
Caput. VIII.

VIA TOTIVS huius nostri operis finis, & pri-mus scopus, ad quem nostram hanc pugnam dirigimus, est, ut iustum esse punitionem, qua ecclesia hæ-reticos ferit, ostendamus, opus est, ut eam pœnam, de qua in præcedenti cap. disputauimus, merito hæreticis suis-ſe infictam, probemus. Quisquis diligenter consyderauerit quantum valeant superiorum hominū exempla ad mo-uendorum subditorum affectus facile intelliget, quām iu-sum imò (vt verius dicam) necessarium sit, omnem præ-lationis potestatem ab hæreticis auferre. Scipio Africa-nus dicebat nullo se magis animari ad virtutem, quām suorum maiorum exemplis : quorum imagines in foro, depictas videbat . De Julio Cæsare refert Plutarchus, quod cūm ille in Hispania res quasdam Alexandri pictas cerneret, secum diu cogitabundus, postmodum lachry-mas fudit, cuius rei causam admirantibus sociis : Nonne (inquit)

(inquit) iure dolendum arbitramini, quod huius ætatis Alexander tot gentes suo subdidit et imperio, qua nullum adhuc præclarum facinus ipse gesserunt? Et inde ad res præclaras gerendas expeditior, & fortior effectus est. Si eorum, qui iam prætererunt exempla tantum viuorum animos mouere possunt, multò magis id posse credendum est exempla eorum, qui supersunt, præsertim ea, quæ nō solum audiuntur: sed oculis inspiciuntur. Multo enim magis mouent visa, quam audita. Temistoclem enim valde multum iuuauerunt ad virtutem Miltiadis exempla. Nam Temistocles quum esset adolescentis, in computationibus, aliisque carnis illecebris volutabatur. At postquam Miltiades factus Imperator, apud Marathonem deuicisset Barbaros, nullus illū deinceps vidit quidquam agere indecorum. Percontantibus autem multis quid fuisset in causa, ut sic fuerit repente mutatus: respondebat, Miltiadis Tropheis se fuisse à somno suscitatum. Cicero libro quarto Tusculanarum quæstionum refert: Demosthenem adeò vigilasse, ut cum opificibus de vigilia contenderit, & dolere se aiebat, si quando opificum antelucana vixcus esset industria. Habent tantum vim, & potestatem exempla præsertim illorum, qui auctoritate aliqua reliquos præcellunt, ut ad illa imitanda subditorum animos non solum urgeant: sed quasi cogere videantur. Ideo Paulus reprehendens Petrum, eò quod propter Iudeos, qui à Iacobo Hierosolymorum Episcopo venerant, simulate se à gentibus subtrahebat nolēs edere cum illis, dixit illi: Gentes cogis iudaizare. Nam quia Petrus supremus erat totius ecclesiæ pastor, & rector, cuius vestigia cæteri sequi debebant; ideo tanti aestimauit Petri exemplum Paulus, ut suo exemplo illum non solum ad iudaismum alios suadere, sed cogere dixerit. Et meritò sic dixit, cogitans quod multò plus mouent exempla, quam verba. Propter quod filius Dei factus pro nobis homo, volensque hominibus certissimam viam, qua ad gloriam ecclesiæ peruenirent, ostendere: prius exemplis, & postea verbis nos ad illam instruxit. Nam prius (ut ait Lucas) coenit facere, & postea docere. Quem locum pertransiens Chrysostomus Homilia prima super Actis Apostolorum, ait: Eoq; Apostoli prius vitæ exemplis docebant,

Gal. 2.

Actuum 1.
Chryso-

deinde verbis. Quin potius ne verbis quidem erat opus, quum clamarent opera. Hæc Chrysostomus. Hinc oritur, ut peccata publica grauiora censeantur, quam secreta, & tanto grauiora, quanto à persona maioris autoritatis, & quæ magis tenebatur bonum aliis præbere exemplum, fuerint cōmissa. Ideo de malis sacerdotibus, dominus per

Ezecl. 44. prophetam Ezechielem ait: Facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. Quæ verba pertractans beatus

Gregor. Gregorius parte prima Pastoralis cap. 2. ait: Nemo qui propter amplius in ecclesia nocet, quam qui peruerse agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Hæc Gregorius. Causa autem huius inde prouenit, quod qui publice peccat, alios ad idem faciendum suo exemplo hortatur, & ob hanc causam scandalizare dicitur: quia suo exemplo alijs offendiculum ad ruinam parat. Propter quod Saluator noster huiusmodi scandalizanti acerbe minatur, sic inquiens: Qui scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspeditur mola asinaria in collo eius, & demersatur in profundum maris. Qui sic alium scandalizat, non solum de suo: sed etiam de alterius peccato, qui illius exemplo ad peccandum motus est, ratione reddet. Quod non fieret: nisi quia ille peccati alterius causa fuit, suo exemplo illum ad peccatum vehementer impellens. Hæc omnia, quæ diximus, huc tendunt: ut per illa notum omnibus fiat quanta sit exemplorum potentia. Et si tantum valent quorumlibet hominum exempla ad mouendos aliorum hominum affectus: multò magis valebunt exempla illorum, qui aliqua authoritate, & potestate reliquos præcellunt. Et hinc luce clarius constare poterit iustum esse, ut omnis ab hæreticis auferatur prælationis, & dominij potestas. Timetur enim iustè, ne his, qui præest subditos suos ad eandem hæresim suo exemplo trahat. Filii parentes suos ferè semper imitari nituntur: & ad illorum exemplum vitam suam frequentissime componunt. Est enim à natura insitum filiis, ut parentes suos ament, & inde euenerit, ut quæcumque in parentibus viderint bona esse censeant. At quod quisq; bonum existimat: illud appetit,

Mat. 18.

& illud imitari conatur. Præter hunc mutuum parentum, & filiorum amorem, est adhuc alia, & quidem potissima causa: quæ filios ad parentum suorum imitationem vehementissime impellit. Hæc est assidua parentum, & filiorum mutua conuersatio. Parentes enim suos filij vident, quum comedunt, quum bibunt, quum ludunt, quum iocantur, quum irascuntur, quum subsannant. Vident eorum ingluuies, ebrietates, prodigalitates, tenacitates, fornicationes, adulteria, & cætera id genus vitia.

Audiunt illos detrahentes, adulantes, mentientes, jureres, peierates, blasphemantes, atq; alia multa, quæ virum pudicum non decent loquentes. Raroq; contingit, ut rem alicuius momenti parentes domi faciant, aut dicat: quod filios lateat. Quantum autem nocere possint mali hominum mores, his qui perpetuam cum illis habent consuetudinem, sacra scriptura multis in locis nos apertissime docet. Qui cum sapientibus graditur (ait Salomon) Prou.13. sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. Et iterum: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et Ecclesiasticus elegantí similitudine hoc ipsum explicat, dicens: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Denique propheta Regius ait: Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris. Si conuersatio bonorum proficere potest: conuersatio malorum multo magis obesse poterit, quia sumus omnes natura procliviores ad malum, quam ad bonum. Difficillimum est, ut quis inter malos innocenter conuersetur. Propter hanc duplē cem causam parentes suos filij magis quam ceteros homines imitantur: quia illos magis diligunt, & longiorem cum illis habent conuersationem. Faciliusq; eorum malos imitantur mores, quam bonos, quia natura iam per peccatum quodammodo corrupta fortius impellit ad malum, quam ad bonum. Et hinc euénit, ut raro contingat patri vitioso filius studiosus. Scio quidem aliquando ita contingere: sed hoc rarum est. & albo notatum, ego autem de his, quæ frequenter, & quasi semper eueniunt loquor. Pater si est mercator, filios habet mercationi deditos, filiusq; filios habet lusores: si fornicator, filios nutrit

Prou.13.

Prou.22.

Eccle.13.

Psal.17.

fornicatores; si idololatra filios docet idolatriam; si de-
niique hæreticus est, eadem hæresi inficit filios. Hoc ma-
nifesta experientia in multis comprobatum est, qui filios
suos in eandem traxerunt hæresim, in quam ipsi fuerunt
læpsi. Testis est Bohemia, quæ postquam sub Venceslao
illorum Rege, & Sigismundo Romanorum Imperatore,
annis ab hinc plus quam centum & quadraginta à fide
Catholica defecit, nunquam ad illam hucusque rediit,
non ob aliam causam; nisi quia filii illorum eundem à
teneris annis imbibunt errorem, quo parentes suos affe-
ctos esse vident. Timeo certè, ut (quod Deus pro sua pie-
tate auertere dignetur) idem eveniat Germaniæ. Quia
si filii eadem hæresi Lutherana à parentibus imbuuntur,
qua illi nunc sunt infecti, tardè illa prouincia ad fidem
Catholicam conuertetur. Adolescens enim (ut at Salo-
Prou. 22. mony iuxta viam suam etiam quum senuerit, non rece-
det ab ea. Et egregius Poëta dixit.

Horatius. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Iustum igitur fuit, & necessarium, à parentibus hæreti-
cis patriam omnem auferre potestatem, & filios sui iuris
suiq; arbitrii facere, ne parentes sua autoritate, suoq; ex-
emplo filios in eandem hæresim traherent, & filii, iuris
authoritate fulti, possint, si velint parentibus resistere, tan-
quam qui iam sunt ipso iure ab illorū potestate liberati.
Propter hanc causam multi Theologi è quoq; nume-
ro est sanctus Thomas, docent non esse licitū infidelium
paruulos inuitis parentibus baptizare quia talis baptiza-
tio (ut aiunt) vetteretur postea in contumeliam fidei
Christianæ, quia parentes nutriti filios in errore suo:
qui sic in pueritia nutriti, nunquam postea fidem Catho-
licam, quam in baptismino suscepserunt, perfectè tenerent.
Alij tamē Theologi, inter quos recensetur Doctor subti-
lis Scotus, qui oppositam sententiam tuentur, propter
eandem causam censem, filios infidelium, qui inuitis pa-
rentibus fuissent ex imperio principis baptizati, esse sta-
tim post baptismum à parentum cura, & potestate semos-
uendos, ne si apud illos manerent, à parentibus suis in-
eundem infidelitatis errorē traherentur, quo illi sunt in-
fecti. Si iustum est, ut patriæ potestatis dominium à pa-
ren-

rentibus hæreticis auferatur, ne ipsi filios suos eadem hæresi inficiant, multò iustius est, vt aliud quodlibet ciuile, & politicum dominium sit ipso iure à dominis hæreticis ablatum. Nam qui hoc tenent dominium pluribus nocere possunt, quam qui solum dominio gaudent paterno, eò quod latius est dominium politicum, aut regale, quam paternum, & pluribus imperat Rex, aut Dux, aut Marchio, aut quiuis alius dominus, quam qui solum est pater. Deinde plus potest Rex erga subditos, quam pater erga filios, & hinc euenit, vt sæpè subditi magis contentur Regem suum imitari, quam filij parentem. Possunt quidem Reges eò quod diuiniis pollent, munera plura dare, & quia tam potentes sunt, vt nullus subditus ruin illis resistere valeat, possunt subditos suos, cum eis libuerit, variis poenis affligere. Ex primo oritur apud inferiores homines spes alicuius muneris recipiendi. Ex secundo oritur in subditis metas principis, ne videlicet circa eos quidquid ponarum potest, cum libuerit exercitat. Hæc duo videlicet metus, & spes solent animos hominum in adulacionem impellere, quidam enim, vt ea, quæ anxiè cupiunt, assequi possint: alij verò ne poenas, quas vehementer metuunt, incurvant, principibus suis omni ex parte placere procurant. Ea faciunt, & dicunt, quæ sponte riant principi suo grata esse futura, ea dicere, & facere omitunt, quæ principi disPLICERE intelligunt. Qui molibus vestiuntur (inquit Saluator noster) in domibus Regum sunt. Nam in domibus Principum sunt adulatores & qui hominibus placere student. Optimè igitur, & eleganter Claudio Poëta in lib. de quarto Honori Augu-
sti consulatu dixit,

Mat. II.

Componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic infletere sensus
 Humanos edicta valent, quam vita regentis.
 Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.
 Et libro primo de laudibus Stiliconis iterum ait:
 Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
 Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.
 Ex his igitur omnibus apertissimè colligere licet, quantum Rex hæreticus possit subditis suis in fide nocere.
 Illius enim exemplum multos à fidei veritate defleteret:

Claudian.

qua

quia pars metu, pars amore illius, aut suarū rerum idem
quod ille assuebat, docebunt, prædicabunt. Cum
Mat. 2. Magi ab oriente verissimē Hierosolymam quæentes Re-
gem Iudæorum tunc recens natum, iubatus est Her-
odes, & omnis Hierosolyma cum illo. Non est mirum,
quod Herodes, qui alienigena, & tyrannus erat, turbetur
auditio nomine Regis, & illum perdere velit. Ita enim se-
res habet, ut si quis regnante ipso alterum appelleret ibidem
Regem, mille eum periculis exponat, atq; in apertum tra-
dat interitum.

At quod Hierosolyma auditio nomine sui Regis, tunc
nati, turbetur, res est admiratione digna : quia magis
ob eam rem lætari, & exultare debuisset, quam turbari:
quia sciebat Herodem alienigenam esse, & nihil de re-
gni iure habentem. Quo sit, ut de electione tyranni, &
regis aduentu lætari debuisset. Sed si Claudiani senten-
tiā ad memoriam reuocemus, facile intelligemus ita
fieri oportuisse, ut Regē turbato omnis Hierosolyma si-
mul cum illo turbaretur. Quia (ut Claudianus dixit)
mobile mutatur semper cum principe vulgus. Rege er-
go hæretico existente necessario eueniet, ut populus in
eandem hæresim trahatur. Quod si facere contempse-
rit, multis tormentis, variisque cruciatibus ad id facien-
dum compelletur. Huius rei plura, quam vellem extant
manifestissima exempla, è quibus aliqua producere de-
creui, ut quæ diximus illorum testimonio comprobe-
mus. Multi fuerunt in populo Israel Reges idololatræ,
vt Ieroboam, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab & Ocho-
zias. His autem regnantibus, populus Idolis sacrifi-
care non desitit, eo quod sequebatur perfidam Regum
suorum insaniam. In noua lege, & Evangelica multi
fuerunt Reges hæretici, qui ecclesiam Catholicam acer-
rimè vexauerunt, adeò ut illorum causa multi à fide Ca-
tholica defecerint. Julianus Apostata postquam fidem
deseruit, ecclesiam Catholicam plusquam quilibet aliis
Rex gentilis est persequutus. Multos fidem negare co-
git, multos ad martyrium perduxit. Reges Gothorum
eo quod Arriana hæresi erant infecti, magnam ob hanc
causam Christianorum stragem fecerunt in Italia, &
Hispania. De atroci crudelitate, quam in Christianos
Vuandali

Vuandali exercuerunt in Africa, extat historia duo: bus libris partita, & à Victore Episcopo conscripta. Solum vnum ex Gothis, quod in Hispania contigit exemplum proferam: cuius meminit beatus Gregorius lib. 3. dialogorum, cap. 31. quod satis esse arbitror ad ostendendum, quantum sit Rex hæreticus ecclesiæ Catholicæ novius. Leonig. Idus Hispaniarum Rex, & à Gothis originem trahens. Arriana hæresi cum fuisse infectus, eadem Leonig. hæresi filios suos, regnumque suum inficere nitebatur.

Ermigildus autem primogenitus eiusdem Regis filius, ac proinde torius regni hæres, suadente beato Leandro tunc Hispalensi Episcopo, hæresim Arrianam deserens, ad fidem Catholicam conuersus est. Quem pater Arrianus, ut ad eandem reuocaret, primum blanditiis & praemissis, deinde minis, & tortoribus erga illum egit. Quæ omnia cum non possent animum illum constantissimum à fide Catholicæ, vel tanillum deflectere, iratus pater illum prius hæreditario iure regni priuatum in vincula, & carceres coniecit. Adueniente autem Paschatis festo, quo ex timore, & ecclesiæ vniuersalis decreto, Christiani sacramentum Domini corpus sumere solent, perfidus pater Arrianum Episcopum ad filium misit, ut ex manu illius cōmissionem perciperet, ut per hoc illum sibi pater cōciliaret. Sed vir Deo plenus Ermigildus hoc facere recusauit, & Episcopo venienti exprobrauit, & magna constiantia illū à se duris intrepationibus repulit. Hoc cum Arrianus pater audiret, infremuit: statimque paternæ pietatis oblitus apparitores suos misit, qui filium suum occiderent, quod fecerunt. Quid quæso hæreticus contra fideles facere destitisser, qui pro tuenda hæresi Arriana proprio filio non pepertit: sed carnificibus tradidit illum? Qui tam atrociter infectatus est proprium filium, putasne equiorum animo cæteros prosequeretur fideles? Sed opus est, ut ex nostro hoc seculo aliqua proferamus exempla: quoniam hæc magis, quam reliqua: quæ iam præterierunt, animos intuentium mouere poterunt. Cum Martinus Lutherus annos, ab hinc trinaria, suos in Saxonia effundere compisset errores: statim illi acquieuit Fredericus Dux Saxonum, cuius exemplo, & authoritate populus motus in eandem lapsus est hæresim. Idem contigit Lantgra-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

uio Hessie Philippo. Merito igitur decretum est, ut Rex, aut quisvis alius secularis dominus factus haereticus, ne populis fidelibus sibi subiectis nocere possit, sit ipso iure dominio regni, & qualibet alia seculari potestate privatus.

DE ALIA HÆRETICORVM

pœna, quæ est infamia, & de cæteris, quæ ex illa sequuntur.

Cap. IX.

In ter alias pœnas, quibus ecclesia haereticos merito puniendos fore decreuit, infamia recensetur, quæ tanto cæteris pœnis grauior æstimari debet, quanto fama reliquis omnibus merito anteponitur transitorii bonis.

Prou. 12. Melius est nomen bonum (inquit Salomon) quam diuitiae multæ. Hoc autem bono nomine priuatus est, quis haereticus est, siue occultus ille sit, siue manifestus. Hoc tamen interest inter occultum haereticum, & manifestum, quod occultus haereticus sola iuris infamia censemur infamis, & non infamia facti: quia eius crimen cum nondum sit manifestum, famam illius tollere non valet. Haereticus autem manifestus, & infamia facti, & infamia iuris iudicatur infamis. Infamiam facti incurrit quisque per criminis sui manifestationem, & tanto grauiorem incurrit infamiam, quanto grauis est crimen, quod commisit, & tanto maiorem, aut latiorem, quanto peccatum est pluribus manifestum. Non est enim eadem mensura metienda infamiae grauitas, & eius latitudo, siue extensio. Nam si Petrus graue aliquod crimen paucis manifestum committat, & Ioannes leue aliud crimen multis scientibus perpetrauerit, infamia Petri grauior censembitur, Ioannis vero maior, aut latior.

Quo fit, ut infamia facti, quam haereticus ex criminis sui manifestatione incurrit grauissima sit censenda: quia haeresis (ut supra libro primo, capitulo secundo docuimus) inter grauissima recensetur peccata. Infamia iuris est illa, ad quam ex iuris decreto aliquis damnatus est, Sunt enim peccata aliqua, quorum quilibet, si quis committat, iure ipso censetur infamis, ut qui exercet improbum fœnus, exigens usurpas usurarum, tertia quæstione septima paragra. Porro, Et qui contrahit simul cum duabus,

bus, vel qui simul duas habet sponsas, lege, quid ergo. ff.
 de his, qui no. infam. & capitulo. Nuper à nobis. extra
 de bigamis. Et qui locauit operas suas, vt pugnaret cum
 sera. ff. de postulando. lege prima. paragrapho. bestias. c.
 Et generali eloquutione quisquis per sententiam iudicis
 damnatus est de crimine publico, ipso iure censetur esse
 infamis. Hoc autem ultimum solum censetur verum,
 quando damnatus est per sententiam diffinitiuam, non
 autem per sententiam interloquitoriam, & quando
 damnatus est ab ordinario iudice, & non si damnatur ab
 arbitro. Ie. quid ergo. paragrapho. Ex compromisso. ff.
 de his, qui no. infam. Hæresis autem utroque iure, & ci-
 uili, & canonico publicum censetur crimen: quia illud
 iure ciuili publicum dicitur crimen: cuius denunciatio,
 vel accusatio non solum personæ, quæ ex criminis illo ali
 quam passa est iacturam: sed cuilibet ex populo compe-
 tere potest. Sunt enim aliqua peccata à iure signata, quæ
 propter illorum grauitatem ab omnibus accusari pos-
 sunt: ne maneant impunita, vt sunt homicidia, parrici-
 dia, adulteria, crimen læse maiestatis. Atque ideo pub-
 licis dicuntur crimina: quia ad publicam spectat utilita-
 tem, vt talia puniantur: quoniam nisi id fieret, plurima
 inde reipublicæ euenirent incommoda. Nullum est au-
 tem hæresis criminis nocentius, & quod grauius reipub-
 licæ incommodare poscit. Propter quod Paulus de hæ-
 reticis loquens, dixit: Sermo eorum, vt cancer serpit.
 Merito igitur quilibet ex plebe de criminis hæresis accu-
 sare potest: ne licentiosa impunitate amplius grassetur,
 & totam suo veneno inficiat rempublicam. Ea enim, quæ
 in religionem diuinam committuntur, omnium respi-
 ciunt iniuriam. Ie. Manichæos. C. de hæreticis. Quæ au-
 tem omnibus inferunt iniuriam: ab omnibus accusari
 possunt. Quo fit vt crimen hæresis ab omnibus possit ac-
 cusari, & inde sequitur, vt iuxta iuris ciuilis regulas, &
 præcepta, inter publica crimina sit recensendum. Iure au-
 tem canonico id multò apertius ostenditur: quia secun-
 dum ius canonicum, omne crimen dicitur publicum:
 quoniam ad publicam spectat utilitatem, vt nullum cri-
 men sit impunitum, vt patet per cap. crimina. de collus.
 dete. iuncta glossa. Vnde consequens est, vt quisquis ab

2. Tit. 2.

ab

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

ab ecclesiastico iudice de crimine aliquo est damnatus, sit eo ipso insamis, ac si damnaretur de crimine publico. Quid (ut notat Angelus de Aretio. Institu. de suspect. tu. paragrapho. suspectus) eo solo casu est verum, quando talis damnaretur propter dolum, nō propter culpam. Quisquis ergo de hæresi damnatus est, vtroque iure censetur infamis, & tanto magis quanto hæresis cæteris peccatis est peius. Sed dubium est, an hæreticus antequam de crimine hæresis à iudice damnetur, sit ipso iure infamis, an requiratur, quod sit prius de crimine hæresis damnatus, ad hoc, vt infamiam iuris incurrat. Et fortè alicui videbitur hæreticum ante damnationem non esse dicendum infamem : quia regulare esse dicitur in criminibus publicis, quod nunquam in illis incurritur iuris infamia : nisi post iudicis ordinarij sententiam diffinitiuam. lege prima. ff. de his, qui no. infam. & notat Dinus in regula, infamibus. & Panor. in capitu. Testimonium. de testibus. & in capitu. exceptionem. de exceptionibus. Sed his non obstantibus mihi videtur dicendum hæreticum ante damnationem esse ipso iure infamem. Ad quod dicendum aliquibus persuadeor rationibus. Primo quidem inde moueor, quod credentes hæreticorum, & eorum receptatores, qui propter hoc excommunicati, satisfactionem congruam infra annum reddere neglexerunt, velut hæretici reputantur. vt patet in capitulo, Contumaciam. de hæreticis. libro sexto. Inter Cæteras autem penas, quibus huiusmodi credentes, & receptatores hæreticorum à iure puniuntur : vna est, quod ipso iure sunt infames, vt patet in capitulo. Excommunicationis. paragrapho. credentes. extra de hæreticis. Quibus verbis aperte insinuatur hæreticum omnem esse ipso iure infamem. Præterea, propter vnumquodque tale (vt ait Aristoteles) & illud magis : ergo si credentes, & receptatores hæreticorum, sunt propter hæreticos ipso iure infames, oportet, vt hæretici ipsi, propter quos est illis hæc pena inflictæ, sint etiam ipso iure infames. Rursum, omnia, quæ conueniunt his, qui sunt ipso iure infames (vt ex sequentibus patebit) conueniunt etiam hæreticis. Consequens est igitur, vt hæretici censeantur ipso iure infames. Nec opus est declaratione aliqua, aut

aut criminis condemnatione: sed eo ipso, quod facti sunt hæretici, iuris infamiam incurunt. Quemadmodum supra diximus de dominio bonorum omnium, quod à die commissi criminis absque aliqua alia damnatione, aut declaratione, hæreticum amisisse ostendimus. Et iustum quidem erat, vt talem infamiam ipso iure incurrent hæretici: quoniam hæresis crimē multo grauius est omnibus illis, quae supra recensuimus, propter quorum quodlibet ipso iure incurritur infamia: ergo multo iustius erat, vt propter hæresim iuris infamia incurretur, quam propter reliqua omnia. Quod autem dicitur regulare esse in criminibus publicis, vt nunquam propter illa incurritur infamia: nisi post iudicis ordinarij sententiam: quanquam veritatem habeat in reliquis omnibus criminibus, fallit tamen in illis, quae sunt à iure notata, quae si quis commiserit, est ipso iure infamis.

Ex istorum numero (vt diximus) est crimen hæresis. Quo fit, vt hæreticus etiam ante condemnationem sit ipso iure infamis. Hæc pœna non solum ipsos hæreticos: sed etiam illorum filios punit, ita vt parentum hæreticorum filij quanuis fideles ipso iure censeantur infames. Et merito quidem hanc pœnam ad filios usque extendendam esse definitum est. Quia sicut gloria, & nobilitate parentum gaudent filij, ita iustum erat, vt è contrario parentum dignitatem, dedecus, & infamiam in se ipsis sentirent. Gloria filiorum (inquit Salomon) parentes eorum. Nam qui à parentibus bonis genitus est, naturalem quandam inclinationem ad bonum, vt in plurimum ab ipsis parentibus suscipit.

Quoniam ab illis corporis complexionem deducit, quæ si bona est: nō paruum est ad virtutem adiutorium, & incitamentum. Vnde Aristoteles libro primo Politicorum, capitulo quarto ait: Ut ex hominibus hominem, ex bestiis bestiam: sic ex bonis bonum generari: sed natura quidem hoc vult, attamen plerunque non potest. Hæc Aristoteles. Præter illam inclinationem, quam à parentibus suscipiunt filij: inept etiam ipsis filiis naturalis quædam parentum suorum imitatio, quæ multis magnum est, semperq; fuit virtutis adiumentum. Nam iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur,

tur, solent maiorum suorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aspirare fœlicitatem. Sic Philippus nomen Alexandrum, sic maioris Aphricani gloria minorem Scipionem: sic Iulij Cæsaris tama Octavianum excitauit. Sic denique fuit Pyrrhus Achileides animosus imagine patris. Hinc suspicio oritur de filiis, ut tales illi sint, aut saltē futuri sint, quales parentes eorum fuere. Et hæc est illa filiorum gloria, quæ ex parentum nobilitate, & virtute oritur, ut bonus, & studiosus ille credatur: quia bonorum est filius. Pro hac sententia est, quod Aristoteles loco præfato, ait: Helenam apud Theodectum in sui laudem dixisse. Ex diis (inquit illa) ab vtraque stirpe prognatam, quisquam appellabit seruam? Et beatus Paulus in ea, quæ est ad Romanos epistola ait: Si radix sancta, & Rami: Sic ex Abraham ortus est Isaac, & ab hoc genitus est Iacob, ex Thobia Seniore prodidit Thobias iunior atque bonus, & sanctus, ac pater. Ad eundem modum de malis sentiendum est: quoniam ex prauis parentibus procedunt fermè semper filii peruersi, paternæ iniquitatis imitatores, quemadmodum ex Cicuta oritur fructus virulentus, aut ex sentina aliqua defuit aqua putrida, & sordida. Et hoc ipsum Salomonis testimonio

Rom. 11.

Sap. 4.

Adagium.

comprobatur, qui in libro Sapientie ait: Ex inquis enim omnes filii, qui nascuntur, testes sunt nequitie aduersus parentes in interrogacione sua. Tam vera semper reputata est hæc sententia, ut veteri adagio celebretur, quod ait: Mali cotui malum onum. Non sunt tamen hæc omnia tam constanti, & invariata lege firmata, ut contrarium evenire non possit. Nam aliquando accidit, ut ex bonis parentibus mali procedant filii, tanquam pestilens fructus ex arbore bona, aut aqua amarulenta de dulci fonte profluens. Sic ex Adam ortus est Caim: Ex Noë Chan: Ex Isaac natus est Esau. Et (ut ad prophanas veniamus historias) Scipionis Aphricani filius (ut de illo refert Valerius Maximus) vecors, & ignavus fuit. Quinti Fa: bii Maximi Imperatoris clarissimi filius tam perditam luxuria vitam (eodem Valerio referente) egit, ut bonis omnibus paternis sit illi ab Urbano Prætore interdictus. E contrario ex malis parentibus etiam aliquando oriuntur boni, & virtutis studiosi filii, quemadmodum Rosæ de

de spinis. Nam ex Achaz pessimo Rege & idololatria (vt Regum narrat historia) natus est fideiis, & sanctus Rex 4. Reg. 16.
 Ezechias. Et Iosias ille Rex sanctus, qui tulit ab omnia-
 tiones impietatis, cuius memoria (vt inquit Ecclesiasti-
 cus) quasi mel indulcabitur, filius fuit impij, & idolola-
 træ Regis Amon. Sed hæc rara sunt exempla, quondam verò
 frequenter, & quasi semper euenit, est malos ex malis pa-
 rentibus generari, & bonos ex bonis. Huius rei tam multa,
 & tam aperta sunt exempla, vt non sit opus recensere.
 Causam verò huius si quis nosse cupit, illi libenter offe-
 rimus. Certum est varias animorum inclinationes, ex
 variis corporis complexionibus oriri. Nam qui cholera
 abundat, facile irascitur, facileque remittit. In quo pitui-
 ta viget somnolentiam, & pigritiam patitur. Qui san-
 guine pollet, lætis gaudet, & ad omnes carnis delicias est
 facile proclivis. Qui bilem atram, aut melancholiam
 plus satis habet tardè irascitur, tardeque remittit, læta fe-
 ré omnia fugit, tristibus delectatur, solicitudines querit,
 frequentias hominum deserit. Corporis complexiones,
 & qualitates tam variae, ex variis parentum complexio-
 nibus ferè semper oriuntur. Quoniam ex semine à pa-
 rentibus in actu generationis deciso, filii corpus coagu-
 latur, & coalescit, & deinde ex sanguine matri paulatim
 formatur, & nutritur, & sic simul cum corpore corporis
 inclinationes à parentibus recipit. Hanc sententiam duo-
 bus versiculis eleganter complexus est Baptista Mantua-
 nus, sic inquiens:

*Qui viret in foliis, venit à radicibus humor,
 Et patrum in natos abeunt cum semine mores.*

Baptista
Mantua:

Et hinc oritur infamia, quam filii à parentibus iure con-
 trahunt. Præsumit enim ius, & meritò, filios tales esse fu-
 turos, quales eorum parentes fuisse experientia comper-
 tum est. Nam in cap. si quis. s. q. i. dicitur quod in filiis, pa-
 terni, hoc est, hæreditarij criminis exēpla metuuntur. Iustè
 igitur hæreticorū filii censentur infames: quia meritò de
 illis suspicandū est, vt (nisi aliundè adiuuētur) in eū quo
 parentes infecti fuere, labatur errorem. Hanc tamen iuris
 infamiam non sustinebunt filii eorū hæreticorum, qui ab
 hæresi resipiscentes, ad fidem Catholicam redierunt, &
 ecclesiæ unitati adhæserunt. ca. statutum. 2. de hæret. lib. 6.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Ex hac iuris infamia, veluti ex radice quadam, aliæ pœnæ oriuntur. Hæreticus non potest esse testis, vt patet in cap. i. extra de hæreticis. & cap. ipsa pietas. 23, quæst. 4.

Et merito repellitur hæreticus à testimonio peñibendo: quia inter multa, quæ in teste requiruntur, est fama, cap. testimonium, extra de test. & attest. & cap. præterea de testibus cogendis. Et Isidorus in lib. Ethymologiarum

Isidorus. de testis qualitate loquens, ait: Si vita bona defuerit, fide carebit. Non enim potest iustitia cum scelerato homine habere commercium. Hæc ille. Et habentur hæc verba in cap. Forus, extra de verbo, signifi. Deinde (vt dicitur de regulis iuris, lib. 6.) semel ihalus semper præsumitur malus: præsertim eodem genere mali. Hæreticus igitur, qui falsum dedit de fide Catholica testimonium: iuste præsumitur de qualibet alia re falsum datus testimoniū. 2. quæst. 7. cap. Non potest. Præterea sapiens Ecclesiasticus ait: A mendace quid verum dicetur? Quibus verbis satis aperte Sapiens docet non esse reddendam homini mendaci fidem. Non est ergo præbenda fides hæretico: quia semel in graui, pernitiosoque mendacio est deprehensus, & inde consequens est, vt non sit accipiens in testem. Hoc tamen non absolute, & vniuersaliter accipiendum est: quia inde excipienda est causa hæresis, in qua hæreticus contra hæreticum potest reddere testimonium. cap. in fidei fauorem. de hæreticis. libro sexto.

& secunda quæstione septima. capite. si hæreticus. Nam regula illa, qua docetur socios criminis non esse in testes admittendos, sicut fallit in crimen læse maiestatis, & simoniæ: ita etiam fallit in crimen hæresis. Hæreticus igitur contra hæreticum testificari potest: non tamen contra fidelem. Ex quo infero, quod hæretico semiplenæ probanti contra Catholicum Christianum non deferetur iuramentum in supplementum semiplenæ probationis: quanvis oppositum sit lege statutum. Nam lege præcipitur, vt semiplenæ probanti deferatur iuramentum necessarium in supplementum probationis. Ie. Admonendi. ff. de iure iurando. Ie. in bonæ fidei. C. de rebus creditis. & cap. super eo. extra de his, quæ vi, metusve causa fiunt. Tale autem iuramentum non est concedendum hæretico semiplenæ probanti contra Christianum: quia tale iuramentum

iuramentum supplet locum cuiusdam testimonij. Hæreticus autem cum à testimonio reddendo sit iure repulsus, consequens est, ut iuramentum non sit illi deferendum ad supplementum semiplenæ probationis. Præterea antequam iuramentum alicui deferatur ad supplendam semiplenam probationem, inspicienda prius est personæ qualitas, & anxiè examinanda, ut scilicet vir bonus ille sit rex, fidelis, timens Deum, qui pro magno aliquo pretio peierare non auderet. Quæ omnia cum longè absint ab hæretico, consequens est, ut non sit illi deferendum iuramentum ad supplementum semiplenæ probationis. Eadem etiā ratione hæreticus Catholicum accusare non potest, z. qu. 7. cap. alieni. & cap. Pagani. Qui alterius criminis iustè accusare, aut reprehendere voluerit, oportet, ut ab eisdem criminibus ipse sit alienus, z. q. 7. ca. qui sine. & cap. Postulatus. Et hoc ipsum egregius Poëta eleganter docuit, sic inquiens:

Loripedem rectus irrideat Æthiopem albus.

Iuuenal.

Altera est adhuc hæreticorum pœna, quæ etiam ex prædicta iuris infamia deducitur, & est priuatio cuiuscunq; dignitatis, & officij publici, & cuiuscunq; beneficij ecclesiastici, & indignitas, & inhabilitas, ad aliquid horum in posterum suscipiendum. Circa hęc tamen oportet admonere lectorem, quod hęc duo, videlicet, priuatio susceptorum, & indignitas ad suscipienda, non sunt æqua lance pensanda. Nam priuationem officij, aut beneficij suscepiti, nō incurruunt ipso iure hæretici: sed solum postquam ad illam priuationem fuerint à iudice condemnati. Nam verba, quæ habentur in cap. ad abolendam. paragra. præsenti. extra de hæreticis. non exprimunt sententiam à iure latam: sed sententiam à iudice ferendam, sic enim ibidem dicitur. Totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, si dixisset, sit ipso facto, aut ipso iure nudatus, sententiam expressisset latam. Dicens autem: Totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, aperte expressit sententiam à iudice ferēdam. Et in cap. Excommunicamus, paragrapho. credentes. verba eiusdem notæ ponuntur, quæ ferendam exprimunt sententiam, & non latam. Quo fit, ut hæreticus presbyter antequam per ecclesiastici cum iudicem sit ecclesiastici ordinis prærogatiua nuda-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

etus, & per Episcopum degradatus, non posset propter crimen hæresis, aut propter quodvis aliud crimen à seculari potestate puniri. Et si quis iudex secularis ante huiusmodi prærogatiæ denudatione in talem presbyterum hæreticum per se, aut per alium manus iniiceret violentas, incideret in sententiam canonis, si quis suadente diabolo. Quia ille talis quanvis hæreticus, gaudet ecclesiastici ordinis priuilegiis, quousque per sententiam competentis iudicis ecclesiastici sit illis priuatus. Sequitur etiam inde hæreticum, qui aliquod officium publicum habet, antequam officio spoliatur, facere fructus, qui ex tali officio proueniunt suos, qui fratrem in ius, & potestatem fisci succeditur. Huius corrolarii pars prima inde est manifesta, quod hæreticus ille adhuc retinet officium, & habet in illo veram, & plenam possessionem, & per consequens habet etiam ius ad fructus percipiendos. Tale enim ius ad fructus recipiendos oritur ex possessione officii, ergo cum nullo alio iure sit impeditus, ne tales fructus percipere posset, sequitur inde necessario, ut officio retento, retineat etiam fructuum receptionem, quæ ex tali officii possessione oritur. Nam concessio principali, conceditur quidquid ex illo pendet: nisi sit aliunde sublatum. Hoc autem non eveniret, si hæreticus esset ipso iure omni officio priuatus. Tunc enim fructus officii acquirere non posset: quia nullum ius ad illos fructus percipiendos haberet. Alteram corrolarij partem probo, quia hæreticus ipso iure priuatus est dominio omnium honorum suorum, & in eius locum subrogatus est fiscus, cap. cum secundum leges. de hæret. libro. 6. Et inde sequitur, ut fructus quos hæreticus acquirit, eo ipso quod sunt ab eo acquisiti, transseant in ius, & potestatem fisci. Potest etiam aliter dici, quod hæreticus licet non sit ipso iure officio & dignitate priuatus, est tamen in ipso iure priuatus iure percipiendi fructus, qui ex tali officio proueniunt, & ius illud succedit fisco sicut cætera bona. Et iuxta hunc modum dicendi, hæreticus quanvis officium retineat, non faceret fructus suos; sed fiscus ratione iuris, quod sibi propter hæreticum competit, eos acquireret sibi. Et forte hoc ultimum est magis iuri consonum, prouterea, quod in causa fin. extra de hæreticis, dicitur esse absolutos ab omni debito dominij, fidei:

idelitatis, & obsequi, qui hæreticis erant quomodolibet obligati. Et inde consequens est, ut qui hæretico ratione alicuius officij publici, aut dignitatis aliquos redditus debet, sit absolutus à tali debito reddendo, & ita hæreticus non habebit ius ad tales redditus exigendos, & per consequens nunquam faciet fructus suos: quanuis officium, aut dignitatem retineat. Hæreticus igitur licet non sit ipso iure priuatus officio, aut dignitate, est tamen ipso iure priuatus, iure exigendi fructus, aut redditus, qui sibi ratione officii, aut dignitatis competere poterant, & ius illius succedit fisco, donec hæreticus sit officio illo aut dignitate priuatus. Alia pœna, quæ est indignitas, aut inhabilitas ad officia publica, aut ecclesiastica beneficia recipienda, duriore, & acerbiore constringitur lege. Nam ut hanc pœnam incurrat hæreticus, non est opus aliqua iudicis sententia, quæ illum censeat indignum, aut inhabilem: sed postquam factus est hæreticus ipso iure censemur inhabilis, & indignus ad talia officia publica, aut ecclesiastica beneficia recipienda. Hoc apertissime docetur in cap. Quicunq;. paragra. hæretici. de hæret. lib. 6. Ibi enim decernit Papa, ut si securus actum fuerit, sit irritu, & inane. Nec soliū ille indignus, & inhabilis est, sed etiam omnis vir ecclesiasticus, qui ad preces hæretici, vel fautoris dignitates, personatus, & quæcunque alia ecclesiastica beneficia est adeptus, est illis omnibus ipso iure priuatus, & indignus, & inhabilis factus ad alia in posterum recipienda. Quæ pœna solos illos respicit, qui sciuerunt talia beneficia ad hæretici preces sibi conferri. Nam qui ignorauit beneficium sibi ad preces hæretici esse collatum, licet sit ipso iure tali beneficio priuatus, non tamen ad alia in posterum recipienda censemur inhabilis. Quæ omnia aperte docentur in capit. quicunque. paragrapho. ad hæc. de hæreticis. libro sexto. Hæc pœna indignitatis, & inhabilitatis non in solis parentibus sistit: sed ad filios usque protenditur, & aliquando latius euagata etiam in nepotes grassatur. Quæ diuersitas ex solo parentum discrimine oritur: quia si pater est hæreticus, indignitatem, & inhabilitatem suam ad filios suos, & ad nepotes usque mittit. Si vero sola mater est hæretica, filis filiis, & non nepotibus inhabilitatem impingit.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Et si pater, aut mater posquam alter eorum fuit factus hæreticus, deinde pœnituit, & hæresim deferens ecclesiæ vnitati se firmiter coniunxit, neque nepotes, neque filii vello pacto censebuntur ad ecclesiastica beneficia indigēni, aut inhabiles. Hæc omnia habentur in cap. Statutum secundo de hæreticis. libro sexto.

AN IVSTVM SIT, VT PRO-
pter hæresim patris filius Ca-
tholicus puniatur.

Cap. X.

Multi sunt qui iniustum, & plus satis acerbum esse putant, vt hæreticorum filij Catholici propter suorum parentum hæresim, eisdem quibus illorum parentes pœnis puniantur, ita vt sint infames quemadmodum illi, inhabiles ad officia, aut beneficia recipienda perinde ac illi, bonis omnibus paternis, quæ sibi hæreditario iure conuenire poterant, priuati vt illi. Vidi enim ego multos in Flandria, cum illic ante annos decem versaret, qui licet iustum esse censebant hæreticos puniri, male tandem illos habebat parentum hæreticorum pœnas ad filios eorum esse protensas, accusabantque eam hæreticorum punitionem, quæ canonico, & ciuili iure præcipitur: & Hispaniam impetebant, propterea quod audierant omnia iura, quæ à summis Pontificibus, aut à Cæsaribus sunt contra hæreticos statuta, ad unum usque in Hispania obseruari, & in me tanquam in juris propaginatorem vehementer inuehebant. Dicebant enim indignum esse, vt quis sine culpa puniatur, cum Deus (vt aiebant) neminem pœna aliqua citra culpam afficiat. Et hoc ipsum testimonio confirmabant Augustini dicentis:

August. Non prius Deus est ultor, quam aliquis sit peccator.
Ezech. 13. Deinde ad suæ sententiæ robur addebat illud, quod Deus per Ezechielem prophetam loquutus est, sic dicens: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filii. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum. Quibus verbis aperte (vt dicebant) nos docet deus neminem pro peccato alieno puniendum: sed unumquaque pro suo. His ergo rationibus, quæ sibi videbantur

tan

tanquam nodus Herculeus indissolubilis , illi moti dicebant , iniustum esse , vt hæreticorum filij pro parentum iniquitate puniantur . Sed certè illi , & quotquot alii ita sentiunt , tota aberrant via , & suam magis , quam Catholice fidei causam agere videntur . Istorum error inde conuincitur , quod sic sentientes non solum iura , & decreta humana : sed etiam Deum accusare , & criminari videtur , qui sœpe filios pro peccatis parentum punit , ipsomet testante , qui ait : Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes , visitans iniquitatem patrū in filios in tertiam , & quartam generationem eorum , qui oderunt me . Visitans dixit : pro eo , quod est , punies , aut verberans , aut castigans . Nam cum aliquod horum erga nos in hac vita existentes pro nostris peccatis , Dominus facit : tunc nostras visitare dicitur iniquitates . Sic enim ipsem per David prophetam ait : Si iusticias meas prophanauerint , & mādata mea non custodierint , visitabo in virga iniquitates eorum , & in verberibus peccata eorum . Iuxta hunc modum visitare se dicit Dominus iniquitatem patrum in filios in tertiam , & quartam generationē : quia pro iniquitate parentum Deus punit filios usq; ad tertiam , & quartam generationem . Filij enim res quædam sunt ad parētes spectantes , & quæ inter omnes res externas magis ipsos parentes contingunt , & proprius ad ipsos accedunt . Et hinc euenit , vt illorum morbos ægreferant , perinde ac suos , de illorum aduersitate doleant , vt de sua , de illorum morte vehementius lugeant , quam de cuiuslibet supellec̄tilis amissione . Deinde filij sunt sub dominio , & potestate parentum constituti , & sunt quasi quædam parentum possessio . Vnde sequitur , vt quemadmodum infirmitas & mors serui cedit in damnum domini cuius est seruus ; ita etiam afflictio filij in damnum cedat ipsius patris : potest enim pater operis filij vti , & ilias locare quemadmodum serui . Et inde necessario sequitur , vt filio aut mortuo , aut ægrorante , damnum patiatur pater , & sic in morte , aut ægritudine filij pater puniatur , perinde ac puniretur in morbo , aut morte serui . Cūm ergo Deus filiis morbos , vulnera , famem , iniurias , aut quodvis aliud aduersum immittit , non tam illos , quam illorum parentes in ipsis punit .

Sic punitus est David in morte filij ex adulterio nati , vt 2.Re.12.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

in illo dolorem, & pœnam sentiret, quē ex illico coitu
& damnato genuerat. Puer enim non est punitus : sed
potius Deo miserante ante vsum rationis raptus est, ne
malitia mutaret animam illius. Mors ergo pueri quate-
nus ipsum respicit puerum, non punitio fuit : sed opus
misericordiae, quatenus vel ad ipsum David illius pa-
rentem spectat, opus fuit punitionis, & vindictæ, per
quam in eo, quod peccauerat, ille punitus est. Sic etiam
paruulos Sodomæ fine vlo peccato proprio simul cum
parentibus suis igne consumptos, & paruulos cum Da-
than & Abiron sine proprio peccato viuos à terra deglu-
titos Dominus non puniuit: sed potius illorum miseritus
est, cum illos innocentes ex hac vita migrare compulit:
ne si in illa diutius perficiantur, paternarum iniquitatum
fuisserent imitatores effecti, & sic grauiores postea pœnas
sustinerent. Aliquando etiam filios proiectæ æriatis Deus
pro parentum peccatis affigit, per quam afflictionem
non filios: sed ipsos parentes punit Filiis quidem talis af-
flictio cedit in bonum : quia per illam cautores fiunt ad
futura peccata cauenda, & eorum virtus, & meritum per
illam si patienter feratur, crescit. Quo fit, vt licet talis af-
flictio sit illis grauissima, & acerba: nunquam tamen respectu
illorum pœna dicetur, neq; punitio, secundum quod pœ-
na aut punitio dicit ordinem, & respectum ad culpam.

Parentibus tamen comparata talis filiorum afflictio pœ-
na dicetur : quoniam pro ipsis parentum peccato est
filiis inflicta, in quibus simul etiam parentes affliguntur.
Hinc est, quod peccante Cham peccato irreuerentiae in pa-
trem, filio ipsius Cham videlicet Chanaā maledixit Noe

sic dicens Maledictus Chanaam seruus seruorum erit fratri-
bus suis. Chanaam puer filio Cham maledixit Noe, vt
per illam maledictionem grauissima affligeret, & puniret
Cham, cum ille videret non solum se : sed etiam filium
suum à patre maledici. Et iuxta hunc modum non solum
filios sed etiam nepotes, & deinceps usque ad quartā gene-
rationem Dominus pro peccatis parentum affigit. vt in
illis puniat auum illorum, siue proauum, siue tritaui. Visitās
(inquit Deus) iniunctatē parrum in filios usque in tertiam,
& quartam generationem. Non dixit ultra quartā gene-
rationem: quia vita parentum raro adeò protenditur, vt

Gene. 19.

Num. 17.

Gen. 9.

Exo. 20.

post quartam, aliam ex se illi videant generationem, per cuius afflictionem possint ipsi puniri. Nam quia afflictio filiorum pro peccatis parentū, infertur à Deo ad ipsorum parentum punitionem: ideo congruum est, & necessarium, ut in solis illis filiis, siue generationibus fiat quas videre potest ipse peccans, Nicolaus Lyranus super Exodum hanc diuinæ vltionis sententiam interpretans, data prius hac, quam nunc retulimus expositione, aliam postea subiungit, sic inquiens, Alio modo intelligitur de pœna æterna, quæ infligitur filio pro iniustitate patris, inquantum est imitator paterni sceleris: ideo subditur. Vsq; ad tertiam, & quartam generationem. Quia sicut dictum est aliis quando mali homines vident filios suos usque ad tot generationes, & sic informant eos suis malis exemplis, vel illi imitantur, quod viderunt in patribus. Hæc ille. Et eandem sententiam videtur innuere sanctus Thomas in Secunda Secundæ. q. 108. art. 4. in responsione ad primum principale argumentum, vbi enumeras rationes, propter quas unus pro peccato alterius potest temporaliter puniri, sic ait: Alio modo inquantum peccatum unius deriuatur in alterum, vel per imitationem, sicut filii imitantur peccata parentum, & servi peccata dominorum, ut audacius peccent. Vel per modum meriti: sicut peccata subditorum merentur peccatorem prælatum, secundum illud Job. 14. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Vnde & pro peccato David populum numerantis, populus Israël punitus est, ut habetur. 2. Regii ultimo. Siue etiam per aliqualem consensum, seu dissimulacionem: sicut etiam interdum boni simul puniuntur in temporalibus: quia eorum peccata non redarguerunt, ut Augustinus dicit in primo de Ciuitate Dei. Hactenus sanctus Thomas loco supra citato. Sed salua reuerentia, quæ tantis viris debetur, mihi illorum sententia non placet, nec placere poterit alicui rem bene consideranti: nisi forte ille affectu potius, quam ratione ducatur, Filius siquidem paternæ iniustitiae imitator, si pro hac imitatione punitur a deo, non pro peccato patris punitur: sed pro suo: quia talis imitatio peccatum proprium est filii. Hoc autem filii peccatum quemuis non fuisset ad patris imitationem factum, nihilominus puniretur a Deo in ipso filio illius perpetratore;

Nicolaus
de Lyra.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

petrato: ergo quando fuerit ad patris exemplum comp-
misiūm, etiam erit puniēdum in ipso filio. Per hoc enim,
quod filius patris exemplo facinus aliquod perpetrauit,
non tollitur ab eo tota facinoris culpa: quamuis quodam
modo minuatur. Consequens igitur est, ut si Deus filium
aliquem propter paterne iniquitatis imitationem puniat,
pro peccato proprio illum punire dicatur, & non pro pa-
terno: quia talis imitatio (ut diximus) proprium est fi-
lii peccatum. Non conuenit ergo talis interpretatio lite-
ræ textus ex lib. Exodi supra citari, quæ ait: Visitans ini-
quitatem patrum in filios in tertiam, & quartam genera-
tionem. Tunc enim (ut ostensum est) non visitat Deus
iniquitatem patrum: sed iniquitatem filiorum in ipsissimis
filii. Præterea si iuxta illum modum Deus punit peccata
parentum in filiis, non solum usque ad tertiam, & quar-
tam generationem debet punire: sed in mille: quia quo-
quot patris iniquitatem fuerint imitati punientur a Deo,
etiam si usque ad mille generationes illa paternæ iniqui-
tatis imitatio progrederetur. Consiat enim quod sæpe ul-
tra quartam, & quintam generationem filii sunt paterna-
rum iniquitatum imitatores: quia sola fama, & aliorum
relatu sciunt parētes suos, & auos, & proauos, & tritauos,
& alios superiores ita fecisse. Pater quidem aut verbo, aut
malo exemplo male instruit filium suum, & iste hāc ma-
lam, quam a patre accepit doctrinam, ad eūdem modum
tradit filio suo, & iste alteri, & sic deinceps usque ad mul-
tas generationes. Peccata autem ista semper vocari solent
peccata illius primi, qui talia egit, ut facile est videre in
tertio, & quarto libro Regum, quibus locis quum descri-
buntur gesta Regum Israël, de multis malis Regibus ido-
lolatriis, dicitur. Et nō declinavit a via Ieroboam filii Na-
bath patris sui, qui peccare fecit Israel. Qui successionis
ordo ultra decimam Ieroboam generationem, nedum
ultra quartam protensus est. Fortè aliquis cupiens Nico-
lao Lyrano patrocinari: dicet terminum punitionis filio-
rum pro peccato parentum, non esse a Deo limitatum
usque ad quartam generationem: sic ut ultra nunquam
progrediatur talis punitio: quia ibidem non est dictum,
quod visitet Deus iniquitatē patrum in filios in tertiam,
& quartam generationem præcise. Quo sit, ut licet ultra
decimam,

decimam, & vigesimam generationem extendatur imita-
tio paternæ iniquitatis, pos sit omnis talis iuxta Dei sen-
tentiam, pro peccato patris puniri. Hanc expositionem
aperte expugnant ea, quæ in eadem litera textus conti-
nuo sequuntur. Nam quod postquam dixit: Ego sum Do-
minus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem pa-
trum in filios in tertiam, & quartam generationem eo-
rum, qui oderunt me, statim subdit: Et faciens misericor-
diam in milia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta
mea. Per quæ verba aperte satis docuit latissimam esse dif-
ferentiam, inter punitionem malorum, & præmium bo-
norum. Quia peccata parentum punit in filiis usque in
tertiam, & quartam generationem. Virtutes autem pa-
trum, qui bona illorum gesta remunerat in filiis usque in
mille generationes, hoc est, in valde multas. Hoc enim si-
gnificauit per illa verba: Et faciens misericordiam in mi-
lia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Deus
siquidem, quia pronior est ad parcendū, quam ad punien-
dum, ideo breuiorem facit punitionem malorum paren-
tum: quia filios pro paterna iniquitate non ultra quartam
generationem punit. Bonis vero parentum operibus, mul-
to longiora præbet munera: quia filios pro parentum vir-
tutibus post multas generationes beat, & muneribus va-
riis donat. At si Deus visitat iniquitatē patrum in filios,
non solum in tertiam, & quartā generationem: sed etiam
in mille, nulla iam esset differentia inter punitionem ma-
lorum, & remunerationem bonorum, quum etiam illa
(iuxta Lyræ expositionem) debeat in mille, & innume-
ras extendi generationes sicut ista. Rursum sicut lege di-
tina docemur neminem pro bono alterius esse saluandum,
ita etiam instruimur neminem pro peccato alterius esse
perpetuo damnandum. Nam Paulus de omnium siue
malorum, siue bonorum retributione loquens ait: Red-
det vnicuique secundum opera eius Non ergo secundum
opera parentum. Et iterum: Vnusquisq; nostrum pro se ra-
tionē reddet Deo. Vide quod dicit pro se. Filius ergo nō
reddet rationē Deo pro parentibus suis. Et Sapiens ait:
Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Vnde sequitur,
vt filius non sit torquendus in eternum per ea, quæ paren-
tes eorum peccauerunt. Hæc igitur Nicolai Lyrani sen-
tentia:

Rom. 2.

Rom. 14.

Sap. II.

tentia:qua dicit pœnam æternam infligi filio pro iniquitate patris , inquantum ille est paterni sceleris imitator, non est villo pacto toleranda : sed quæ male, aut saltē minus caute super Exodum loquutus fuerat, correxit super decimum octauum caput Ezechielis prophetę, dicens filium puniri pœna spirituali , & æterna pro peccato patris occasionaliter:quia peccatum patris præbuit filio occasiōnem peccati, pro quo filius tandem punitus est. Nam in illo loco Nicolaus Lyranus hæc , quæ sequuntur ait: Sciendum tamen quod filii parentum malorum frequenter imitatores sunt paternorū scelerum, eo quod sunt inter eos nutriti, & facta parentum habent in autoritate maiori, & sic frequenter puniuntur etiam corporaliter, & sp̄ ritualiter pro peccato parentum:occasionaliter tamen in quantum accipiūt ab eis exemplum:sed pro peccatis propriis simpliciter. Hæc ille. In quibus verbis, aut quod super Exodum maledixerat, correxit, aut quod illic obscure dixerat, hic clare exposuit. B. Thomas cautius loquutus est : & ideo verba illius non tanta indigent excusatione, aut interpretatione. Nā vir sanctus loco supra citato aper te fatetur neminem pro peccato alterius esse pœna spirituali puniēdum. De hoc tamen inter illum & Nicolaum Lyranum conuenit, quod ille etiam docet filium esse pro peccato patris temporali pœna puniendum, quando peccatum patris deriuatur in filium per imitationē, hoc est, quando filius est paterni sceleris imitator . Sed quia (vt diximus) illa paternæ iniquitatis imitatio proprium est filii peccatum: quamuis illius occasionē præbuit pater: ideo consequens est, vt tunc etiam temporaliter filius pro peccato suo, & non pro paterno puniatur. Et eodem modo dicendum est de peccato alicuius, quod deriuatur in alterum ratione consensus, vel dissimulationis, ob quam causam (vt dicit sanctus Thomas) aliquando boni puniuntur cum malis : quia illorum peccata non redarguerunt. Qui in peccatum alterius consentit, proprium committit peccatum:& ideo propriam exigit pœnā & similem illi, quam meretur is, qui scelus perpetrauit . Ideo Paulus de peccatoribus loquēs, ait: Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt: sed etiam qui consentiunt facientibus. Proprium etiam cōmittit peccatum, qui alterius peccas

Nicolaus
de Lyra.

Rom.i.

peccatum dissimulat, & non corripit, aut arguit, quum a
guere teneretur: quia is pro consentiente apud Deum, &
homines aestimatur. Nam Glossa ordinaria super illum
Pauli locum, quem nunc proxime citauimus, ait: Consen-
tire est filere, cum possis arguere. Et Leo Papa Epistola, 71
cap. 5. Qui alios cum potest ab errore non reuocat, seip-
sum errare demonstrat. Quæ verba habentur extra de hę
reticis, cap. Qui alios. Si consentientes, & dissimulantes,
proprio peccato consentiunt, & dissimulant, conuincitur
Inde, ut si cum aliis criminum perpetratoribus simul puni-
untur, pro peccatis propriis puniatur & non pro alienis.
Potest tamen hęc B. Thomae sententia etiam excusari,
& optime exponi, vt qui illum tueri velit, facile posse, di-
cens B. Thomam non negare filium paterni sceleris ini-
tatorem esse pro peccato proprio puniendum. Sed ultra di-
cit esse etiam pro peccato patris puniendum, ita ut filius
qui patrem in scelere imitatur simul pro suo, & pro pater-
no puniatur peccato. Et huic seneentiæ fauet Augustinus
in prima expositione (duas enim fecit) super Psal. 103. in
versu: Fiant nati eius in interitum, sic dices: Quemadmo-
dum bonorum imitatio facit, vt etiā propria peccata de-
lcantur, sic malorum imitatio facit, vt non solum sua: sed
etiam eorum, quos imitati sunt merita fortiantur. Hęc Au- August.
gust. Qui quanvis loquatur de imitatore solo, qui tamen
beato Thomae patrocinari cupit, oportet, vt idem di-
cat de consentiente, & dissimulante, ita ut siue consentiens
siue dissimulans: non solum puniatur pro suis peccatis:
sed etiam pro illis, quibus cōsensit, aut quæ dissimulavit.
Sed iuxta hac expositionem difficilis adhuc manebit que-
stio de filio paternam iniquitatem imitante, quare non
punitur pro peccato alterius, quem imitatur, sicut puni-
tur pro peccato paterno? Si quis vero concedat etiam ho-
minem puniri pro peccato aliorum, quos imitatur: sicut
pro peccato paterno, causam suscipiet difficillime sustinē-
dam. Quoniam hoc dato, oportebit etiam concedere, vt
si mille homines quis in aliquo scelere imitetur, nō solum
pro suo peccato: sed etiā pro peccatis omnium illorum, quos
in eodem scelere imitatur, sit puniendus. Quod si quis con-
cedere velit, duram certe, & nimis acerbā faciet iustitiam
diuinam. Ideo vt ab omnibus his angustiis liberemur,
melius

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

melius dicendum esse putamus, filium innocentem pro peccato patris puniri ob eam solam causam : quia filius est res quædam patris ad illum spectans, & quædam illius possessio , in cuius afflictione punitur pater tanquam in re sua, & tanto magis quanto filium pater magis diligit, quam reliquas omnes temporales possessiones . Certum enim est patrem acrius puniri, quando scit filium suum præuatum esse successione bonorum suorum, quam si sciret bona illa, quibus ipse priuatus est, transitura in dominium, & possessionem filii . Nā licet pater acerbe doleat, propterea quod priuatur dominio, & possessione omnium bonorum suorum, aliquod tamen suscipit solatum, quād scit filium suum successorum in dominium omnium bonorum suorum, taliq; solatio vt cunq; lenit doloris sui acerbitatem. Vnus enim ex doloribus, qui parentes morientes acriter pungunt, est quum præscindunt inopiam, aut iniuriam, aut quamlibet aliam calamitatem, quam post mortem suam passuri sunt filii sui . Si vero filios suos incolunt, & rebus omnibus temporalibus affluentes relinquent, leuius mortem ipsam ferunt. Licet igitur hæreticorum filii affligantur, per priuationem paternorum bonorum, & infamiam, & alias similes poenas : quia tamen parentes per huiusmodi filiorum afflictionem torquentur: ideo per illam parentes pro suorum criminum meritis puniuntur. Nullo itaq;, alio modo admittendum est, vt filius innocens pro peccato patris puniatur, siue (vt rectius loquar) affligatur: nisi quia talis filiorum afflictio: nem pater grauiter ferens, in illa affigitur, & punitur. Fortè contra hanc sententiam aliquis mihi obiciet, definitionem ecclesiæ datam. in cap. accusatus. paragra. in eo vero casu. de heret. lib. 6. Illo enim loco Papa decernit heredes cuiuscunque hæretici : cuius hæresis ante mortem non fuit declarata, debere post mortem : si tunc de hæresi defuncti constiterit, tota hæreditate, quam ab hæretico habuerunt, priuari. Si filius iuxta hoc decretū, post mortem patris, bonis paternis priuetur, nō est dubium ipsum fungi pro peccato patris torqueri : nec tamen per illam filii torturam, pater punitur, cum iam ille defunctus seculo sit, & poenas filiorum, quas in hac vita patiuntur, iam sentire nō possit. Falsum est igitur, quod nunquā filius innocens pro pecca-

Beccato patris affigitur, nisi quia per talem afflictionem pater punitur. Hanc tamen obiectionem nos multis modis facile reiicimus. Primo quidem non est usquequaque certum, parentes defunctos, aut alios cognatos, qui in purgatorio, aut in inferno sunt non sentire eas penas, quas sui propinqui in hoc seculo patiuntur. Nam B. Augustinus super psalmum. 103, de hac re differens, non est ausus aliquid definire, sed hanc rem dubiam, & incertam reliquit, sic inquiens: Etiam ne hoc ad penam Iudee pertinere credendum est, quod post eius mortem ad inendi citatem vxor eius, & filii eius peruenierunt, & translati sunt, & electi de habitationibus suis, scrutante feneratore omnem substantiam eius, & diripientibus alienis omnes labores eius, nemine adiuuante, nec miserante pupilos eius, & quod cito sunt sine posteris mortui? Nunquid etiam de his, quae in suis post mortem cuiuscumque contingunt, nullus mortuos tangit dolor? Aut haec saltē scire putandi sunt, quorum sensus alibi est pro meritis, seu bene, seu male? Cui respondeo magnā quidem esse quæstionem: nec in praesentia differenda in quod sit operis prolixioris, utruin, vel quatenus, vel quo modo ea, quae circa nos aguntur, nouerint spiritus mortuorum. Et aliquibus interiectis subdit: Quapropter q̄ Iudea tam infelicitate mortuo, ita vxor eius vidua, & filii eius orphani remanserunt, ut feneratore scrutante omnem substantiam eius, & diripientibus alienis oēs labores eius, de suis habitoribus eiicerentur: nec aliquem pupilli eius miserantem inuenirent, & in una generatione sine posteris interirent. Si haec sentiunt mortui, cumulus malorum est: si haec non sentiunt formido viuorum est.

Hucvsq; Augustinus. Qui definire nō est ausus, an mortui sciunt infortunia suorum charorum viuentium. Si haeticus defunctus noscit miseras & calamitates, quae filii suis ob suam haeresim accidunt, non est dubium illum per illas miseras torqueri. Deinde & si defunctos lateret, quid circa propinquos viuentes agatur, nulla tamen ex parte nostrae sententiæ refragatur, quod adducitur ex cap. Accusatus. paragr. in eo vero casu. Nam haeticus (vt iam superius docuimus) non à solo tempore damnationis, sed ab hora commissi criminis, amittit do-

August.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

minium bonorum suorum, & ab eadem hora filius etiā priuatus est iure succedendi in bonis paternis. Vnde necessariō consequitur, ut hæreticus occultus, cuius hæresis poli mortē declarata est, sit dicendus fuisse ante mortem à iure punitus in se, & filii suis: quanvis non fuerit ante mortē hanc punitionē expertus. In dignū quippe fuisse filium hæretici iam defuncti nullis suis hoc exigentibus demeritis, paterna hæreditate priuare, si illius verum dominium per mortē patris acquisivisset. Sicut etiā iniustum esset filium ob patris hæresim priuare aliis bonis, quæ nullo hæreditatio iure acceperat, sed proprio labore conquisierat. Filius autē hæretici defuncti, postquam declaratum est patrem fuisse hæreticū, iuste priuatur possessione bonorum paternorū: quia nullum in illis habebat dominium, sed fiscus: quoniā à die cōmissi criminis pater (vt diximus) fuerat omnibus bonis illis priuatus, & fiscus in eius locū subrogatus. Et certe ex hoc loco fortissimum (mea sententia) potest sumi argumentū ad confirmandum nostram opinionē, quā supra proposuimus contra Archidiaconū dicentem, hæreticum nō statim post delictum esse priuatū dominio bonorū suorū: sed necessariā esse iudicis sententiam, quæ declareret illum esse hæreticū. Si hoc verum esset, sequeretur inde hæreticum in hæresi occulta decedentem, habuisse dominium bonorum suorum usq; ad instantis mortis suæ, cuī ante illud tempus nunq; fuerit de hæresi damnatus. Hoc concessso, sequitur inde necessariō, hæredem, qui tali hæretico successit, habere post mortē illius verum dominium bonorum illorum, quorum erat dominus hæreticus mortiens. Et inde ultra sequitur, ut quāvis mortuus declaretur fuisse hæreticus, hæres non sit sine culpa sua priuandus bonis illis, quoniam fuerat factus dominus: sicut nō priuatur bonis aliis quæ ipse proprio labore conquisierat. Sed cui nō hæres iure priuatur bonis, quæ posse derat hæreticus defunctus, postquam declaratum est illi: in fuisse hæreticū, & non priuatur bonis, quæ ipse hæres ante præsidebat, cōuincitur inde hæredem hæretici nunquam illorum bonorum habuisse dominium sicut aliorum, & hoc non ob aliā causam: nisi quia hæreticus, cui ille successit, tale dominium emisit à die, & hora commissi criminis.

RES

RESPONDETUR OBJECTIONIBVS

quas in principio præcedentis cap. pro pars
te contraria proposita sunt. Cap. XI.

SVperest iam, ut illis rationibus, & argumentis respon-
deamus, quibus (ut in principio huius cap. diximus)
innituntur hi, qui oppositionem tueruntur partem. Primo
quidem probat iniustum esse, ut filius pro peccato parentis
puniatur: quia Deus (ut dicunt) neminem pro aliena
culpa punit, sed pro sua. Quales, quantoque hæc argu-
mentatio habeat netuos, ex his, que diximus facile cuique
constare poterit: quia manifestis scripturæ testimoniis
ostendimus Deum visitare iniquitatē patrum in filios.

Quapropter hanc argumentationē in illos facile retor-
quere poterimus, ut suo ieiunio gladio illos træfigamus,
sic dicentes: Iustum est, ut filius pro patris peccato punia-
tur: quia Deus, qui iustissimus est, & errare nō potest, sæ-
pe in hac vita filios pro peccatis parentū punit. Sed hæc
suam sententiā illi confirmat testimonio Augusti, dicen-
tis: Non prius Deus est vitor & aliquis sit peccator. Sed
hoc Augusti dictum nihil nos mouet: quia si bene adver-
tantur illius verba nihil cōtra nos agunt. Nam licet De-
us nunquam se de aliquo vindicet, quin prius ille sit pecca-
tor, sæpe tamen Deus multos absq; aliqui illorum culpa
affligit, & torquet. Non enim sunt profus idē vindicta,
sive punitio, & afflictio. Vindicta siquidē habet quendam
respectum ad iniuriā præcedentem, sine qua nulla pena
vindicta, aut vicio dicta potest. Punitio est sive castiga-
tio: si iuxta verā & propriā illarū vocum significationē,
quælibet illarum sumatur, respectum dicit ad culpā, sine
qua nullus propriè puniri dicitur, sive castigari: quanvis
acerbissime torqueatur: afflictio vero, sive tortura, nullū
horū dicit respectum. Nam si quoniam dolil et quis tribu-
lationē patiatur, sive properat culpā, sive sine illa, semper
affligi dicesur. Iusti enim, quibus Deus tribulationes va-
rias in hac vita ad eorū meritos augendum, dat: affligun-
tur quidē, & torquentur: sed nō puniuntur, neq; castigā-
tur: quia nō est in eis culpa, quæ debeat puniri, aut casti-
gari, & si aliqua erat, non tanta indigebat castigatione.
Nec Deus de illis vindictam sumit, aut victionem: quia
non inuenit in illis offendit, quam debeat vlcisci.

Augusti.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Optime ergo loquutus est Augustinus, cùm dixit: Nostri prius Deus est vltor qnām aliquis sit peccator; quia Deus non vlciscitur nisi peccatum, quod est quædam illius offensa: neq; vindictam sumit deus, nisi de peccatore, qui illi imuriam per peccatum irrogavit. Sæpe ramen punitio capi solet non iuxta propriam illius vocis significationem: sed ut latius se extendit, pro omni afflictione, siue illa sit propter peccatum inflicta, siue absq; peccato. Et hoc modo capitur nomen punitonis in cap. Vergentis. parag. Nec huiusmodi extra de hæreticis. Ibi enim dicitur, q; in multis casibus, etiā secundum diuinum iudicium, filii pro parentibus temporaliter puniuntur.

Quo loco apertissime constat nomen punitonis positū esse pro afflictione. Filii enim, qui non peccauerunt, nō proprie puniri dicuntur, sed affligi: patres autem qui peccauerunt, per filiorum afflictionem puniuntur. Dixit igitur, puniuntur, pro eo, quod est affliguntur. Quanvis autem Deus neminem sine culpa puniat, aut castiget: s; pe tamen sine culpa affligit, aut totquet: sed hoc nunquā facit sine multiplici causa, & quidem iustissima, licet illarum afflictionum causa frequenter homines lateat: sic etiam leges humanæ s; pe hominibus pœnas aliquas sine culpa infligunt, nunquā tamen, si iuste leges sunt, eas infligunt sine causa. Multiplex enim potest causa suffragari, vt propter illam possit aliquis merito affici aliqua pœna temporalis. Primo quidem potest aliquis sine culpa sua per aliquid accidens effici ineptus, & indignus ad aliquid bonum habendum, vel consequendum. Possunt enim multa deesse alicui sine culpa sua, quæ iure exiguntur ad aliquid officium assequendum, aut recte exercendum. Ad sacerdotium, & ad Episcopatum requiriuntur artas debita, sufficiens literarum notitia, aliquorum corporis membrorum sanitas, quibus omnibus quisq; potest sine culpa sua carere, & ira sine culpa sua iuste ab Episcopatu, & a sacerdotio repelletur. Ita leprosus sine culpa sua repellitur ab administratione Ecclesiae. Et propter bigamiam, aut iudicium sanguinis sine culpa sua remouetur à susceptione ordinis facti, & impeditur, ne exerceat iam susceptum. Propter hæc causam filius hæretici sine culpa sua repellitur ab officio, & bene

beneficio : quia ipso iure est infamis, etiam sine culpa. Ad officium verò, aut beneficium iustè assequendum: fama bona est potissimum necessaria. Secunda causa esse potest : quia bonum quo quis priuatur non est bonum proprium: sed commune, & iustum est, ut quis propter bonum commune assequendum, vel conseruandum, patitur in se detrimentum aliquod. Quod ciuitas aliqua habeat Episcopalem sedem : non solum ad clericos spectat: nec solum est bonum illorum : sed bonum totius ciuitatis, & proper inopiam ciuitatis iustè posset ad illa sedes Episcopalis auferri : & quamuis esset diques, si populus, clero etiam repugnante, & contradicente interfecisset Episcopum suum, tota ciuitas priuanda esset dignitate Episcopatus. Quo facto clerus totus afficitur pena, & patietur damnum sine culpa sua : non tamen sine causa: quia bonum quo runc clerus priuatur, nō erat proprium: sed commune bonum totius ciuitatis. Punita autem ciuitate, & priuata tali bono, consequenter affigitur clerus, & priuatur tali bono: quia pars est corporis illius. Non est enim iustum, nec ratione consentaneum, ut pars ciuitatis Episcopum habeat : reliqua parte eadem dignitate carente. Ob hanc etiam causam haereticorum filij sine culpa sua nō admittuntur ad officium publicum: neq; ad beneficium, neq; ad electionem faciendam: neque ad testimonium dicendum : quia quodlibet istorum non particulare: sed commune totius ciuitatis est bonū. Quoniam ad totam rem publicam spectat, ut officia publica, & beneficia habeantur à personis bonis, & omni prorsus mali suspitione carentibus. Tertiam adhuc beatus Thomas assignat causam, propter quam iustè potest aliquis sine culpa sua puniri, vel (ut rectius loquar) affigi, siue torqueri: quia scilicet bonum vnius dependet ex bono alterius, & dat exemplum in criminē læse maiestatis, vbi filius sine culpa sua amittit hereditatem pro peccato patris, & posset idem dici de criminē heresis, in quo etiam filius (ut diximus) amittit hereditatem pro peccato patris. Nam quia pater propter huiusmodi crimina omnibus suis bonis priuatur, quę ipso iure sunt fisco applicata: ideo consequens est, ut filius amittat hereditatem, quam ex bonis paternis habiturus erat. Non enim poterat filius

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

esse hæres eius, qui moriens nihil prouersus habebat. Secunda contra hanc nostram sententiam arguunt hæretici, obiicientes nobis illud, quod Dominus per Ezechielem prophetam ait. Anima, quæ peccauit in ipla morientur: filius non portabit iniuriam patris, & pater non portabit iniuriam filij. Quæ Dei verba velut ex diametro cum nostra sententia: in modo cum aliis ipsis Dei verbis pugnare videntur, quibus dixit levisitare iniuriam patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Hoc

Ezec.18. argumentum difficiles certe videuntur habere nexus, & circa illorum dissolutionē, à multis doctissimis viris anxie satis laboratum est. Nam aliqui (vt Hieronymus resert) dixerunt verba illa Exodi, quibus Dominus ait se visitare iniuriam patrum in filios in tertiam, & quartam generationem: non esse iuxta literam: sed parabolice intellegenda, ita ut aliud in sensu teneant, quam in verbis sonant. Sed constat non esse parabolam, vel ex eo solo, quod tunc Dominus legem ferebat, cum illa dixit, & transgredienti legem pernam comminabatur, per quam illos ad legis obseruantiam perurgeret. In quibus autem serendis nullus debet esse parabolis locus: sed nudæ, & apertæ debent esse leges, vt possint ab omnibus intelligi. Et beatus Hieronymus dicit nunquam sibi persuasus, ut illa verba parabolica esse putaret. Veruntamen (vt ingenue loquar) nec ipse sufficientem illorum verborum præbet expositionem. Nam illa verborum diuinorum facialis dissonantia adeo vehementer beatum Hieronymum torcit, ut illum coegerit dicere, nunquam filios parentum in iniuriatibus puniri: nisi quia sunt paternarum

Hieron. iniquitatum imitatores. Exponens siquidem. 18. caput Ezechielis prophetæ postquam dixerat ea, quæ in Ezechiele habentur, in faciem pugnare cum his, quæ citata sunt ex lib. Exodi: hæc, quæ sequuntur, ait: Et nos usq; in presentem diem puramus, duo testimonia Exodi, quæ supra posuimus non esse parabolam: sed simplicem explicare sententiam. Et quanquam non auderemus quippiam dicere, nec vas fictile loqui contra sigillum: quare ita, vel ita me fecisti, tamen scandalum patiebamur occultum, quod iniustitia videretur Dei, alium peccare, & alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrum super filios

filios in tertiam, & quartam generationem: iniustū ideo
tur, vt alius peccet, & alius puniatur: sed ex eo, quod se-
guitur. His, qui oderunt me, combinationis, siue p̄cepti
scandalū solvit. Non enim ideo puniuntur in tertia, &
in qua generatione: quia deliquerunt patres eorum, cum
patres pōnius, qui fuerint peccatores, puniri debuerint: sed
quia patrū extiterunt amatori, & oderunt Deum, hec
reditatio malo, & impietate in ramos quoque de radice
crescente. Hactenus Hieronymus. De hac rāmen expō-
tione ille non adeo securus & quietus manebit, vt per illam
satis sibi, aut aliis fecisse crediderit: sed scrupulus aliquis
de hac re illum semper pupugisse videtur. Quoniam post
quam p̄t̄atam dixerat expositionem & multa verba cir-
ca hanc iem expenderat, tandem hec, quæ sequuntur subs-
iecit. Hoc interim (inquit ille) de proverbio, siue para-
bo adixisse sufficiat, q̄ lex, & prophetæ Exodus, & Eze-
chiel: imo & ipse Deus, qui & hic, & ibi loquutus est ne-
quaquam sententis discrepare videatur, aut hic corrigere,
quod ibi male dixerit. Si quis autem vel meliorem, vel al-
terum sensum potuerit reperi: e, qui coniuriorum inter se
testimoniorum scandalum tollat, illius magis acquiescen-
dum sententiae est. Hec Hieronymus. Ex cuius verbis
apertissime constat, quā difficilis sit huius perplexæ quæ-
stionis solutio, quæ tam acriter torsit beatum Hierony-
mum, virum utique doctrina perinde ac sanctitate clari-
ssimum. Nam variis huius quæstionis angustiis vne-
dique pressus (vt ipse aperte testatus est) scandalum pa-
tiebatur occultum, nesciens in quam se verteret partem,
vbi securus posset sine alterius partis impedimento con-
sistere. Tandem sententiam quæ illi visa est secutior
proferens, & illi non plene fidens, dixit acquiescendum
esse illi, qui meliorem sensum reperisset. Quo fit, vt
iuxta ipsius sententiam, magis aliis posterioribus do-
ctoribus, quam Hieronymo in hac parte credere coga-
mur, qui multo rectius, quam ille verum illius literæ sen-
sum penetrarunt, & nullam esse inter illa duo testimonia
contradictionem, apertissime declararunt. Nec mirū, quo
niam (vt est in proverbio) quandoque bonus dormitat
Homerus. Et non omnia possumus omnes. Nam quæ
beatus Hieronymus in hac p̄fata expositione retulit

absit precor verbo inuidia) nec vera sunt, nec literæ Exod. di vi lo pacto conueniunt. Tam aperta sunt in sacris literis testimonia, quæ filios pro peccatis parentum fuisse à Deo punitos asserunt, ut nulla possint tergiuersatione cę: Gen. 19. Jari. Cham siquidem peccauit in patrem suum Noë, verenda illius denudata aliis manifestans, pro quo peccato filius eius Chanaan maledictus est à patre suo. Quæ male-

dictio ex Dei sententia, & decreto processisse conuincitur per hoc, quod illius maledictionis executionē Deus postea in eodē Chanaan, & filiis eius opere cōpleteuit: sed quia aliqui sentiunt Chanaan nō pro solo peccato patris fuisse maledictum: sed etiam pro suo: propterea quod ille prius vidit, & patri nuntiauit, ideo opus est, ut aliud multo clarius, & fortius proferam testimoniū. Paruuli infantes, qui

Gen. 19. erant in Sodomis simul cum suis parentibus sunt igne combusti: non tamen pro suis peccatis, quæ nulla adhuc fecerant: sed pro peccatis parentum hoc illis euenisce constat. Filium quoque Dauid, qui illi ex adulterio natus est, fuisse pro peccato patris morte interempti: verba, quæ illi Nathan propheta dixit, apertissime conuincunt. Nam postquam Dauid peccatum suum cōfessus est dicens: Peccavi Domino. Statim propheta Nathā dixit ad illū: Dominus quoq; transfulit peccatum tuum, nō morieris: Veruntamen quoniā blasphemare fecisti inimicos nōmē Domini: propter verbū hoc, filius qui natus est tibi morte morietur. Filij, & filię Acham, qui furatus est de anathemate ciuitatis Hiericho cōtra pr̄ceptū Domini, simul cū ipso Achā eorum

2. Reg. 12. patre, ex mandato Iosue interficti sunt. Quo facto placatus est Dominus, qui de peccato Acham irātus fuerat. Filij Iosue. 6. Ghiezi pueri Helisēi prophetæ percusi sunt lepra, propter peccatum patris, qui contra voluntatem Helisēi à Naaman leproso ob collatam illi sanitatem, munera accepit. Ex his ergo testimoniis apertissime cōuincitur falsum esse, quod B. Hieronymus ait: nunquam filios puniri à Deo in tertiam, & quarram generationem: quia deliquerunt patres eorum: sed quia patrum fuerūt imitatores. Pr̄terea si nunquam filij pro peccatis parētum punirentur: sed solum qui patres in scelere imitātur, falsum esset quod

4. Reg. 5. Exo. 20. Dominus ait in Exo. se visitare peccata patrum in filios: quia tunc non peccata parētum: sed peccata sola ipsorum filiorum

filiorum visitaret, cūm illos pro suis solis peccatis puni-
 ret, & non pro paternis. Deinde ex ipso literæ cursu
 constat, beatum Hieronymum male intellexisse locum il-
 lum Exodi, & nō bene illam literam ordinasse. Nam illa
 verba, his qui oderunt me : Hieronymus dicit esse ad fi-
 lios referenda, ita vt filij sint, qui oderunt Deum, & ob
 hoc à Deo puniuntur. Ut autem clarè ostendamus verba
 illa non ad filios : sed ad eorum parentes esse referenda,
 opus est, vt verba Exo. citemus: quæ multò clariora sunt,
 quam illa, quæ beatus Hieronym. ex. 5. Deuter. cap. citat.
 Vtrobique enim Deus eandem, verbis tamen aliquantu-
 lum diuersis protulit sententiā. Litera Exodi sic se haberet.
 Ego sum dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans ini-
 quitatem patrum in filios in tertiam, & quartam genera-
 tionem, eorum, qui oderunt me. Constat enim illud rela-
 tiuum, qui, debere referri ad patres, & non ad filios: quo-
 niam tale relativum ad idem prorsus est referendum, ad
 quod refertur ille Genitius eorum. Illud autem relati-
 um in Genitio positum, nullo modo ad aliud, quam
 ad parentes (vt apertissimè constat) referri potest: quo-
 niam tertia, & quarta generatio, quæ ibi exprimitur, non
 est generatio filiorum, sed parentum. Ipsi ergo parentes:
 quorum est terra illa, & quarta generatio, quam propter
 peccata parentum visitat Deus, sunt qui oderunt Deum,
 non filij. Ex quibus colligimus, vt etiam in litera Deute-
 ronomij, quæ beatus Hieronymus citat, illud pronomen
 demonstrativum, his, non filios, sed parentes demostret:
 ita vt parentes sint, qui Deū oderunt, mandata illius non
 custodientes: ob quam causam Deus non solum ipsos pa-
 rentes: sed tertiam, & quartam illorum generationem pu-
 nit. Hanc autem comminationē Deus faciens in Exodo,
 hæc verba præmisit: Ego sum dominus Deus tuus fortis
 zelotes. Quæ verba ideo dicta esse intelligere debemus,
 vt per illa ostenderet nobis se tantæ esse potentie, vt non
 solum ipsos patres peccantes, sed etiam filios pro paren-
 tibus affigere posset. Theophylactus super nonum ca-
 put Ioannis interpretans illa verba, quibus Apostoli de
 cæco nato interrogauerunt Christum an ille cæcus pec-
 casset, an parentes eius ut cæcus nasceretur. Hanc eandem
 quam Hieronymus reddit expositionē, vt per illam ver-

Exod. 20.

ba Ezechielis & Exodi, quæ in faciem pugnare videntur, conciliare poscit. Alteram insuper addit in illo loco ex: positionem, quam apud nullum alium sacrum doctorem inueni. Hæc enim ait. Neq; enim iustum est propter pa-
 ratum peccata affligi filios qui non iniustic agunt: & hoc Deus docet per Ezechielem dicens. Non autem amplius hæc pro abola, quæ dicitur. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupecunt. Legem item ponit & per Moysen. Non morietur pater pro filio. Sed dixerit quis. Quomodo scriptum est, Quid od reddat pater
 cata patrum in filios in tertiam & quartam generationem? Dicendum igitur quod primum quidem non sit generalis hæc sententia, nego contra omnes dicta sed so-
 lum contra eos qui egressi sunt de Ægypto. Hæc Theo-
 phylactus. Sed hæc Theophylacti sententia nullo modo
 inibi placere potest, propterea quod aperte conuincitur
 esse falsa ex poena quæ inficta est Guiezi propter mune-
 ra quæ clanculo accepit à Naaman iam à lepro sanato.
 Nam post hoc scelus dixit illi Eliseus. Lepra Naamā ad-
 hærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. Hic autem
 Guiezi non fuit de filiis Israël qui egressi sunt de Ægypto, sed cum posse multa secula natus fuerit, filii tamē eius
 pro peccato patris puniri sunt, quanvis non fuerint pater-
 næ iniquitatis imitatores. Manifestum est etiam quod rex
 David non fuit ex numero eorum qui exierunt ab Ægypto. Et tamen pro peccato illius Deus morte punivit filium
 quem ex Bersabe uxore Urië generat, prout illi Nathan
 propheta minatus fuerat, sic dicens: Quoniam blasphe-
 mare fecisti inimicos nomine Domini, propter verbum hoc,
 filius qui natus est tibi morte morietur. Præterea, si con-
 sideremus illorum verborum circumstantiam aperte co-
 gnoscemus verba illa comminatoria non ad solos filios
 Israël, qui egressi sunt ex Ægypto esse referenda, sed ad cæ-
 teros omnes. Nam verba illa tunc dicta sunt à Deo, quan-
 do ille decalogi legem protulit: & contra primi præcepti
 transgressores minas illas adiecit dicens se visitaturum
 iniquitates patrum in filios usque in tertiam & quartam
 generationem. At præcepta illa decalogi non solis egressis
 ab Ægypto, sed omnibus in universum data sunt. Conse-
 quens igitur est, ut verba quibus præcepti sui transgressio-
 ribus

ribus minatus est, omnibus etiam dicta esse intelligantur. Non est enim verosimile, ut Deus dans præceptum loquatur omnibus & transgressoribus minatus est, omnibus etiā dicta esse intelligantur. Non est enim verosimile ut Deus dans præceptum loquatur omnibus & transgressoribus sui præceptū statim minatus, nō eisdem omnibus sed aliquibus loquatur: præsertim cum nullū expresserit in verbis suis signū, per quod aperte ostēderit prius fuisse omnibus locum, & postea aliquibus duntaxat. Autor illius operis quod dicitur *Αντικλίμαχη*. hoc est cōtrariorum siue contrapositorū, quisquis ille est. Nam de Autore non constat, illa verba Exodi cūn verbis Ezechielis alio modo concordare nititur, sic interrogatione. 25. inquiens *Quo modo in Exodo scribitur, Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus, cūn econtra in Ezechiele dicatur: Quid est quōd inter vos parabolam vertitis in prouerbiū istud in terra Israel dicentes, Pateres comedunt yuam acerbam, & dētes filiorum stupuerunt? Viuo ego dicit Dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hēc in prouerbiū in Israel. Ecce omnes animae meae sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima quae peccauerit, ipsa punietur.* Responsio. Redduntur peccata parentum in filiis, dum pro culpa ex originali peccato, anima polluitur proliis, & rursum non redduntur parentum peccata in filiis, quia cūn ab originali culpa per baptismum liberamur, non iam parentum culpas, sed quas ipsi committimus habemus. Hēc Autor illius libelli. Sed certē hēc responsio his peccat. Primo quidē in eo quod ait, hominē quenquam ante baptismū pollui pro peccato primorū parentum. Nam etsi peccatū primorum parentum sit radix & origo vnde omnia nostra mala proueniunt, nō tamen ab illo tanquā à forma nos polluimur aut peccatores dicimur. Habet enim unusquisq; nostrū, etiam cū paruuli sumus ante baptismū proprium peccatū, à quo peccator dicitur. Quod ideo dicitur originale quia ab illo protoplastorū peccato originē suam trahit. Nam peccatū illud primorū parentū iam nō est, & quādo fuit, nō originale sed actuale dici debuit: nō igitur ab illo, sed quisq; à suo proprio peccato polluitur. De qua re, quia est longē à primo huius disputationis scopo, nō est opus amplius disserere,

præscritim

præsertim quia Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum sessione quinta canone tertio aperte definiuit, & in unoquoque homine ante baptismum esse proprium originale peccatum. Deinde errat autor illius libri in eo quod putat hanc vocem (peccatum) in illis verbis Exodi accipi pro culpa: cum verè in illo loco non accipiatur nisi pro pœna qua peccata puniuntur. Nam reddere peccata patrum in filios, idem est in illo loco, ac reddere filiis pœnas quibus peccata parentum puniantur. Est enim ibi figura Synechdochæ accipiendo causam pro effectu, qua sæpius simile sacra vtitur scriptura. Hac peccati significatione usus est propheta Regius, quib[us] dixit: Et in peccatis concepit me mater mea. Nam quum in unoquoque homine non sit nisi unicum tantum peccatum originale, constat Dauid Regem non esse conceptum in peccatis, quæ sint veræ culpæ. Attamen quia multæ sunt pœne, quæ ipsum peccatum originale consequuntur, dixit se in multis peccatis conceptum. Propter eandem causam Paulus carnis concupiscentiam appellavit peccatum, quia est ab originali peccato causata, tanquam pœna à culpa. Deinde etsi gratis daremus, in illis verbis Exodi capi peccatum pro culpa, illa interpretatio non potest literæ conuenire: quia Deus dicit se reddere peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. At peccatum Adæ non in solam tertiam & quartam generationem transmittitur, sed in omnes (ut ait Paulus) per transitum: quia in Adam omnes peccaverunt. Præterea illa verba Dei, ut apertissimè constat, sunt minatoria, ut minarum terrore homines arceret à transgressione mandati. Ridiculum autem esset minari alicui id malum, quod necessario patietur siue bene siue male agat. At peccatum originale nullus (Christio excepto) vitare potest, quin semel labatur in illud. Non est ergo peccatum originale quod Deus patribus minatur se redditum in filios eorum in tertiam & quartam generationem. Supereft ut iam verum illius literæ sensum proferamus, & Ezechiel ab Exodo minimè discrepare ostendamus. Primo igitur dico verba illa, quæ per Ezechiel prophetam Dominus ait: Anima, quæ peccauerit ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris,

esse

esse intelligenda de pœna æterna, quæ post hanc vitam peccatores manet. Et certè si de illa sola pœna intelligantur prefata Ezechielis verba, verissima est illorum verborum sententia. Quoniam neminem, nisi pro peccato proprio Deus æternaliter damnat. Non enim dixit, anima quæ peccauerit, ipsa punietur: sed dixit, ipsa morietur. Ex quibus patet, non de qualibet pœna; sed de sola morte Deum fuisse loquutum. Mors autem, quæ ex lege pro omni mortali peccato datur, æterna est, & non temporalis. Possunt etiam verba illa Ezechielis intelligi non solum de pœna æterna: sed etiam de pœna temporali, & spirituali, cuiusmodi est priuatio gratiæ Dei, amissio iuris ad gloriam suscipiendam. Nam istis pœnis nullus etiam nisi pro suo peccato plectetur. Et certè si ea, quæ Ezechielis prophetæ verba circunstant, plenè consyderentur, facile quisque, vel mediocriter doctus agnoscet de sola pœna spirituali, siue æterna, siue temporali illa esse intelligenda. Quod autem in Exodo Dominus ait: se visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, de pœna corporali, & temporali intel ligendum est. Punit ergo Deus pœna corporali in hac vita filios pro peccatis parentum: sed pœna æterna, & qualibet alia spirituali pœna quanvis temporali, nunquam filium pro peccato patris punit: sed anima, quæ peccauerit, ipsa punietur. Vnde Augustinus super librum Iosue, quæstione octaua pertractans quare pro peccato Achan, filij eius fuerint puniti sic ait: Nec tamen credendum est etiam pœnis, quæ post mortem ignorantur, alium pro alio posse damnari: sed in his tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituæ, etiam si nō eo modo finirentur. Hæc Augustinus. Qui post prædicta verba, aliquibus aliis interpositis, rationem reddit: quare Deus pœnis corporalibus huius vitæ unum pro alio puniat, & non pœnis alterius vitæ, sic inquiens: Visibilis igitur afflictiones hominum, siue mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obesse, & professe possunt: nouit Dominus in occulto prouidentię suæ, quemadmodum iuste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur vlcisci. Pœnas vero inuisibilis, quæ nocet, & professe non possunt, ita nullus Deo iudice pro alienis pecatis

August.

tatis luit, sicut homine iudice luere nullus: nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Haec tenus Augustinus. In quibus verbis plenissimam, atque sufficientissimam reddidit causam, quare filium pro peccato patris Deus in hac vita corporaliter puniat: quia scilicet talis filii poena, & patri nocet, & filio ad salutem animæ suæ prodest. Nam propter eiusdem animæ salutem augendam, sepe iustos absq; illo rum culpa Deus in hac vita corporaliter affigit. Non igitur mirum si iustos filios malorum parentum Deus corporalibus penis, & transitoriis cruciet, cum per illas simul & parvum peccata puniat, & salutem filiorum spiritualem procuret. Poenis autem spiritualibus, quāuis temporales illæ sint, nunquam Deus filios pro peccatis parentum punit, Ideo beatus Augustinus quandam Episcopum nomine Auxilium reprehendit propterea quod Clasficianum quandam nobilem virum cum tota illius domo anathematice percussit propter quoddam eiusdem Clasficiani crimen. Nam eidem Episcopo Auxilio scribens epistola. 75, postquam dixerat eundem Clasficianum talem anathematit sententiam contra se & totā suam donum latam per literas proprias ad eum scripsisse, hæc quæ sequuntur ait. Quibus literis lectis nō mediocriter estuans cogitationibus magna cordis tempestate fluctuantibus, apud charitatem tuam tacere non potui, ut si habes de hac re sententiam, certis stationibus vel scripturarum testimoniosis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro marii uxori, aut pro domini seruus. Et paucis interpositis subedit. Neque enim hæc corporalis est pena, qua legimus quoddam contemptores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis participes non fuerint, pariter infectos: tunc enim ad terrorēm viuentium corpora perimebatur, quandoque utique moritura. Spiritualis autem pena, qua sit

Mat. 16. quod scriptum est. Quæ ligaueris in terra erunt ligata & Ezech. 18. in celo: animas obligat, de quibus dictum est. Anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Et post pauca iterum ait. Si tibi quāvis iuste fiat, Dominus revelauit, nequaquam iuuenilem ætam tuam, & honoris ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum, senex à iuene Coepiscopo, & Episcopus tot annos.

annorum à collega necdū anniculo paratus sum discere
quomodo vel Deo vel hominibus iustum possimus red-
dere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno,
ex quo non trahunt sicut ex Adam, in quo omnes pecca-
uerunt, originale peccatum spirituali supplicio puniamus
Hactenus Augustinus. Alia potest adhuc dati expositio
illorum verborum diuinorum, quæ citata sunt ex libro
Exodi, & ex Ezechiele propheta quæ etiam ex beato Au-
gustino super librum Iosue. Verba Ezechielis prophetæ
ad iudicium humanum referenda sunt, ita ut iudici hu-
mano non liccat filium pro peccato patris punire, aut pa-
trem pro peccato filij: sed quemq; pro suo. Quæ autem
in Exodo dicuntur, ad solam pertinet diuinam potētiām
qui solus potest peccata patrum visitare in filios in ter-
tiam & quartam generationem. Nam in loco prefato bea-
tos Augustinus huic quæstioni cum dubitatione respon-
dens, sic ait: An aliud iudicantibus hominibus est præce-
ptum, ne quenquā pro altero puniant: & Dei iudicio non
sunt eiusmodi, qui alto & intuisibili consilio suo nouit
quatenus extendat etiam temporalem hominum pœ-
nam salubremque terrorem? Et aliquibus interpositis
subdit: At verò si Achab aliquo inuentus atq; compre-
hensus, & illius criminis reus ad iudicium Iosue fuisse
adductus, nequaquam tantum est hominem iudicem, August.
vel pro illo, vel cum illo quenquam alium, qui societate
facti eius minimè teneretur, fuisse puniturum. Neque
enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum
est hominibus, ne iudicio suo, quod in hominem homi-
ni iussum, siue permisum est, alterum pro alterius pecca-
to arbitretur esse plectendum. Longe autem secretiore
iustitia iudicat Deus, qui potens est etiam post mortem,
quod homo non potest liberare, vel perdere. Et post pau-
ca iterum sublit: Hoc enim precepit homini iudici deus,
in his, quæ ad humanum iudicium pertinent iudicanda,
quod in suo iudicio facit ipse, quo potestas non aspirat
humana.

Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis, illud, quod di-
xit, iudicem humanum non posse vnum pro peccato al-
terius punire, non generaliter est accipiendum & de om-
ni poena intelligendum: sed solum de poena mortis.

Quo-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Quoniam de hac sola pœna inuenio in lege diuina iudicces esse prohibitos, ne vnum pro alio puniant. Hæc enim sunt verba legis, quam Deus de hac re in Deuteronomio statuit. Non occidentur (inquit) patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur. Cum hic occisionem prohibuerit, nullam prorsus alterius pœnæ fecit mentionem. Ut hanc Domini legem servaret Amasias filius Ioas Regis Iuda: quanvis eos, qui patrem suum occiderant interfecit: filios tamen eorum occidere noluit, vt in quarto libro Regum narratur. Propter quod ego non possum non mirari quo pacto Imperatores Honorius, & Arcadius in le. quisquis cum militibus. C. ad leg. Iul. ma. non sint veriti dicere, se ex Imperatoria lilitate vitam concedere filiis eorum, qui Regiam læserunt maiestatem, tanquam si hac Imperatoria lenitate seclusa, iuste potuissent filios pro peccatis parentum interficere. Lege siquidem diuina, quam supra citauimus, erat illis interdictum, ne patres pro filiis, aut filios pro patribus interficeret. Ratio autem, quam in eadem lege afferut, vt filios etiam iuste occidere possent, nullius prorsus est momenti. Paterno enim (inquit Imperatores illi) deberent perire suppicio, in quibus paterni hoc est, hereditarij criminis exempla metuantur. O vanissimum argumentum. Exit igitur iudici licitum interficere Petrum: quia iuste metuit illum fore latronem, aut homicidam, aut aliquid aliud simile. Nunquam enim debet pœna præuenire crimina: sed sequi. Iustum quidem est hoc in filiis metuere, q̄ scitur patres eorum cōmisisse. Iustum etiam est huic metui mederi, ita vt aliquo iusto remedio exhibito impediatur ne id, quod timebatur, eveniat. In iustum tamen est, & iniustissimum vt propter metum futuri criminis quis puniatur eadem pœna, qua puniretur: si iam illud crimen commisisset. Non ergo ex sola misericordia, aut ex Imperatoria lenitate (vt illi loquuntur) sed ex mera iustitia conceditur vita filiis eorum, qui criminis læsæ maiestatis sunt rei. Et idem prorsus dicendum est de Catholicis filiis hæreticorum: qui & si pro hæresi parentum suorum iuste aliis possunt penitus feriri, nunquam tam pœna mortis pro illis punientur. Quia (vt diuina lex ait) quisque pro peccato suo morietur. Quod autem dicit

Deut. 24.

dicit Papa in cap. vergentis. Extra de hæreticis, filiis eorum, qui læsæ maiestatis sunt rei, vitam ex sola misericordia esse conseruatam, Papa Innocentius, cuius est textus ille: non dixit definiendo, aut approbando illud: sed solum retulit, quid Imperatorum leges de reis læsæ maiestatis decreuerint: & inde tanquam à minori ad maius arguit de bonorum confiscatione simile esse circa hæreticos faciendum, quod circa reos læsæ maiestatis, Imperatorum leges decreuerunt. Sit igitur hæc certissima, & infallibilis sententia, ut nulli humano iudici liceat unquam vnum hominem pro peccato alterius occidere.

Quæ regula non ad solam mortem: sed etiam ad alia corporis flagella, & vulnera, & reliquos corporis cruciatus est extendenda, ita ut etiam intelligatur esse iudici humano interdictum, ne vnum pro peccato alterius flagelletur, aut vulneretur, aut alia quævis simili corporis pœna puniat. Ita enim sentiunt illustres Theologi, videlicet Alexander de Ales, tercia parte, quæstione. 41. membro. 4. articulo primo. & post illum beatus Thomas Secunda Secundæ quæst. 108. articulo tertio. Et meritò quidem diuinam illam legem sic extendendam esse putant: quia sicut per præceptum illud, Non occides, non solum prohibetur mors: sed quælibet alia corporis percussio: ita etiam consequens est, ut per præceptum illud, non occidentur patres pro filiis, aut filii pro patribus, sit etiam flagellatio, aut quælibet alia corporis percussio iudici interdicta, ita ut neminem pro peccato alterius possit, aut flagellare, aut fustibus cedere. De hac igitur pœna, quæ mortem, & alios corporis cruciatus comprehendit, quam Alexander de Ales, & beatus Thomas vocant pœnam flagelli, intelligit Augustinus (ut ex toto suæ literæ decursu facilimè est colligere) cum dixit nō licere iudici humano alterū pro alterius peccato punire. Pœnam etiam spiritualem, & inuisibilem qualis est excommunicatio, dicit nunquam esse à iudice humano: nisi pro peccato proprio inferendam: sicut Deus spirituali, & inuisibili pœna nunquam alterum pro alterius peccato punit. Reliquas autem pœnas, quæ neque spirituales sunt, neq; ad corporis mortem tendunt, bene potest iudex humanus alieui, cum iusta subest causa, pro peccato alterius

Alexander
de Ales.
Thomas.

Infligere. Nec solum pro peccato alterius: sed etiam absque ullo peccato, nunquam tamen sine iusta causa licet potest iudex huiusmodi pœnas aliis inferre. Nam filius ex fornicatione natus, propter solum patris peccatum, non admittitur ad sacerdotium, Deo ita præcipiente. Non ingreditur (inquit Dominus in Deuteronomio) mamzer, id est, de scorto natus in ecclesiam Domini, visus que in decimam generationem. Iudex etiam propter sententiam sanguinis iustissime latam, & executioni mandatam, punitur irregularitate. Duo igitur sunt modi (ut ex prædictis patet) per quos ostendimus ea, quæ in Exodus habentur, optimè conuenire cum his, quæ per Ezechielem prophetam dicta sunt, & nullam esse inter illa duo contradictionem.

QVOD HÆRETICI SVNT MORTIS
supplicio puniendi, siue talis mors gladio, aut
igne, aut alio quoquis modo illis in-
feratur. Cap. XII.

Vltima se iam offert corporis pena: mors scilicet, quæ hæreticos, nisi tempestiuè resipiscant, iuste puniendos esse apertissime Deo fauente demonstrabimus. Et ut apertius rem agamus, primo ante omnia percotari volo eos, qui contra sentiunt, an licitum sit ob aliquam iustum causam hominem aliquem occidere? Forte dicent, prout Valdenses hæretici olim docuerunt, nullæ esse tam iustum causam, ut propter illam meritum, & iuste possit aliquis occidi, etiam si id fiat ex iudicis præcepto. Et certe (si suspicionibus, aut conjecturis aliquis dandus est locus) ego suspicor aliquos ex Lutheranis ita sentire. Nam Otho Brunfelsius in quarto lib. Pandectarum sacræ scripturæ, volens persuadere hæreticos non esse occidendos, inter alia, quæ pro se adducit, affert Esaiam dicentem: Non nobis cebunt, neque occident, in uniuerso monte sancto meo. Quæ verba non magis de hæreticis, quam de quibuslibet aliis loquuntur, ut illi magis, quam alijs prohibeantur occidi. Quapropter ego ex hoc loco conitcio, & meritum, illum sensisse neminem, nulla etiam ex causa esse occidendum. Si ita sentiunt, in alium multò pestilentiorem incident errorē. Talis enim error præter hoc, quod sacris

repud-

repugnat literis, humanum tollit conuictum, pacem totius reipublicæ perturbat, & omnem prorsus honestam peruerit politiam. Nam & si in lege veteri fuisset datum præceptum de non occidendo, multe tamen fuerunt aliæ innumeræ leges, quæ ob aliqua particularia sceleris homines morte punire iubebant. Qui declinauerat ad Magos Leuit. 10.
 & ariolos, interfici iubebatur. Qui maledixisset patri aut matri, mortis reus censebatur. Sunt alia huius generis Ibidem.
 multa, quæ non est opus nunc recensere. Dimissa lege veteri, quæ circa iudicia, & ceremonias, iā per Christi mortem abrogata est. Veniamus ad legis Euangelicæ tempus. Beatus Petrus apostolus Ananiam, & Saphiram morde punit, propterea quod vendito agro fraudaverant de pretio, sibi ipsis aliquid inde seruantes, & non totum pretium (ut facere ex voto tenebantur) coram apostolis portantes. Præterea ipse met veritatis magister, eum hominem, qui alium propria autoritate occidisset, iuste occidendum esse docuit, sic inquiens: Omnis, qui occiderit gladio, gladio peribit. Quibus verbis Salvator aperte docuit morte plectendum esse illum, qui alium occiderit. Scio esse aliquos qui putant, verba ista quæ nunc ex Matthæo citauimus, nullo pacto valere ad probandum hominem iustè posse occidi. Dicunt enim verba illa non esse iuxta farialē verborum significationē intelligenda, quia si iuxta illam verba illa interpretaremur, manifesta (ut dicunt) reperietur falsitas in illis: quod imbum esset fateri. Constat enim quod non omnis qui gladio aliquem percutit, gladio iudicis perit: quia multi tales, aut à mari deuorantur, aut in fluminibus suffocantur, aut febre, aut quoque alio morbo vitam finiunt, aut ab hostibus interficiuntur. Sed re vera haec ratio non tollit, quin verba illa iuxta literam sine illa mystica significatione intelligantur: quia ratio ista nunc proxime ostensa procedit ex præua literæ intelligentia. Nam sic verba illa capere videantur, ac si dicta fuissent a Christo ad prædicendum futuros euentus, & non potius in præceptum eorum quæ facere oportebat. Christus enim in istis verbis. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, non intendit admonere nos de futuro rerū euentu, ut omnes intelligeremus quæ morte morituri essent, si qui gladium accepissent:

sed præceptum statuit, & legem manifestauit per quā dō-
 cuit qua pēna digni essent, qui alium gladio perimissent.
 Et ut hanc sententiam apertiorem & probabiliorem fa-
 ciā, alia similia verba in exemplum proponere volo, ex
 quorū recta conſideratione facilius iſta quę diximus in-
 telligentur. Vnū ex præceptis diuinis in decalogo cōten-
 tis, his verbis exprimitur. Non facies tibi sculptile. Et ite-
 rum. Non adorabis ea. Et in alio præcepto dicitur. Non
 occides. Et in alio iterum. Non mœchaberis. Horum
 enim omnium præceptorum verba, si ad solas grammaticorum
 regulas examinanda sunt, futurū euentum præ-
 dicere videtur: quia illa omnia sunt in futuro indicatiū
 modi, qui non ad præcipiendum, sed solum ad iudicandū
 quod futurum est, pertinet. Si igitur iuxta illum in-
 dicatiū modum verba illa essent interpretanda, quis
 non videt illa omnia falsissimos reddere sensus. Nam
 filii Israël, quibus illa dicebantur, sculptilia fecerunt, &
 illa adorauerunt, & multos occiderunt, & sèpè mœchati sunt.
 Absit autem ut falsum aliquid in Dei verbis esse di-
 camus: & ideo cogimur ut verba illa non ad explican-
 dum futurorum euentum, ut grammaticorum regulæ
 petunt intelligamus: sed solum ad exprimendā Dei præ-
 cepta interpretemur: Ita ut Indicatiū modus pro Im-
 peratiō possum esse agnoscamus. Ad hunc modum
 per omnia intelligere oportet illa Christi verba, Omnes
 qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ita ut existi-
 memus, verba illa non esse hominis prædicentis futura,
 sed præcipientis & legem statuentis, qua facultatem tri-
 buit publicæ potestati, ut gladio animaduertere posset
 cōtra eum qui priuatim & sine publica autoritate alium
 percusserit, qualis tunc erat Petrus, qui nulla vtens pub-
 licā potestate seruum Principis gladio percusserit. Huic
 nostræ interpretationi fauet Theophylactus, qui in com-
 mentariis super Matthēum prædicta verba interpretans,
 postquam illis Christi verbis aliam dederat expositiō-
 nem, hæc quæ sequuntur, ait: Deinde & dictum legis po-
 nit, quod homicida & ipse occiditur. Lex enim hoc di-
 cit, quod qui acceperint gladium, moriantur gladio.
 Hæc Theophylactus. Ex cuius verbis constat verba illa
 Christi ad legem pertineret. Legis autem officium non
 est

est prædicere futura, sed præcipere quod facere vel prohibere à quo abstinere oportet. Et certè iste si ipse verborum contextus rectè inspiciatur, apertè cognoscetur verba illa ad præceptum pertinere. Nam postquam Petrus percutserat seruum Pontificis, Christus dixit illi. Converte gladium tuum in locum suum. Hæc autem verba ad præceptum pertinere, nullus merito dubitare poterit; quoniam sunt per modum imperatiuum enuntiata. Ut autem vrgeret Petrum ad hujus mandati executionem legem pœnalem olim aduersus omnes homicidas datā, nunc illi ob oculos ponit, ut saltem pœnē metu illum ab vīsu gladij, auerteret, sic dicens : Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et huic sententiæ apertissimè fauent concordantiae quæ in bibliis communibus circumferuntur, in quibus sæpè notantur ex vicina margine, loci alij scripturæ conuenientes cum ea sententia quæ à latere proxime scripta est. At à latere horum verborum Christi apud Matthēum habetur citatum in margine : Genesis. 9. & Apocalypsis. 13. Per quas notas indicatur nobis, in illis duobus locis reperi similem sententiam illi quæ habetur Matthæi. 26. Quæ autem habentur Genesis capite nono, hæc sunt. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Contra ista verba posset idem argumentum formari, quod contra illa verba Matthæi iuxta sensum meum intellecta superius factum est. Nam multi sanguinem humanum effuderunt, quorum sanguis nunquam effusus est. Sed propter hoc argumentum nullus vñquam ex factis Doctoribus (quod sciām) coactus fuit, in illis verbis grammaticalem sensum relinquere, & querere mysticum : quia in illis verbis intellexerunt omnes, possum esse futurum Indicatiuum pro præsenti Imperatio. Idem ergo per omnia oportet in illis verbis apud Matthēum. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Sed apertiora sunt, quæ dicuntur Apoc. 13. vbi hæc habentur. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Dicens eum (oportet) apertè declarauit non esse prædictionem futurorum, sed esse legem statuenter ut homicida occidatur. Nam quod ait : Oportet occidi idem est ac si dixisset ; Debet occidi. Vel, Esi iuxta legem

occidendum. Scio esse aliquos Doctores qui prædicta Christi verba, per figuratam locutionem, de gladio spirituali interpretantur. Sed quia Augustinus libro tertio de doctrina Christiana, docet nunquam esse recedendum à propria locutione, & quærendam figuratam, nisi quando necessitas cogit, hoc est, quando iuxta propriam locutionem reperiretur sensus absurdus. Ideo conuincitur in illis verbis non esse recedendum à propria locutione, interpretando illa de gladio spirituali : quia vtendo nomine gladij tuxta propriam illius vocis significacionem, nulla (vt manifestè ostendimus) erit in illis verbis absurditas. Tam latè de vero istorum verborum intellectu differere volui : quia video esse aliquos quibus valde displaceat, quod testimonio illorum verborum ego probare voluerim homicidiam iure posse occidi. Fortè alias, si Deus vitam mihi concederit, in alio opere, quod nunc paro, longius de vero istorum verborum sensu disseram. Rursum ex hac sententia alius adhuc apertissime deducitur error. Nam si propter nullam iustam causam licet occidere hominem, necessario consequens est, ut propter nullam causam bellum gerere liceat : quoniam ferè impossibile est, ut bella gerantur absque hominis aliquius occisione. Quantum vero hæc sententia à veritate fidei Catholicæ sit aliena, non est opus nunc ostendere : quoniam nos iam olim in eo Opere quod aduersus omnes hæreses ædidimus, in titu. de bello, apertissimis argumentis illam expugnauimus. Deinde si propter nullam causam licet hominem quamlibet sceleratum occidere, nulla poterit res publica salua consistere : quoniam nisi sceleratissimi occidantur, nulla erit in populo quiete, nulla pax permanebit in illo. Mali homines quo sunque iustos tanto licentiosius affligent, quanto certius noverint se propter nullum scelus posse occidi. Et mortem, quam sceleratissimis inferre, secundum hanc sententiam iudici non licet ipsi simet sceleratissimis iniustos quosque inferre impunè licebit. Si nunquam liceret iudici rem publicam moderanti hominem aliquem occidere, terra esset plena furibus, & raptoribus, mare Piratis, nullæque res essent tutæ : sed essent homines, iuxta dictum Abacuc Habac. i. prophetæ, vt pisces maris, quorum maiores sæpè deuo-

stant minores. Propter quod nulla vñquam (quod sciam) extitit tam barba: a, aut in culta res publica que ob aliquam certa crimina mortem maleficiis infligendam non decerneret. Ut igitur debita sit in populo quies, & tranquillitas, expedit, ut sceleratissimi quique homines, præsertim de quibus nulla est emendationis spes, occidantur, ne propter illorum causam tota res publica collabatur.

Si quis autem nobis obiciat præceptum diuinum, quod ait: Non occides. Respondemus per illud præceptum solam illam prohibeti occisionem, quæ à persona exercetur priuata: non autem illam, quæ à iudice ob aliquam iustum causam decernitur infligenda. In cuius rei testimonium beatus Hieronymus super. 22. cap. Hieremiacæ Hieron,

ita ait: Homicidas, & sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio sanguinis: sed legum ministerium. Hæc ille. Beatus Augustinus libro primo, de ciuitate Dei cap. 21. ab illo præcepto, Non occides, aliquos dicit esse exceptos: quos iustè occidi posse assuerat. Quibus enumeratis tandem, quæ sequuntur ait: His igitur exceptis (inquit ille) quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet alium occiderit, homicidij criminè innectitur. Hæc Augustinus.

Fortè his rationibus (vt par est) conuicti, hi qui hæreticos non debere occidi contendunt, dicent licitum esse, & iustum ob aliquam iustum causam hominem occidere, negabunt tamen, & vt certo scimus, negant hæresim esse causam iustum, propter quam homo hæreticus sit occidendum, etiam si pertinacissimus ille fit. Ut autem nos apertissimè ostendamus eos pernitosissimè errare, inuestigare oportet, & diligenter perscrutari, quæ sint iusta causæ, propter quas aliquis potest iuste ad mortem damnari. Nolo in præsentiarum omnes huius rei causas figillatim, aut speciatim enumerare: sed solum causarum genera. Galenus vir, præter medicinæ scientiam, in omni genere philosophiæ clarissimus, in illo opusculo, cui titulus est: Quod animi mores corporis temperaturam sequuntur, alias reddit causas, propter quas aliqui meritò morte plectuntur, sic inquisiens: Deploratos, & facinorosos treis ob causas rationi

August.

Galenus.

consentaneas ē vita tollimus, ne videlicet superstites contumeliam nobis inferant: eiusdem notæ homines in terrorem perducant, tanquam pari suppicio excipiendo, si præter ius, quid patraverint. Tertia est, q̄ illis ipsis mori præstet, eo malitię profectis, vt nullus animi medicinę faciundā locus sit, aut qui ne à musis ipsis quidem corrigi, aut à Socrate, aut Pythagora meliores reddi queant. Hæc ille insignis philosophus. Sed quia fortasse Galleni velut Gentilis hominis, & minime Christiani sententiam multi contemnere non formidabunt, opus est, vt omnes tres occisionis causas ab illo assignatas ex naturali ratione, & sacrae scripture testimoniis, iustas esse comprobemus, & deinde ob easdem treis causas iustum esse hæretici incorrigibilis necem, ostendemus. Primam causam esse dixit, ne videlicet scelerati, & pessimi homines viuentes, aliis contumeliam inferant, Iustum quippe est, vt innocentes semper seruentur indemnes, neq; vlo pacto permettere debet is, cui gubernandæ reipublicæ cura incumbit, vt quis alteri contumeliam, aut iniuriam inferat.

Quo fit, vt si quis nocentissimus vir à iudice semel, & iterum admonitus, ne alteri noceat, noluerit à sua mala vita refipiscere: sed semper in sua malitia persistens multis quotidie noceat, iudex illum ē vita tollere cogatur, ne aliis amplius nocere poscit. Tenetur enim reipublicæ gubernator, magis toti prouidere reipublicę, quam vni, aut alteri ciui, magis totum conseruare corpus, quam alterum membrum. Hæc tamen intelligenda sunt: si nocumentum esset magnum: quia non pro quolibet leui nocumento licet interficere: etiam si esset in illo pertinax. Præstat igitur, vt quiuis sceleratus homo occidatur, quam quod tota respublica pereat. Periret autem, si quanlibet mali homines viuere sinerentur. Nam (vt ait Salomon)

Prou. 29. Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes vero auertunt furorem. Furorem quidem auertunt sapientes: quum ipsos pestilentes homines ē vita tollunt, ne ciuitatem illi dissipare valent. Hæc causa est, quæ iustificat leges, quæ precipiunt occidi fures, pyratas, sicarios, homicidas, & alios eiusdem notæ homines. Si hæc iusta est causa, vt homo sceleratus ē vita tollatur, consequens est, vt iustum etiam sit hereticum incorrigibilem ē vita tollere: quia

quia si superstes esset, aliis Catholicis vehementer nocere poterit. Quantū enim nocere posse hæreticus, satis aper-
te expressit Paulus dicens: Prophana autē, & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, ut cancer serpit. Super quod Theophylactus ait:
Violentum (inquit Paulus) hoc malum est, quippe cui neq̄ mederi quoquā pacto potest. Quidā enim vniuersa deuastant, nec corrigi possunt. Cancer siquidem morbus est, qui & circumiecta depascitur. Hęc Theophylactus. Et quia tam apertum est nōumentum, quod hæretici Ca-
tholicis conferunt: ideo Paulus Galatis scribens de falsis prophetis, qui illos seduxerāt, ait: Utinam abscondantur, qui vos conturbant. Et beatus Hieronymus ait: Resecan-
dæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, cor-
rumpantur, putrefiant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit: sed quoniam non statim oppressus est,
per totum orbem eius flamma populata est. Hęc Hiero-
nymus, & habentur in cap. Resecandæ. 24. q. 3. Huic sententiæ consonat, quod Egregius ille poëta dixit: Im-
medicable vulnus esse rescindendum est, ne pars synce-
ra trahatur. Altera inferendæ mottis causa, quam do-
cet Gallenus, est, ut alij similis pœnæ timore deterrean-
tur à similibus criminibus perpetrandis. Prior causa re-
spicit ciuium inter se pacificum conuictum, & totius rei-
publicæ conseruationem, per hoc, quod nemo alterum laedat. Hęc verò causa secunda prospicit bonis ipsorum ciuium moribus, ut videlicet nemo atrocia crimina, etiā si per illa nullus laedatur proximus, committere audeat.
Multi enim sunt ad crimina aliqua proni, atque procli-
ues: sed metu mortis, quam maximè horrent, & quam aliis ob similia patrata sclera illatam esse sciunt, ab illis criminibus deterrentur, & illa perpetrare reformidant.
Sapiens namque Salomon in prouerbiiis ait: Pestilente flagellato stultus sapientior erit. Ob hanc causam iusti (vt ait propheta Regius) de punione malorum laetan-
tur: quia agnoscunt se ex tali punitione non parum ad virtutem profecisse, aut sperant se in posterum profectu-
ros. Laetabitur iustus (inquit propheta) cum viderit vin-
dictam: manus suas lauabit in sanguine peccat. ris. Super

2. Tim. 2.

Theop.

Gal. 5.

Hieron.

Ouidius.

Prou. 19.

Psal. 57.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Cassiod. quo Cassiodorus ait : Quid est hoc, quod ille qui præcepit orare pro inimicis, in peccatorum sanguine piorum manus aspergit abluendas ? Sed hoc si diligentius intueremur, correctionis potius, quam saevitiae pietatis habit exēs plumbum. Nam cum sanguis peccatoris effunditur, manus, id est actus iustissimi corrigitur. Impio enim persecutore, commonetur innoxius, cautius se, & diligentius tractetur. Ita sit, ut manus iusti non crudeliter, sed pie : sanguis peccatoris emundetur: sicut Salomon dicit: Stulto per reunte sapiens astutior fit. Hæc Cassiodorus. Ex hac radice oritur tam numerosa legum multitudo præcipientium homines occidere propter crimina, quæ nulli alteri nisi ipsimet illorum patratori nocent. Qui declinauerat ad magos, & ariolos, lege Moseyca interfici iubebatur.

Leui. 20. Eadem lege decretum erat, ut blasphemus lapidaretur.

Leui. 24. Quamuis per hæc crimina nullus præter ipsum illorum perpetratorem lœdatur, ad illorum tamen criminum horrorem aliis incutiendum, mortis pena talis criminibus est à lege decreta, ut videlicet cæteri intelligat quam graviora sint illa crimina, pro quibus tam acerba infigitur pena, & ut cæteri similis penæ horrore, & timore à similibus sceleribus perpetrandis deterreantur. Nam hæc est causa, propter quam in lege veteri Deus præcepit rebellem

Deut. 17. sacerdoti occidi. Qui superbierit (inquit lex) nolens obediere sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & afferes malum de Israël, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. In quibus verbis hanc solam quam nunc pertractamus, expresit Deus occisionis causam. Hinc iam clarissime patere potest iustissimum, nedum iustum esse, morte punire hereticum incorrigibilem: quia (ut in principio huius operis diximus) grauissimum peccatum est heres. Quo sit, ut ad tanti criminis horrorem, & odium aliis ingenerandum, iustum sit heretico incorrigibili mortis penam inferre, ut vel inde ceteri cognoscant, quam graue crimen sit heres, pro qua tristis est dicta sententia, & ut ceteri similis penæ timore, & horrore hereticos esse reformati. Si iustum est per viam punitionem, aliis alicuius criminis horrore incutere, quanto crimen fuerit grauissimum, & atrocissimum, tanto iustum

erit per maiorem, & acerbiorem punitionem, aliis maior
rem eiusdem criminis horrorem incutere. At nullum est
(vt supra libro primo docuimus) grauius hæresi pecca-
tum, nullum est ergo crimen, cuius odium sit Christiano
viro magis incutiendum, & inde per consequēs sequitur,
vt nullum sit crimen pro quo iustius aliquis poslit occidi,
quam pro hæresi fixa, & insanabili. Si Martinus Luthe-
rus cum primum cœpit effundere venenum suum, & legi-
time admonitus noluit resipiscere, fuisset (vt decebat) ca-
pitis animaduersione punitus: cæteri timorē habuissent,
& non prorupissent tot tanque pestiferę hæreticorum fa-
ctiones, quales, proh dolor, hodie Germania suffinet. Sed
quia impunis euasit Lutherus, aucti sunt prodire in publi-
cum, & suas effutire hæreses Oecolampadius, Zuinglius,
Carolstadius, & omninnm hæreticorum pessimi Anaba-
ptistæ. Et hinc patet responsio cuiusdam argumenti,
quo se tueri, & nos expugnare putant hi, qui hæreticos
quamlibet insanabiles ob crimen hæreseos occidi posse
negant. Dicunt enim inanem, & stultam esse punito-
nem, & delinquentis correptionē, per quam nequit emen-
dari delinquens. At post mortem nequit hæreticus emen-
dari, iniustum est ergo illum occidere. O bellum argu-
mentum! Si hoc argumentum alicuius esset momenti:
etiam probaret nunquam esse licitum ob aliud quālibet
graue crimen aliquem occidere, non furem, non adulte-
rum, non homicidam, non sacrilegum. Nullus enim isto-
rum post mortem emendari potest: sicut nec hæreticus.
Esset igitur iuxta istorum sententiam necessarium, vt nu-
llus illorum iustè occidi posset. Respondemus igitur non
omnem punitionem esse ad solam delinquentis emenda-
tionem: sed etiam ad aliorum cautelam, vt videlicet alij
timore perterriti à talibus criminibus caueant. Ideo bea-
tus Augustinus super Ioannem ait: Nullus nostrum vult
hæreticum verire: sed aliter non meruit habere pacem do-
mus David: nisi Absalon filius eius, in bello esset extin-
ctus, sic Ecclesia, si aliquorum perditione ceteros colligit,
dolorem materni sanat cordis tantorum liberatione po-
pulorum. Hæc Augustinus. Tertia causa propter quam
(vt dixit Galenus) iniustum est sceleratum hominem occi-
dere, est ipsemet malus homo: quia desperatur, & quidem
merito

August.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

merito (vt ex illius vitæ decursu coniici potest) de illius emendatione, & timetur ne si superstes sit, quotidie peior euadat. Ne igitur ultra ad grauissima quæc旗 flagitia progressiatur, iustum est, vt morte illata præcludatur illi peccandi libertas. Due primæ causæ totius reipublicæ utilitatem respiciunt, hæc vero tertia causa ipsius delinquentis commodis prospicit. Præstat enim mori, quam male viuere, & præstat etiam scelestum hominem mori, quam indies peiorem fieri. Sic enim progrediens, secundum

Rom. 2. duritiam suam (vt ait Paulus) & impænitens cor thesaurisat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundum opera eius. Ob hanc causam Deus, qui diues est in misericordia, & longanimitate patientia multos in pueritia, aut adolescentia, aut iuventute ex hac vita præripit, ne crimina, à quibus tunc liberi

Sap. 4. sunt, postea viuētes committant, sic enim dicit Salomon: Placens Deo sanctus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est, rapitus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Et post pauca: Placita enī erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Si hæc vñquam iusta potest esse causa, vt propter illam quis posset occidi, nō est vbi iustior posset esse, quam occidendo incorrigibilem hæreticum, ne viuere permisus quotidie magis insaniat, & peior fiat. Est enim proprius hæretorum genius, vt nisi fuerint prohibiti, quotidie malitiam suam augeant, nouos semper suscitando

2 Tim. 3. errores. De his enim loquebatur Paulus cum dixit: Mali homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Huius rei, & si multa possint dari exempla, pro omnibus tamen illis satis erit vnius Martini Lutheri exemplum, cuius gesta: quia nostro hoc tempore contigerunt, & contingunt, & multa ex illis toti ferè orbis Christiano sunt notissima: multò fortius valebunt prestatre pro nostra sententia testimonium: quam quælibet veterum hæretorum, quos non vidimus, exempla. Magis quidem mouent exempla visa, quam audita. Hic enim Martinus Lutherus parua habuit suorum errorum initia, à quibus in tot, tamq; pestiferos (vt tunc videmus) progressus est errores. Principio quidem solum circa indulgencias, quæ per Bullas Summorum Pontificum peccatoribus

ad pœnæ remissionem concedi solent, errauit, neq; quid:
 quam amplius tunc insaniuit. Tunc siquidem bene de sa-
 cramentis ecclesiæ sentiebat, omnem ecclesiastice Hierar-
 chiæ ordinein fatebatur. Papam, hoc est, Romanum Epi-
 scopum reliquis omnibus Episcopis superiorem, & toti
 orbi Christiano Prælatum agnoscebat. Nam in Epistola
 quadam ad Leonem decimum huius nominis, tunc sum-
 mum Pontificem, hæc, quæ sequuntur, scripsit : Quare
 prostratum me pedibus beatitudinis tuz offero, cum om-
 nibus, quæ sum, & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca,
 approba, reproba, vt placuerit, vocem tuam vocem Chri-
 sti in te præsidentis, & loquentis agnoscam. Hæc ille.
 Post hæc paulatim progrediens negavit satisfactionem
 villam pro peccatis esse necessariam: sed dimissa culpa, om-
 nem prouersus dixit dimitti pœnam. Inde coactus negavit
 purgatorium, quod tamen in principio sui erroris aperis-
 sime, & publice in disputatione Lypsiæ habita confessus
 fuerat. De his erroribus cum fuisset à summo Pontifice
 Leone decimo admonitus : nec palinodiam (vt teneba-
 tur) cantare voluisse : Leo decimus illum declarauit hæ-
 reticum, & velut talem publice excommunicauit. Videns
 tandem Lutherus se hæreticum declaratum, & damna-
 tum, in tot, talesq; hæreses prorupit: quot qualesque ante
 illum nullus vñquam hæreticus docuit. Circa errores hæ-
 reticorum omnium inquisendos (vt ex opere illo, quod
 aduersus omnes hæreses cedidit, facile conisci potest) tātam
 adhibui diligentiam (absit verbo iactantia) quantā qui-
 libet aliis circa hanc rem vñquam adhibuit. Nullum fa-
 men inter tot, & si multi illi fuerint, reperi, qui tot simul,
 tamque pestiseras hæreses docuerit. Melius igitur illi fuil-
 set, vt statim à principio cum legitimate admonitus obedi-
 re contempsit, gladio aut igne puniretur, quam viuens in
 tot hæreses laberetur: per quas diuinam in se quotidie au-
 geret iram, illamq; thesaurizatam seruaret in die iusti iu-
 dicti Dei, vt ibi tunc acerbius puniretur. Mea quidem sen-
 tentia nullus esse potuit crudelior hostis Martino Luthe-
 ro, quam qui potens iuste ab illo vitam auferre, tam diu
 illum viuere permisit. Nisi fortè bono zelo quamvis indi-
 screto ductus, diuinam hac in re voluit imitari misericor-
 diam, quæ peccatoribus sëpe (vt ait Iob) dat tempus ad Iob. 24.
 pœnitent.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

pœnitentiam, quāvis illi abutuntur tempore sibi concessō, & pœnitentiā agere nolunt. Sed hæc sunt secretæ quædam diuinæ bonitatis dispensationes, quarum causas cūm ignorent homines, non est opus in illis Deum imitari. Quid dicam de Anabaptistis, qui sub ouium pelle, hoc est, sub nomine Euangeli, & fraternæ charitatis, quæ omnia semper ore tenus habent, lupinam induunt personam omni scelere, & impietate refertam? Hi siquidē cum-primum insanire cœperunt, in nulla alia re (quod sciāmy errabant, nisi circa sacramentum baptismi, dicentes parvulis non prodesse baptismum, ac proinde eos, qui in infantia baptizati fuerant: dicebant fore, cum ad annos distinctionis peruererint, rebaptizandos. Quia tamen non fuerunt de hoc errore (vt decebat) coerciti, atque puniti, licentiosa quadam feritate ad pesūma progredientes, in pestilentissimas hæreses præcipites se dederunt. Præstitis igitur ipsi met Anabaptistis fuisse imperfectos, quām ad tantas hæresum pestilentissimas feces ehibendas, aut deglutiendas fuisse seruatos. Ecce vidisti iam candide lector tres causas, propter quas hæreticus incorrigibilis iustè prodest occidi. Prima, ne viuens aliis noceat illos suo errore decipiēs. Altera, vt illius periculo alijs cautores redantur, & tantæ pœnæ timore ab hæresi deterreātur. Tertia, ne superstites peiores indies hant, & maiorem in se diuinam concitent iram. Ex quibus tribus causis apertissime colligimus, vt si aliquis homo iustè potest occidi, nullus maior i causa sit occidendus, quām hæreticus obstinatus, & insanabilis. Lege diuina olim præceptum fuit blasphemum hominem extra castra educi, & ab vniuerso populo lapidari. Multò magis ergo hæreticus est iustè occidendus, cum hæresis (vt l. b. primo docuimus) sit multò grauius blasphemia peccatum. Præterea in Deuteronomio præcepit Deus prophetam falsum, & somniorum inueterem interfici. Nam postquam præmonuit, vt talem prophetam non audirent, hæc subdit: Propheta autem ille, aut fector somniorū interficietur: quia locutus est, vt vos auerteret à Dōmino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis. Qui autem verius propheta falsus, & qui magis auerterat populum à Deo, censendus est, quām hæreticus, qui auerterit à fide, sine qua impossibile

Leu. 24.

Deut. 13.

Hebr. II.

possibile est placere Deo? Ille ergo merito iuxta legem
Dei interficietur, ut populum amplius a Deo auertere
non possit. Rursum, scriptura referente nouimus, quod
Semei sententiam mortis accepit: quia contra prohibitio
nem Regis Salomonis egressus est de ciuitate Hierusalē.
Multò iustius ergo esset haereticum occidere, qui contra
præceptum Dei egreditur ab ecclesia, intra quam perpe-
tuò se continere debuisset. Deinde Iosias ille Rex, cui nec
ante eum, nec postea fuit similis Rex in Iuda, sacerdotes
omnes, qui contra legem Domini immolabant idolis ho-
stias, occidit super altaria, in quibus illi sacrificabant. Ma-
thathias etiam ille sacerdos illustris legis, & fidei propu-
gnator, illuminis, qui ad aram sacrificaturus accesserat, zelo
De feruēs, trucidauit super aram. Quid puras hic Matha-
tias, aut Iosias ille haereticis faceret, si illorum alter super-
stes nunc esset? Non dubito quin vterque illorum pro ho-
nore Dei, & pro fide ecclesie suæ zelans, haereticos omnes
ad unum usq[ue] capitis animaduersione puniret, ut tolleret
malū de ecclesia. Iustè igitur imperatores legibus suis san-
xerunt haereticos obstinatos esse occidēdos. I. Attiani. C.
de heret. iuncta. I. ultimū supplicium. ff. de penit. Ostēdi-
mus iam satis (ut opinor) aperte, iustum esse, ut haereticus
occidatur, quo autem genere mortis sit occidēdus parum
ad rem facit. Nam quocūq[ue] modo occidatur, semper con-
sulitur ecclesiæ: quia semper tollitur nōcumentum, quod
viuens aliis præstare posset, & aliis incutitur timor, ne si-
milia docere, aut quomodolibet dicere audeant. Propter
quod apud diuersas nationes, diuerso, & vario genere
mortis, haeretici occiduntur: quia nullum est genus mortis
ciuili, & imperiali lege sanctum. In Flādria, & alijs infe-
rioris Germaniae partibus, quum ego illic ante annos de-
cem versarer, vidi haereticos capitis obtrūcatione puniri.
In Geldria tamen haeretici manib[us], & pedibus ligati ius-
su Caroli tunc Geldriæ Duci in flumen aliquod mitte-
bantur viui, ut a flumine absorberetur. Eodē genere mor-
tis (ut a multis, qui viderūt, audiui) punitus est Antuerpiæ
quidam insignis Lutheranus iussu Dominae Margaretæ
Caroli Cæsaris Amitæ, quæ tunc ob Cæsaris absentiam,
partiam illam gubernabat. Audiui etiam Brugis in Flan-
dria a multis fide dignis oculatis testibus consuetum esse
in illa

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

in illa ciuitate, hæreticos viuos mitti in oleum seruens. & ab eo citissime comburerentur : sed tunc quum ego aderam sola capitum obtruncatione peribant. In cæteris Christiani orbis regnis, aut prouinciis, quæ noui, perpetua & inuiolabilis est consuetudo hæreticos igne comburere. Sic vidi fieri in Francia, præsertim Lutecia. Sic in Hispania, & credo sic factum fuisse semper in Italia. Nam beatus Gregorius libro primo dialogorum cap. 4. narrat Basiliū quendam Magum Romæ combustum esse, & rem gestam laudat. Et (vt antiquiora reueluamus) Diocletianus Alexandrinæ vrbis Episcopus, qui Gregorium per aliquot secula præcessit, in Chalcedonensi concilio actio: ne prima, quū de erroribus Eutychetis ageretur ibidem, dixit: Si Eutyches præter dogmata ecclesiæ sapit, non solum pœna dignus est: sed & igne. Hæc ille. Ex quibus verbis apertissime constat non esse recentem inuentionem; sed antiquissimam sapientum Christianorum sententiam hæreticos esse igne cremandos. Panormitanus in cap. ad abolendam de hæret. refert Hostiensem, & Ioannem Andream in eod. cap. dicere hæreticos debere igne cremar. Ad quod persuadendum adducunt illud, quod saluator noster apud Ioannem dixit. Si quis in me nō inan: ferit: mittetur foras, sicut palmes, & arescit & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Quorum sententiae videtur sauere idem Panormitanus loco præfato. & in cap. excommunicamus, ultimo. de hæret. Sed hi omnes quamvis doctissimi viri, multipliciter errant. Primo, quia & si hæreti sunt occidendi, nō tamen est necessarium illos comburere: quia hoc (vt diximus) nulla lege præcipitur. Deinde, & si esset aliqua lex, quæ hæreticos igne comburi præciperet: nihil tamē ad legem illā persuadendam agerent verba illa saluatoris ex Euāgelio Ioannis citata. Non enim ibi locutus est saluator de huius seculi igne, quem his corporis oculis nunc videmus: sed locutus est de igne inferni, quo ardebūt perpetuo peccatores. Nec sermo illius ad solos illos dirigitur, qui per errorē fidei se parantur à Christo, vt sunt hæretici: sed loquitur ibi Christus de omnibus peccatoribus, qui propter defectū charitatis separātur à Christo, & non manent in eo, & hos omnes perpetuo inferni igne: nisi pœnitent, dicit arsuros.

Si quis

Si quis ergo quærat quare comburantur hæretici: Respondeo hoc non esse vlla lege firmatum, sed sola consu etudine. Quam consuetudinem, si quis iustum esse persu adere voluerit: per hoc melius probabit, q̄ conueniens est legi diuinæ olim per Moysen datæ, & punitionibus, quibus Deus olim similes peccatores puniuit. In feditio ne, quam suscitarunt Chore, Dathan, & Abiron, ducenti quinquaginta viri ex proceribus Israel, qui illis adhæserunt, igne desuper à Deo misso consumpti sunt: quia schismati culari fuerunt, & sacerdotale officium cōtra ius & phas usurpare tentarunt. Omnis autem hæreticus, schismati cus censetur, & merito: quia separat se ab unitate fidei, quam tota tenet Ecclesia sanctorum. Deinde, cū ob præ fatam punitionem à Deo factam, omnis multitudo filiorum Israel murmuraret contra Moysen, & Aaron, dicens q̄ illi interfecissent populum Domini, ortaq; seditione tumultus adeò intresceret, vt Moyses, & Aaron pro vita saluanda z d tabernaculum fœderis fugerent: Deus desuper incendium super populum misit, quod magnā in populo fecit stragein. Fuerunt enim qui incendio illo perierunt (vt sacra refert scriptura) quatuordecim milia hominum, & septingenti, absq; his, qui perierant in seditione Chore. Si Deus nunc, Deus ultionū esset, vt olim, igne desuper misso Lutheranos combureret: quia seditionem mouerunt, & quotidie mouent contra Principes Christianos, dicuntq; illos esse tyrannos, propterea, q̄ hæreticos incendio perire faciunt. Non abs re igitur schismatici hæretici comburuntur, cum Deus tot schismaticos incendio deleuerit. Nam ob hanc causam iusta dicitur esse lex, quæ in aliquibus regnis, vtputa in Hispania, decernit eos, qui præpostera vtuntur libidine, igne fore comburendos: quia simili pena Deus olim Sodomam & Gomorrah propter idem peccatum puniuit. Inter cæteras leges à Deo per Moysen datas, vna erat, qua præcipiebatur, vt filia sacerdotis si deprehensa fuisset in stupro, & violasset nomen patris sui, flammis exuteretur. Anima cuiuslibet Christiani filia censetur illius summi sacerdotis, de quo regius Prophetæ dixit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Regenerata siquidem est per gratiam, quæ illi in baptis.

Num. 16.

Ibidem.

Leu. 21.

Psal. 109.

ino per merita passionis Christi donata est. Sed hæc in
stupro deprehenditur, quando eam fidei integritatem;
quam in baptismo suscepit, per hæresim amittit. Est enim
hæresis quædam fornicatio spiritualis. Stupro huiusmo-
di perpetrato, nomen patris sui violasse dicitur: quia cū
à Christo nomen per baptismum suscepisset, ut Christia-
nus homo ille diceretur: postquam in hæresim lapsus est
non iam Christianus dici meretur, sed Arrianus & Ne-
storianus, aut Lutheranus, aut alio quoquis nomine cer-
tebitur. Hic talis iuxta legem meritò flammis exurens
dus tradetur. Hanc legem per allegoriam exposuimus,
non quidem ut per illam cōuincere credamus hæreticū
esse necessario comburendum. Non sum enim adeò ig-
norans, ut hoc putarem: quia certo scio iuxta doctrinā
Augustini non esse sumendum argumentum ex mystico
sensu sacræ scripturæ ad doctrinam aliquam confirman-
dam: sed solum ex sensu literali. Hac igitur sola de cau-
sa hic per allegoriam parumper ludere placuit, ut ostensi-
derem hanc hæreticorum punitionem per incendium
habere aliquod in sacra scriptura exemplar cui se possit
vt cunq; confirmare. Potest adhuc hæc consuetudo des-
lendi hæreticos per incendium alia via persuaderi, q; sit
iusta: quia videlicet genus illud mortis vehementer ani-
mos videntium terret. Quo sit vt videntibus, & audien-
tibus terribilem incuriat timorem, & inde consequens
est, ut per tale genus mortis cæteri magis ab hæresibus
deterrantur. Ut igitur quæ tam late dixi, brevibus con-
cludam: dico, & firmissime teneo iustū esse, ut hæreticus
incorrigibilis occidatur. Quo autē genere mortis sit oce-
cidendus hoc, an illo, parum interesse censeo: sed liberū
erit cuiq; regno aut prouinciæ, quo genere mortis volu-
erit hæreticum interficere, cū nullum sit genus mor-
tis vniuersali lege p̄fixum.

RESPONDETUR OBIECTIONIBVS
eorum, qui dicunt hæreticos non esse mor-
te plectendos. Cap. XIII.

Ostenſa iam, & firmissimis (ut existimo) rationibus
fundata, nostra, & Catholica sententia de hæretici
incorrigibiliſ occiſione, ut clarius illius veritas omni-
bus innotescat, & firmior illa confiſtat, necessarium fore
existimā

existimauit respondere his, quæ contra nos obiciunt ad uersarii, & illa nullius prorius roboris esse, ostendere. Otho quidam Brunfelsius ex familia Lutheranorum in quadam opere, quod vocavit Pandectas sacrae scripturae lib. 4. in loco, de hæreticis non cōburendis: in libro hinc in de citat scripturæ sacræ testimoniā, quibus probare nititur hæreticos nō esse occidentes, sed rationib⁹ conuincendos. Quorum aliqua neq; in cute, neq; intus confyderata, vlo pacto illorū furent sententiae. Alia vero, & si sola facie illis se patrocinari ostendant, intus tamen inspecta, & diligēti (ut decet) examinatione discussa, aper te declarabunt se nullum pro illorum sententia dicere testimonium. Primo igitur (ut a veteri exordiar testamen to) nobis obiciunt illud Esaiæ prophetæ: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Quæ verba ego nō video quo pacto possint ad hæreticorum punitionem adaptari. Siue enim sensum literalem, quæ solus ad doctrinam aliquam stabilendam est efficax, in verbis illis spectes. Siue etiā sensum mysticū sub litera latentem confyderes, nihil quod ad præfens negotium atinet, inuenies. Nam iuxta verum illius literæ sensum, Propheta promittit pacem, quæ Christo incarnato, & ex utero Virginis nato futura erat in mundo, in quo tam multa, atq; frequentia bella præcesserant, ut vix hominibus pateret aditus, de una prouincia ad alteram transfire volentibus. Feruebant quidem ante Christi incarnationem ubique bella, digladiabantur inter se Genites, & aduersus populum Isræl sœpe fœlici, & prospero successu bella gesserunt. At Christus ex Virginis utero nato, qui veram pacem hominibus verbo & opere docere veniebat, pax toti orbi tunc redditæ est. Propter quod (ut Beda in libro de ratione temporum refert) Romæ tēplum pacis, quod hactenus semper fuerat clausum, eo temporis articulo, Deo ita disponente: ad tantæ rei nouitatem designandam, fuit sua sponte apertum. Quod autem hæc Esaiæ verba ad tempus Christi nati sint referenda, ea quæ præcedunt apertissime conuincunt. Et erit in nouissimis diebus (inquit Esaias) præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super oēs colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi,

Esaiæ. 2.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

& dicent : Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exhibet lex, & verbū Domini de Hierusalem. Et iudicabit gentes, & iudicabit populos multos. Quæ verba ad tempus sub Christo nato (ut constat) sunt referenda. Et post præfata verba statim Esaias subiungit: Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Quæ verba tunc adimplenda erant, quando venisset ille, qui iudicaturus erat gentes & populos multos. Si quis autem verba illa ad totum tempus futurum post Christum natum referenda esse contendat: nihil moror, dummodo sic intelligat, φ Christus ipse Saluator noster, doctrina sua nō solum nobis pacem commendauit : sed omnem bellī occasionem à nobis abstulit. Nam præcepit, ut diligamus inimicos nostros, & benefaciamus his, qui oderunt nos, oremus pro his, qui nos persequuntur, & calumniā nobis inferre conantur. Deinde, ut perfectiorem cōfirmaret inter nos ipsos pacem, consuluit, ut iniuriæ reparationē nemo peteret, nec pro re aliqua in iudicio cum proximo contendere: quia hæc duo sunt, quæ sœpe inter proximos pacem turbare solent. Auditis (inquit ipse Rex pacificus, & pacis magister Christus Saluator noster) quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autē dico vobis non resistere malo: sed si quis percutserit te in dexteram maxillam tuam: præbe illi & alteram. Et et, quæ vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Quæ omnia & si nō præcepta, sed consilia ab omnibus Catholicis censeantur: omnem tamen bellī tollunt occasionem his, qui illa recte seruauerint. Hi igitur qui integrum Christi legem tam in consiliis, quam in præceptis seruauerint, perfectā pacem amantes, conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Nihil igitur in illis verbis, quod ad hæretorum punitionem spectet, dicitur. Nisi forte per illa verba Otto Brunfelsius, aut qui quis aliis Lutheranus, dicat prohiberi omnē vindictam, aut punitionem quacunq; autoritate factam. Quod si forte, pro sua effrenata, & impudenti loquendi licentia dicere non erubet;

Mat. 5.

Mat. 5.

car,

cat, audiat, obsecro, Paulum illius sententiam damnatum, qui de publica potestate loquens, ait: Si malum feceris, time: non enim sine causa gradum porrat. Dei enim minister est: vindicta in iram, ei qui malum agit. Per illa ergo Esaiæ verba, & si forte (quod non puto verum cum nihil de hac re loquantur) prohibeat bellum autoritate priuata factum, aut vindicta, siue punitio, quæ à priuata fieret authoritate: nullum tamen horum inhibetur: si à publica potestate ob iustum aliquam causam fieret. Et nos etiam fatemur hæreticum hominem quamlibet pestilentem non posse à quo quis homine occidi: nisi authoritate publicæ potestatis illi fuerit commissum. De mystico autem illorum verborum Esaiæ intellectu, [qui multiplex dari posset, nihil moror: quoniam ille (iuxta omnium sacrorum doctrinā) parum efficax est ad doctrinam aliquam comprobādam. Secundo pro se assert idem Otho aliud testimonium ex eodem Esaiæ propheta sic discente: Non occident, & non nocebunt in vniuerso mente sancto meo. Et certe (vt ingenue fatear) ego non possum intelligere quomodo ex illis verbis posset ille Otho colligere hæreticos non esse occidendos, cùm non in particulari de solis hæreticis: sed elocutione vniuersali de omnibus Esaias propheta dicat: Non occident, & non nocebunt in vniuerso mōte sancto meo. Nisi forte Otho ille contendat Deum per illa Esaiæ verba prohibere omnem cuiusvis hominis occasionē, ac proinde eisdē etiam verbis prohibuisse nō hæretici occiduntur. Sed hoc falso esse, & à fide Catholica alienum, in proximè præcedenti cap. ostendimus. Præterea, si Otho dicit Deum per illa verba prohibere hominem aliquē intra Catholicam ecclesiam occidi, consequens est, vt etiam fateatur Deum prohibere ne post datum Euangeliū potestas aliqua inferat aliquod homini nocūmentum. Nam sicut in illis verbis dixit Deus: Non occident, ita etiam dixit: Non nocebunt. Itaq; iuxta istam sententiam: nec Rex, nec Imperator, neq; alia quævis potestas posset hominem sceleratissimum ob quantacunq; grauissima crimina occidere, neq; flagellare, neque fustibus cedere, neque pecunia multazare, neque à populo, aut regno relegare, neque aliad denique qualemque nocūmentum illi inferre, propterea quod

Rom. 13.

Esaiæ. II.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Deus per Esaiam prophetam ait: Non occident, & nō nobis
cebunt in yniuerso monte sancto meo. Hoc autem latenter
non solum est error, & heres: sed maxima dementia, &
bestialitas, quæ cum indigna sit, ut rationibus corrâ illam
agatur, igne, & morte de medio tollenda esset. Sed opus
est, ut ve. n. & germanum illorū in verborū Esaiæ sensum
ostendamus, & inde apertius euadet, quā longè verba illæ
Esaiæ à scopo presentis disputationis absint. Illa Esaiæ ver-
ba nullum præceptum, nullāq; prohibitionem continet:
sed promissiones quædam sunt illorū honorum, quæ post
Christum in carnem aduentum: Deus suę datus erat ecclæ
fia. Et (ut quod dicimus apertius ostendamus) verba quæ
præcedunt repeterem oportet: quoniam circumstantia scri-
pturarum est, quæ maximè solet verum illarum manifesta-
re sensum. Quæ autem proximè præcedunt hæc sunt.
Et egredietur virga de radice lesse, & flos de radice eius
ascendet, & requiescat super eum spiritus Domini, spiri-
tus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudi-
nis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus tui
moris Domini. Non secundum visionem oculorum iudi-
cabit, neq; secundum auditum aurium arguet: sed iudica-
bit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansue-
tis terræ. Et percutiet te, à virga oris sui, & spiritu labioru-
rum suorum interficiet impium, & ei it iustitia cingulum
lumborum eius, & fides cinctoriū renum eius. Hec omnia
Esaiæ verba nemo est Catholicus, qui non interpretetur
illa de Christo salvatore nostro: quoniam omnes sacri
Doctores illa tribuunt Christo redemptori nostro. Et

2. Thes.: Paulus istorum verborum partem in secunda ad Thessa-
lonenses Epistola de eodem interpretatur. Post hæc au-
tem verba statim Esaias propheta subiungit multa bona,
quæ nobis per Christum donanda erant, sic inquiens: Ha-
bitabit Iuppit cum agno, & pardus cum hædo accubabit.
Vitulus, & leo. & ouis simul morabitur. & puer parvulus
minabit eos. Vitulus, & ursus pascentur, simul requiescent
catuli eorū. Et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabili-
tur insans ab ybere super foramina aspidis, & in caverna
Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non
occident, & non nocebunt in yniuerso monte sancto
meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ
maris

maris operiētes. Hactenus Eta Quę illius verba cōstat esse promissiones eorum honorū, quę per Christum redemptorem nostrum generi humano donanda erant, & non præcepta. Sicut enim per illa verba nō præcipitur nobis, ut habitare faciamus lupum cum agno, & pardū cum hœdo. ita etiam per illa verba non præcipitur nobis, ut non occidamus, aut nō noceamus. Nam eiusdem conditionis sunt omnia illa, quę eodē contextu sunt in illa præfata littera cōnexa, ita ut omnia illa promissiones dicantur, aut præcepta. Cū autē dicit: Non occidē, & nō nocebunt in vniuerso monte sancto meo, non de hominibus: sed de venenofis illis serpētibus videlicet aspide, & regulo, quos proximē nominauerat, loquitur. De regulo siquidem, & aspide promittit, quod non occident, & non nocebunt in vniuerso monte sancto suo. Quae verba nequaquam iuxta solam literā superficiem: sed iuxta spiritualem sensum sunt accipiēda, si quis vero mihi in hac parte non fudit, audiat beatum Hieronymum, qui in commentariis super Esaiam prophetam præfatas omnes Esaiae promissiones interpretans, sic ait: Hæc quoque Iudæi, & nostri Iudaizantes iuxta literam futura contendunt, ut in claritate Christi quem putant in fine mundi esse vētūrum, omnes bestiæ redigātur in mansuetudinē, & pristina feritate deposita lupus, & Agnus pascantur simul, & cetera cum ceteris, quae nunc videmus sibi esse contraria. Et post pauca subdit. Sed & hoc eos interrogemus quid dignū sit Domini maiestate, ut lupus, & agnus pascantur simul, & pardus cū hœdo habitet, & leo paleas comedat, & puer parvulus mittat manum suā in foramine aspidū. Nisi forte iuxta fabulas poētarū, aureum nobis Saturni seculum restituent, in quo lupi, & agni pascantur simul, & mulso vino plena current flumina, & de foliis arborū stillabunt mella dulcisima, lacteisq; fontibus omnia cōplebuntur. Et aliquibus interiectis, subiungit: Hæc breuiter diximus, ut Iudaizantes nostros grauisimo somno stertere cōuincamus. Ceterum iuxta viuificantē spiritū facilis intelligētia. Et tandem spiritualem reddens intelligentiam, hæc ait: Qui autem ablactatus est, & nequaquam lacte nutritur infantie: sed iam solido yescitur cibo, iste in reguli cauernam mitet manum, hoc est, in ipsius Sathanæ habitaculū, & inde

Hieron.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Luc. 10. eum extrahit. Vnde & Apostolis potestas data est, vt cal-
carent super serpentes, & scorpiones, & super omnem for-
titudinem inimici. Nocere autem, & occidere nequaquam
potuerunt venenata prius animalia, eos qui habitauerint
Mat. 5. in monte sancto Dei, quod interpretatur ecclesia, de quo
in Euangelio dicitur: Non potest ciuitas abscondi supra
montem posita. Haec tenus Hieonymus. Ex cuius verbis
apertissime constat, illa Esiae verba, quæ nobis obiicit ille
Lutheranus Otho, nihil prorsus continere, quod ad hæreti-
corum punitionem, vel ex löginquu perireat. Obsecro te
nunc lector, ut consyderes qualibus scripturæ testimoniis
hæretici Lutherani suas hæreses probare nitantur. His
etenim, & aliis eiusdem notæ testimoniis plebem indo-
ctam decipiunt, & in pestilentissimos trahunt errores.

Mat. 12. Tertiò nobis obiicit illud, quod saluator noster de fra-
tre in nos peccate, qui semel & iterum admonitus emenda-
tionem negligit, apud Mat. ait. Si ecclesiæ nō audierit, sit
tibi sicut ethnicus, & publicanus. Quibus verbis excõmu-
nicādi potestate dedit ecclesiæ, nō occidendi: iniustè ergo
(ait ille Otho) occiduntur hæretici. O bellum argumen-
tum, quod non semel tatum: sed iterum pluries peccat. Pri-
mo quidē notissimum est omnibus, qui vel pati aliquid
dialecticā gustarunt: ineptum esse modum argumentandi
per locum ab autoritate, negando, veluti si quis argumen-
tetur hoc modo: Christus saluator noster non dixit Feria
secunda ieiunandum esse, aut orandum, aut studendum sacræ
scripturæ: ergo nullum istorum illo die agere licet.
Nam si collectio istius argumentationis valida esset, &
efficax, eodem modo ex opposito colligere liceret: sic
argumentando: Christus redemptor noster non dixit
Feria secunda non esse ieiunandum, aut non orandum,
aut non studendum sacræ scripturæ: ergo nullum isto-
rum illo die omittere licet. Itaq; eodem argumentationis
loco: duo contradictiones probabuntur. Quia sicut Christus
saluator noster unum non præcepit, ita neque præce-
pit alterum. Talis est præsens argumentatio qua Otho ar-
guit hereticum non esse occidendum: quia Christus non
præcepit occidere, sed excommunicare. Hæc est Luthera-
norū dialectica qua sepiissime vñatur, credentes huiusmodi
fallaciis totum decipere mundū: sed frustramittunt rethe

ante

ante oculos pennatorum. Eodem modo etiam peccant, quando ex dictis Pauli ad Titum, sic arguunt: Paulus dicit, ut hæreticum hominem post vnam, & alteram correctionem deuitemus: non autem, ut occidamus. Fateor hoc non dixit Paulus: sed nec etiam prohibuit, ut non occiderentur, ac propterea inde nec vnum, nec alterum colligere licet. Eandem fallaciā committunt in aliis multis argumentationibus, quas pro hac re faciunt, præsertim cūdū ex illo Salvatoris verbo arguunt, quo ait:

Tit. 3.

Cauete à fermento Phariseorum. Non dixit: Occidite hæreticos phariseos: sed solum dixit, ut caueremus ab illis. Quibus ego respondeo, quod si non dixit: Occidite, neq; etiam dixit: Non occidite. Deinde adhuc iterum peccatur in præfato argumento: quia & si illa collectio esset bona ab autoritate negatiæ: nihil inde plus colligi posset, quam quod ecclesiastica potestas hæreticum occidere non posset. Quia illa sola est, & non potestas laïca, cui tunc Christus loquebatur, & cui dedit excommunicandi potestatem. Per hoc ergo, quod dans potestatem excommunicandi, subtricuit potestatem occidendi: solum colligi potest (si tamen collectio esset bona) eam potestatem, quæ potest excommunicare, non posse occidere.

Quod licet multi Catholici negare cōtendant, qui vtrū: que gladium tribuunt ecclesiæ, ipsa tamen ecclesia opere ostendit se vnum tantum habere gladium. Quia solum gladium exercet spiritualem, reliquum in vaginam recluens. Nam ecclesiastici iudices non occidunt hæreticos: sed laïca potestas, quæ gladium corporalem, iuxta dictum Pauli non sine causa portat, illos iubet occidi.

Neque vllum est in toto iure Pontificio decretum, quod hæreticos iubeat occidi: sed tantum iubet illos potestati seculari tradi, ab illa, pro suo arbitrio iudicandos. Verium hic occurunt nobis Lutherani dicentes: Episcopi, & alij hæreticorū inquisitores similes sunt sacerdotibus Iudeorum, qui cūm mortis Christi salvatoris nostri re vera esent autores: Pilato tamē Iudeæ Præsidi dicebant: Nobis non licet interficere quenquam. Tales per omnia (vt Lutherani dicunt) se exhibet hæreticis iudices Ecclesiastici. Hi enim (vt Lutherani calumniantur) autores sunt mortis hæreticorū, & tamen dicunt illis non licere interficere

Rom. 13.

Ioan. 18.

hæreticos, ac propterea tradunt illos potestati seculari, ab illa ad mortem condemnandos. Sed re vera hic, sicut alibi sæpe falluntur, & affectu maligno obcecati miserrimè errant. Ut autem omnibus notum faciam, quam inuidiose illi cōtra inquisidores, & alios iudices ecclesiasticos loquantur, opus est, vt apertissime ostendam latissimum esse discrimen, ac proinde ineptam esse similitudinē inter ecclesiasticos hæretorum iudices, & Iudeorum sacerdotes. Pharisei, & alij Iudeorum sacerdotes, quāvis manibus non occiderunt Christū salvatorem nostrum, tamē occiderunt eum lingua, multis, variisq; modis illius mortem precurantes. Nam priuō (vt Ioannes Euangelista testatur) colegerunt Pontifices, & Pharisei cōsilium dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Et tandem dato per Cayphā anni illius Pontificem consilio, quod expediret Christum mori, ne tota gēs periret, illius consilio acquieuerunt ceteri, & ab illo die cogitaverunt interficere Christum omnium redemptorem.

Deinde tradiderūt illum Pilato, & coram illo ad mortē Christum accusarūt: & quia veris hoc agere testibus non poterant, falsos induxerunt testes, qui contra Christū salsum dicerent testimonium. Pilatus insuper cum causam Christi examinasset, velletq; illum dimittere quia nullā inueniebat in eo mortis causam, dixit populo: Quem vultis dimittam vobis Barrabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? His auditis, Princeps sacerdotum, & seniores

Mat. 27. (vt Mattheus reserit) persuaserūt populo, vt peterent Barrabbam: Iesum vero perderet. Rursum, cū Pilatus flagellatum Christum, & coronā spineam in capite portatē, ueste q; purpurea induitum populo ostenderet, vt vel sic populum ad illius misericordiā prouocaret, Pontifices,

Ioan. 19. & ministri (vt beatus Ioannes Euangelista narrat) clamauerunt dicentes: Crucifige crucifige eū. Posit hæc, Pilato dicenti Sacerdotibus & populo, vt ipsi Christum acciperent & crucifigerent. Responderunt Iudei: Nos legē habemus, & secundū legem debet mori: quia filiū Dei fecit. Deinde, cū Pilatus quereret Christum liberum dimittere, Iudei clamauerunt dicentes: Si hunc dimittis nos es amicus Cæsarī: Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Deniq; sedente Pilato pro tribunalī;

cū

cum ille Christum populo ostenderet, diceretque : Ecce Rex vester. Iudæi (inter quos sine dubio fuerunt sacerdotes) clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Et cum diceret eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responde runt Pontifices, non habemus Regem nisi Cæsarem. Vide obsecro, & diligenter attendite, quoties sacerdotes Christi mortem coram iudice petierunt: nec tamen leviter; sed importunè nimis iudicè urgentes, populumque ad idem ipsum postulandum variis mendaciis seducentes. Propter quæ omnia inerito illi Christum saluatorem nostrum crucifixisse censerunt: quia & si manibus non crucifixerunt: hoc tamen consilio suo fecerunt. Et hoc modo beatus Augustinus concordat dissonantiam, quæ videtur esse inter Euangelistas, quorum alter dicit Christum crucifixum esse hora tertia, alter hora sexta. Nam Iudæi ut (vt Augustinus ait) occiderunt Christum hora tertia, tot, talibusq; verbis (vt diximus) mortem illius procurando: milites vero occiderunt in manibus hora sexta. Videamus nunc an aliquid horum faciant cum hæreticis inquisitores, aut alij iudices Ecclesiastici. Quod certissimum est, & experientia docete scimus: iudices ecclesiastici postquam aliquem de hæresi damnauerunt, & illum obstinatum hæreticum esse censuerunt: statim declarant illum ad suum ius, & ditionem non pertinere, traduntq; illum seculari potestati, tanquam hominem, qui propter hæresis obstinationem, ab ecclesia exiuit, & sub sola potestate laica seipsum constituit. Cum autem illum iudices ecclesiastici potestati seculari tradunt, non petunt ab illa, vt occidat hæreticū, neq; illum quovis modo reū mortis esse dicunt. Et si potestas secularis hæreticum occidere noluerit: iudices ecclesiastici non cogunt, neq; ullo modo solicitant illam, vt hæreticum occidat: neq; consilium ullum de morte hæretico inferenda vñquā donat: imē econtrario ipsam secularē potestatem semper rogant, vt pœnam mortis, aut aliam sanguinis pœnam nō introgent illi, tantū abest, vt mortem illius quovis modo procurent. Quæ omnia cū sint certissima, & toti (vt existimo) populo Christiano notissima, miror tantam esse Lutheranorū impudētiā, tamq; effrenatam maledictionē, vt non vereantur dicere, hæreticorum inquisitores similes

189.2.342.1
116900
30000

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

similes esse sacerdotibus Iudæorum, qui Christum occiderunt, cùm latisimum sit (vt re ipsa confiant) inter hos, & illos discrimen. Certè multò rectius, & appositius ego dicere possem, Lutherum illiusq; asseclas similes esse illis sacerdotibus Iudæorum. Quoniam illi falsos quæsierunt testes cùm veros habere non possent, vt Christum morti traderent: Lutherani verò falsa perquirunt scripturæ sacrae testimonia, cùm vera non habeant, vt corpus Christi quod est ecclesia prouersus occidant. Multa dicunt Christum fecisse, & docuisse, quæ nec per somnum vñquam cogitauit. Multa Apostolis tribuunt, à quibus illi longissimè absuerunt. Milleq; alia fingunt commenta, non ob aliam causam: nisi, vt ecclesiam, quæ Christi corpus est interire faciant & aliam nobis donent ecclesiam maz-

Psal. 25. lignantium, quam propheta Regius se odiisse prædixit.

Quarto nobis obiciunt Lutherani, & qui illis in hac parte fauent, parabolam illam de tritico, super quod inimicus homo seminavit zizania, quæ videntes serui patris familiæ dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea?

Mat. 13. Quibus respondit idem paterfamilias: Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum, finite utraque crescere usque ad messem. Si Deus prohibet eradicare zizania, ergo iniustæ, & contra Dei præceptum (vt Lutheranis videtur) faciunt, qui hæreticos per zizania significatos, de agro huius mundi per mortem eradicat. Hoc est Lutheranorum fortissimum argumentum, cuj magis illi innituntur, & per quod se de nobis triumphare existimant. Sed nos Deo duce facilissimum esse ostendemus: quod ex falsa literæ intelligentia procedit. Primo quidem non est opus personas, aut res alias in parabola positas explicare, cùm ipsem et veritatis magister Apostolis pententibus illorum omnium interpretatione reddiderit, sic inquiens. Qui seminat bonum semen est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem: filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea: est Diabolus. Ex qua interpretatione confiat: zizaniorum nomen melius ipsis hæreticis, quam illorum hæresibus adaptari. Quod dixi propter aliquos, qui in dubium vertunt, an hec parabola hæresibus, an hæreticis conueniat. Zizania (inquit Christus,

stus) filij sunt nequam. Sed opus est, ut reliqua diligenter perscrutemur. Cum serui patris familias vellent zizania colligere, prohibuit illis, ne id sacerent paterfamilias sic inquiens: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. In quibus verbis id maximè annotandum est, quod non absolutè, & generaliter, & absque via causa prohibuit talium zizaniorum collectionem; sed statim causam reddidit, propter quam hoc fieri prohibebat. Ne forte (inquit paterfamilias) colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Metus igitur eradicandi triticum, est causa, ut tolerentur zizania crescere cum tritico. Ex opposito igitur colligere oportet, quod quando nulla est sic metuendi ratio, ut puta quia apertum est, & optimè noscitur inter triticum, & zizania discriminem: & vnum alteri nō est adeò coniunctum, aut connexum, ut non possit facillimè vnum sine altero eradicari: tunc paterfamilias non prohibet fieri zizaniorum eradicationem. Si nullam expressisset in prohibitione causam; sed absolutè loquutus fuisset, quanvis aliquæ re vera essent prohibitionis causæ: & illæ omnes abessent, fateor, semper extaret integra prohibitionis virtus. Si tamen causam principalem motiuam, & finalem legislator exprimit: propter quam se aliquid præcipere, aut prohibere testatur. Consequens est, ut cessante illa causa, cesseret etiam præceptum aut prohibitio. Talem enim causam exprimens legislator aperte declarauit, quod si illa causa non subesset, nihil tale præcepisset, aut prohibuisset. Nam si illa seclusa nihilominus præcepisset, aut prohibuisset: consequens est, ut illa non fuerit vñica, & sola præcepti, aut prohibitionis causa. Per illa ergo præfata verba, sicut paterfamilias seruis prohibuit, ut stante metu eradicationis tritici non colligerentur zizania: ita ex opposito eisdem seruis concessit, ut nulla existente iusta metus causa possent zizania colligere. Ad hunc prorsus modum (ut parabolam nostro proposito accommodemus) in hereticorum punitione exercenda, faciendum esse censeo. Si de homine aliquo dubitatur, haereticus ne sit ille, an secus: prouterea quod non plenè constat illum talem haereticam assertionem dixisse, aut non constat illum esse pertinacem, aut si constat illum talem aliquam propositionem

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tionem perinaciter docuisse, non tamen constat illam propositionem esse hæreticam : tunc certè nimis iniuste agerent inquisitores, si illum hæreticum declararent, & iniuste atq; crudeliter ageret laica potestas, si illum occidi iuberet. Tunc enim illi dicit Deus : Non colligatis zizania, ne forte simul eradicetis & triticum. Si verò certissimè noscitur aliquem hominem esse hæreticum : quia assertio, quam tuetur, ex diametro pugnat eum Catholica fide, & ille semel, & pluries legitimè admonitus nō vult resipiscere : tunc licet occidendum est : quia non timetur ut Catholicus pro infidelī occidatur. Hunc autē esse verum & germanum illius literæ sensum testatur beatus Hieronymus, qui in commentariis super Matthæum præ Hieron. fatam parabolam interpretans, ait : Quod autem dicitur : Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & frumentum, datur locus pœnitentiæ, & monemur, ne cito amputemus fratrem. Quia fieri potest, ut ille, qui noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque, quod sequitur. Sinite utraque crescere ad messem, videtur illi præcepto esse contrarium: Auferte malum de medio vestrum, & nequaquam societatem habendam, cum his, qui fratres nominantur : ut sunt adulteri, & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatione, & usq; ad messem tenenda est patientia, quo modo eiendi sunt quidam de medio vestrum. Inter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium, quandiu herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est : & in discernendo, aut nulla, aut perdifficilis est distantia. Præmonet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, ut quum dies iudicij venerit, illum non suspicio criminis : sed manifestum reatum de sanctorum cœtu eiiciat. Hæc Hieronymus. Qui tam apertè nostram confirmat sententiam : ut nihil apertius pro illius assertione dici possit. Eadem sententiae subscribit Augustinus, qui libro tertio contra Epistolam Parmeniani, cap. 2. sic ait : Ipse Dominus quum seruis volentibus zizania colligere, dixit. Sinite utraque crescere usque ad messem, præmisit causam dicens : Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. ubi satis ostendit, cum metus iste non subest : sed

omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabilis appareat: vt vel nullos prorsus, vel non tales habeant defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinae, in quanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligenter confirmatio charitatis. Hæc Augustinus. Qui aper-
tissime nost:æ faveat sententia:æ.

A N L I C E A T H Ä R E T I C O S B E L L O
 oppugnare, postquam de illorum pertinacia,
 atque rebellione plenè constiterit. Cap. X I I I .

EO Tempore quo opus hoc de iusta hæreticorum punitione scribebam, Tridenti aderam, vbi hortante, atq; solicitante Carolo Cæsare semper Augusto huius nominis quinto, Hispaniarumq; Rege eiusdem nominis Primo, Paulus tertius summus huius nominis Pontifex, generale tunc conuocauerat concilium, ad quod ex mandato serenissimi Philippi Hispaniarum Principis, qui tunc Hispanias propter Caroli Patris absentiam moderabatur, peruenneram. Per id tempus idem Carolus Cæsar, contra quosdam Germaniae Principes ob multas, easque iustissimas causas bellum mouere decreuit. Progrediente igitur bello quum illud talia iam haberet initia, vt magnam victoriae praæberent spem, ego propter morbus, qui diu, atque acerbè me ibidem vexabat, horratu medorum, qui meæ saluti consulebant è Tridento in Hispaniæ meumque natale solum redire coactus sum. Quò quum redirem, multos, variosque homines, qui se fideles Catholicos iactabant, in via audiui, qui bellum, quod Cæsar gerebat ob solam Christianæ religionis causam ab illo motum esse interpretantes, eundem Cæsarem ob eandem causam improbè, atque irreligiose accusabant, dicentes rem minime Christianam esse, hæreticos bello oppugnare: quia illi (vt dicebant) non armis, sed rationibus vincendi erant. Hac igitur occasione ego motus, de: creui hanc controuersiam huic operi, quod rā ad umbilicum perduxeram, inserere, vt ostenderem toto (vt dicitur) errare

erit are celo eos, qui ita sentiunt. Ut autem hoc apertius ostendere valeamus, illud ante omnia statuere oportet non omne bellum esse malum, & lege diuina damnatum, ut Manichæi, & alij hæretici sentiunt: sed aliquod esse bellum lege diuina non solū permisum, verum etiam laudatum, illud scilicet, cui omnia adsunt, quæ ad iustum bellum exiguntur. Nam Ioannes ille præcursor Domini, quo nulus inter natos mulierum maior surrexit, militibus inter

Luc. 3. rogamibus eum quid facerent, ut vita assequerentur eternam: non præcepit arma abscire, militiam deserere, neminem percutere, neminem in bello occidere, aut vulnerare: sed solū hoc præcepit, ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, & contenti essent stipendiis suis.

Si autem omne bellum esset damnatione dignum, non hoc solo contentus esse debuissest Ioannes Baptista: sed oportebat, ut omne bellum illis prohiberet. Cum ego nihil tale illis dixerit, eo ipso visus est sentire aliquod esse bellum laude dignum. Deinde ipse veritatis Magister Christus saluator noster monet tributa Cœsari reddi, quæ ob eam causam (iuxta Pauli sententiam) reddi iubentur, ut inde militi ad pacis conseruationem necessario stipendum solvatur. Nam de obedientia Principi præstandaz

Mat. 22.

Rom. 13. Paulus differens, ait: Ideoq; necessitatibus subditi estote, non solū propter iram: sed etiā propter conscientiam. Ideoq; enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Ex quibus omnibus apertissimè constat aliquod esse posse iustum bellum. Quæ autem sunt necessaria, & sufficientia, ut iustum aliquod sit bellum, nūc explicare oportet, ut inde constare poscit an iustum sit hæreticos bello oppugnare. Ut bellum sit iustum, iustitia illa, quæ solū excludit obligationem restitutionis eorum, quæ in bello sunt capta, sola duo sunt necessaria: videlicet autoritas, & potestas ad bellum faciendū. & causa necessaria. Si tamen bellū debet esse iustum, iustitia illa, quæ excludit peccatum, hoc est, ut sine peccato fiat: duo insuper alia sunt necessaria. Horum primum est, ut bono animo, & bona intentione bellum inferatur. Alterum, ut persona, quæ in bello pugnare debet, sit ad bellū legitima, id est, talis, cui non sit lege prohibitum in bello pugnare. Tertium, aliqui addūt videlicet rem, pro qua bel-

lum

Ium geritur, ita ut bellum fiat pro rebus recuperandis aut pro patriæ defensione. Sed hoc tertium (vt ego censeo) superfluit: quia continetur sub altero ex duobus pri mis, videlicet sub iusta causa. Oportet igitur, vt omnia hæc quatuor, quæ diximus esse requisita sigillatim discutiamus, & inde apertè constabit iustum posse esse bellum, quod contra hereticos fieri continget. Primum igitur necessarium ad bellum iustum est autoritas bellum facientis. Non enim quilibet pro suo arbitrio potest bellum mouere: sed solus ille, qui non habet superiorēm, à quo iniuria, aut damni sibi illati recompensationem petere possit. Nam qui superiorēm habet, ad quem possit confugere pro recompensatione, aut vindicta impetranda, non potest bellum mouere. Nam Dominus hoc illi apertè prohibi buit dicens: Mihi vindictam, & retribuam. At qui à superiorē, qui loco Dei præcessit, vindictam petit, à Deo petit, qui illum ad hoc constituit suum ministrum, vt illos, quorum curam habet, tueatur, & protegat ab omnibus, qui illos nocere voluerint, siue subditi illius sint inuasores, siue extranei. De subditis enim loquebatur Paulus, quum ad Romanos scribens, dicit: Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindicta in iram ei, qui malum agit. Ad hoc enim censet Paulus, datum esse à Deo Principibus gladium, hoc est puniendi potestatem, vt subditos malefactores punire possit, & sic læsorum iniurias vindicare. Circa extraneos verò intelligendum est id, quod Regius propheta ait: Eripite pauperem, & ægumen de manu peccatoris liberate. Eisdem etiam loquitur Hieremias propheta dicens: Facite iudicium, & iustitiam: & liberate vi oppressum de manu calumniatoris. Inferior ergo, qui superiorēm habet, ad quem pro recompensatione damni, aut pro vindicta impetranda, confugere potest, iniuste ager, si pro aliquo horum propria autoritate bellum mouerit: quia sic agens Dei præceptum transgredietur, qui vindictam prohibuit. Princeps autem, qui nullum superiorēm in ciuilibus rebus agnoscit, sicut pro regno, aut republica, quam regendam, aut protegendam suscepit, iuste potest bellum mouere, ita etiam pro se ipso quatenus persona est communis, & publica: quia non habet superiorēm,

Deut. 32.

Rom. 13.

Psal. 91.

Hier. 22.

ad quem pro vindicta impetranda configere debeat.

Hoc enim apertè docet Augustinus contra Faustū lib. 28.

August. cap. 75. sic inquiens : Ordo naturalis mortalium paci ac-
cōmodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli autoritas, atq;
consilium penes principes sit, exequendi autē iusta belli:
ca ministerium milites debeant paci, salutisq; communi.
Hæc ille. Principis autem nomine hic intelligo non so:
lum Imperatorem, & Reges illos, qui Imperatori nequa:
quam subduntur: sed omnes illos dominos, qui in causis
subditorum suorum definiendis plenam habent iurisdi:
ctionem, plenumq; dominium, ita vt illorum sentētia au:
dita, neminem alium superiorem iudicem subditi illo:
rum appellare possint. Tales sunt hodie aliqui Domini
in Italia. Vt sunt Dux Florentiæ, Dux Ferrariae, Dnx
Mantuæ, Marchio Montis Ferrati. Nam hi omnes ex
consuetudine antiqua hanc habent in suos subditos iu:
risdictionem, & potestatem, vt ab illorum ciuili senten:
zia ad nullum alium superiorem, illorum subditi appel:
lent. Et nescio an aliquibus Germaniæ Ducibus, aut Mar:
chionibus, hæc autoritas, & potestas belli mouendi ho:
die cōpetat. Cuius dubitationis causa inde mihi oritur,
quod eorum quilibet propriam cudit monetā: quod so:
li superiori Principi iure competit. Sed hoc non obstan:
te ego censeo hanc potestate in bellī mouendi esse illis
iure negatam, propterea quod omnes illi subduntur Imperatori: à quo puniri potest quicunque illorum alteri
iniuriam irrogauerit, aut damnum dederit. Cuius rei
apertissimum pr̄bet testimonium Senatus publicus, qui
est in Germania Imperatoris autoritate suffultus, ad quē
ex omnibus Germaniæ oppidis confugiunt, quotquot
ab aliis dominis se iniuste damnatos esse arbitrantur.
Cūm igitur omnes illi Imperatorem agnoscant, à quo
quicunq; illorum potest iniuriæ, aut damni recompen:
sationem petere, cōsequens inde est, vt nullus illorum pos:
sit iuste fine Imperatoris autoritate aduersus aliquem
alium bellum mouere. Quia bellum non nisi necessitate
cōgente mouendum est, ac proinde bellum semper cen:
sendum est iniustum, quando rei pro qua bellum geritur
aliter, quam per bellum potest commodè prouideri. De
reliquis autem Ducibus, aut Marchionibus, aut reliquis
do:

dominiis etiam si Principis nomine censeantur, in regno Hispaniae, aut Franciae, aut Neapolis, aut alio quouis regno, sub Regis potestate dominium tenetibus, non est cur aliquis dubitare debeat, an bellum sine Regis, cui subduntur autoritate, & permissione, mouere possint. Nam & si illi suis subditis iura dare possint, & leges in illis item ferendis, Regi sic subduntur, ut nihil contra leges a Rege statutas, decernere possint. Et inde constat eos non esse verè capita prouinciarum, aut oppidorum, quibus praesunt, & imperant: ac proinde insuriam facerent Regibus, quibus subsunt: si illorum autoritatem bellum mouendo, sibi usurparent: ac si ipsi vera, & suprema capita in suis dominiis essent. Nomine etiam Principis in litera Augustini supra citata, intelligendae sunt illæ res publicæ, quæ ex antiqua consuetudine plenam habent in terris sibi subiectis iurisdictionem: ita ut nullum alium superiorem agnoscant. Nam tales respublicas cederem æquè habere belli indicendi autoritatem, ac Reges: quia in illis etiam est (ut Aristoteles docet) principatus, quoniam ab eodem Aristotele non æque laudatus, ut Regas. Hoc tamen, quod de rebus publicis nunc dicimus, & proximè supra de quibusdam Ducibus, & Marchionibus Italæ diximus, hac conditione intelligendum esse censet, & rectè Thomas de Vio Cardinalis, Caietanus vulgo nominatus, si illi bona fide in pacifica possessione talis autoritatis belli indicendi fuerint, & sunt. Nam si illam usurpauerunt ex magnitudine potentiae, ob quam tam audacter suis superioribus rebellarunt, ut ab illis non potuerint, nec modo possint coerceri, ille censet nullam illos autoritatem iusti belli indicendi habere.

Cuius sententia ego libentissime subscribo. Quoniam indecens est, ut quod malæ fidei initium habuit postea sine alia iusta causa succedente, iusta possessione firmetur. Nam (ut regula iuris in. docet, possessor malæ fidei nunquam perscribit. Secundum quod ad iustum bellum diximus esse necessarium, est causa iusta. Causæ belli iusti multæ, & variæ esse possunt, quas omnes generali quadam elocutione Augustinus comprehēdit dicens iustum belli causam esse iniuriam illatam, cuius vindictam: cum aliter quam per bellum, Princeps, aut is, penes quem est

Super se:
cundam se:
cundæ, qu.
40. artic. 1.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

belli mouendi autoritas, habere non potest, iuste poterit
bello petere. Nam in quæstionibus super librum Iosue,
quæst. 10. bellum iustum definiens, ait: Iusta bella solent
definiri, quæ vlciscuntur iniurias: sic gens, vel ciuitas
plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis
improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam abla-
tum est. Hæc Augustinus. Et citantur à Gratiano in cap.
Dominus, 23. qu. 2. Sed quia dubium esse potest, quid no-
mine iniuriæ intelligatur, & inde necessario oportebit,
vt sententia de iustitia belli, quæ ab iniuriæ cognitio-
ne pendet, sit etiam dubia: ideo vt omnis dubitationis
causa hinc tollatur: decreui omnes belli iusti causas hic
recensere, easque omnes sacræ scripturæ testimonio com-
probare, vt nullus de aliqua illarum iuste dubitare possit
iusta sit, an non. Quibus enumeratis inter illas reperi-
mus eam, de qua nunc disputamus, & inde aperte cōuin-
cemus, iustum esse hæreticos rebelles bello oppugnare.

Prima igitur belli causa est Idolatria, à qua qui rece-
dere noluerint, iuste ob hoc debellari possunt. Nam ob
hanc causam Deus præcepit filiis Israël, vt gentes pluri-
mas subueterent, & dissiparent, sic in Deuteronomio
Deut. 23. inquietus: Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt
gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes ex-
cellos, & colles, & super omne lignum frondosum.
Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne
comburite, & idola comminuite, disperdite nomina illo-
rum de locis illis. Quæ omnia Nicolaus Lyranus ideo
præcepta esse censet, ne ex phanis, seu templis idolorum
remariantibus, occasio idolatriæ Iudæis daretur, & vt
memoria idolatriæ prorsus tolleretur, & sic tanta Dei
iniuria in populo suo vitaretur. Et testimonio huius
præcepti diuini fretus, ego sentio iustum esse bellum,
quod Catholici Hispaniarum Reges contra Barbaras
gentes & idolatras, quæ Deum ignorabant, versus Occi-
dens, & Austrum inuentas, ante aliquot annos gesserunt
& nunc etiam gerunt. Hac tamen conditione bellum il-
lud iustum esse censeo, si antequam Reges contra illos
bellum moueant, procurent diligenter, & fideliter illos
monere, vt falsorum deorum cultum deserant, & verum
Deum, qui est cunctorum creator, & rex adorent.

Hanc

Hanc autem monitionem, oportet non esse leuem, & per functioniam, qualem facere solet homines in rebus parvū momenti: sed oportet esse monitionem vehementem & diligentem qualē Paulus Timotheo facere praecepit, sic dicens. Prædica verbum, insta oportunè, importunè. Quę verba interpretans Theophylactus ait. Veluti cum immoratione & instantia loquere, non semel, sed semper. Non sit tibi statum tempus, sed importunè etiā quum in periculis fueris, & extra ecclesiam loquere & prædica. Et opportunè, hoc est, cum in pace & extra trepidationē fuisse, & in ecclesia. Hęc ille. Non est igitur satis semel & Ie: uiter Indos de Christiana religione admonere, sed oportet semel, & iterum atq; iterum legem euangelicā illis annuntiare: & deinde ad illius confirmationē aliquas offerre verisimiles rationes: quarū maxima, præter miracula, esse solet vita honesta & inculpata eorum qui prædicant. Nam si leuis esset prædicatio, vtputa quia semel tantum facta, & sine vlla suadente ratione, fortè illi nō tenerentur statim credere, ne leues corde censerentur. Nam Chr̄stus Saluator de incredulis quibus ipse prædicauit, dixit Si opera non fecissem in eis, quæ nemo aliis fecit peccatum non haberent. Et Augustinus dicit. Quod si gentes sine ullo miraculo credidissent legi euangelicæ carnis & sanguinis inimicæ, magnum fuisset miraculum. Absurdum autem esset dicere, quod Indi isti in nouo orbe respergi, quibus nunquam fuerat annuntiatum Euangeliū, teneantur citius credere, quam illi quibus Christus ipse prædicauit. Deinde oportet monitionem illam esse blandanam, & quæ se ostendat ex visceribus charitatis procedere, & non asperam nimis & terroribus plenam, quia talis potius coactio quam monitio dicenda est. Vnde beatus Gregorius ait. Qui syncera intentione extraneos à Christiana religione, ad fidem cupiunt perfectam perducere, blandimentis debent nō asperitatibus studere. Nam qui: cung; aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta sui ritus voluerint cultura remouere, suas illic magis q̄ Dei causas probantur attendere. Hęc Gregorius, & citantur à Gratiano in cap. Qui syncera. 45. dist. Et concilium Toletanum ait. De Iudæis autem præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre, Cui enim

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

vult Deus iniuriet, & quem vult indurat. Hæc concilium Toletanum. Quod autem Schotus in quarto sen.
dist. 4. qu. ultima dicit religiose fieri, si principes Christiani cogere minis & terroribus infideles ad fidem suscipiendam, Ego existimo, intelligendum esse, de illis solis Principibus, qui infidelibus alias presunt, quos tanquam sibi subditos regunt, & gubernant. Et hos possunt a suo dominio & ditione repellere, & fortè alia damna illis inferre, nisi velint iuxta Christianam religionem viuere. Reliquos autem qui alios suo non subsunt imperio, non possunt principes Christiani minis & terroribus cogere ad fidem Christi suscipiendam: sed possunt & debet eos diligenter, & pluries, & blandè, ut Gregorius docet, monere. Quam monitionem si illi receperint, quanvis baptismum suscipere nolint: non credere iustè posse bellum contra illos moueri. Si autem tali monitioni obtemperare noluerint: sed obstinati in suo errore persistent: præsertim si verbi Dei prædicationem impedian, tunc iustum erit, quod ob hanc causam contra illos geritur bellum. Quia omnes illæ gentes (ut experientia comprobatum est) idolatriam exercent, & multa alia contra legem naturæ nefanda vitia committunt. Nam quemadmodum Deus olim filiis Israel contra Iebuseum, & alias idolatrias gentes fieri præcepit, ita nunc etiam contra has gentes similibus vitiis & criminibus infectas, fieri expedit. Et hoc aperte docet Cyprianus sic dicens. Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & Idola spernenda, hæc præcepta seruanda sunt, quanto magis post aduentum Christi sunt seruanda? Hæc ille, Et habentur in capitulo. Si audieris. 23. quæstione quinta. Si iustum est bellum, vt Augustinus in loco supra citato dicit, quod hominibus ad suas vlciscendas iniurias gerunt, multò iustius oportet esse bellum, quod principes Christiani ad vindicandas Dei iniurias gesserint: quia magis Deum quam se diligere tenentur, & inde consequens est, vt plus pro Dei honore quam pro suo facere possint, & debeant. At maxima infertur Deo iniuria per idolatriam, quoniam per illam supremus, qui soli Deo debetur, honor auferunt ab illo, & redditur creature, cui minimè consonit. Et certè nullum est peccatum, vt sacra literæ sèpè testan-

testantur, quod magis irridet Deum, & propter quod Deus magis se offendit fuisse ostendat. Præterea, Si Barbari illi apud nouum orbem ab Hispanis inueniti blasphemassent Christum, & noluissent a blasphemia abstinere, potuissent ob hanc causam principes Christiani (ut docer. Thomas. 2. secundæ qu. 10. articulo octauo.) illos bello petere: ergo multò melius possunt illos bello petere propter Idololatriam, quoniam hæc multò grauius est peccatum, quam blasphemia. Fortè hic aliquis mihi obiciat, quod odium Dei est multò grauius peccatum quam Idololatria, & tamen propter illud non licet contra aliquem mouere bellum. Rursum, si propter Idololatriam licet pugnare contra hos Barbaros, ergo propter adulteria & furta, & alia id genus peccata posset bellum aduersus illos moueri: & inde ultra sequeretur ut etiam posset bellum moueri contra Christianos propter similia peccata, quanvis illi qui bellum mouent non furent per talia peccata læsi: quia per illa peccata etiam infertur Deo iniuria: quanvis non ita grauis: & Deus per illa se ab hominibus offendit esse declarat. Respondeo quod licet odium Dei sit multò grauius peccatum quam Idololatria, tamen quia non ita hominibus patere potest, propterea quod in abscondito mentis latet, ideo non potest iuste ab hominibus puniri, nec ipsi Dei osores possunt propter illud ab hominibus debellari. Nam (ut ait Salomon) qui indicat quæ nouit, iudex iustitiae est. Alia autem peccata etsi grauia sint, & hominum oculis pateant, non tamen præbent causam sufficientem, ut propter illa bellum contra illorum autores moueri posset. Quia etsi Deus per illa grauiter offendatur, ipse tamen Deus qui offensus est, non cõcessit Principibus facultatem, ut propter illa bellum cõtra illorum patratores à quibus non sunt læsi gerere possent, prout concescit illis contra Idololatras in verbis illis ex Deuteronomio citatis. Sed huic argumento fortè aliquis Indorum patronus respondebit, quod Deus in illis verbis ex Deuteronomio citatis non præcepit fieri bellum contra Amorrhæos, & alias sex nationes propter illorum Idololatriam: sed quia Deus terras eorum promiserat Abrahæ & semini eius post eum. Hec tamen responsio nihil prorsus minuit ym argumēi.

Nam quum Deus promisit terram illam Abrahæ & semini eius, iam tunc decreuerat illam tollere ab Amorrhæis propter iniquitates eorum, & postquam statuerat auferre ab illis indignis possessoribus, tunc promisis Abrahæ se daturum illi terram illam. Prius certè oportebat auferre ab illis, quām daret aliis, quia prius natura est corruptio vnius quām generatio alterius. Nunquam autē Deus statuisset tollere terram illam ab Amorrhæis, nisi peccata illorum præuisa hoc exegissent, quia nunquam (vt Augustinus ait) Deus est vltor, nisi prius aliquis sit peccator. Et hoc ipsamet Dei verba, quibus Abrahæ & semini eius promisit terram illam, manifestissimè declarat. Hęc enim ait illi Deus. Scito prænoscens quod peregrinum futurum fit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos servituti, & affligerent quadringentis annis, Veruntamē gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo; & post hęc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc, necdum enim completa sunt iniuriantes Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Ex his ultimis verbis apertissimè conuincitur Amorrhæos propter suas iniquitates priuatos esse à Deo terra sua. Sed multò apertiora sunt quæ habentur in Deuteronomio cap. 9. Ne dicas (inquit Moyses) in corde tuo cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus, vt terram hanc possiderem: cùm propter impietas suas istae deletæ sint nationes. Neque enim propter iusticias tuas, & equitatem cordis tui ingredieris vt posideas terras earum: sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt, & vt compleret verbum suum Dominus quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis Abraham, Isaac & Jacob. In quibus verbis apertissimè dicitur nationes illas deletas esse propter suas impietas. In illis autem verbis quę subdit, Et vt compleret verbum suum Dominus, Illa Coniunctio (vt) non denotat causam, sed consecutionem effectus, prout sèpè capi solet in sacra scriptura. Lex subintravit (inquit Paulus) vt abundarret delictum. Absit vt quis de Deo ita sentiat. Sed dedit eam Deus vt per eam homines fierent boni & iusti: attamen nō ira factum est, immo econtra data lege homines abundantur in delictis, quia vetita

vetita magis concupuerunt. Est aliud simile apud Ioan-
nem vbi ait. Facta sunt enim hęc vt scriptura impleretur.
Os non comminuetis ex eo . Certe non fuit causa quare
facta sunt illa, Adimpletio scripturæ. Imò potius econ-
trario ideo scriptura prædixit, quia ita futurum erat.
Nam alias casuallis & fortuita videretur illa prædictio
scripturæ & non prognostica . Sensus ergo quem Ioan-
nes in illis verbis intendit, est quod factis illis rebus im-
pleta fuit scriptura dicens : Os non comminuetis ex eo.
Idem per omnia dicendum est de illa promissione Abra-
hæ , quod deletis gentibus suis propter impietates suas,
Deus dedit populo Israël terras illas quas Abrahæ pro-
miserat , se daturum semini eius . Si quis autem con-
tendere velit coniunctionem illam (Vt) non dicere illo
loco consecutionem effectus : sed veram causam, ego ob
hoc nolo contendere : dicam tamen tunc quod ex litera
ipsa constat , duas ibi explicari causas propter quas na-
tiones illæ deletæ sunt . Prima & potissima est impie-
tas ipsarum nationum. Altera quæ ex ista pendet, & est
ista posterior , est impletio promissionis diuinæ . Prima
ergo, quia prior potest per se sine posteriore subsistere.

Secunda iusti belli causa est, recessus à vero Dei cultū,
ita vt si populus aliquis verum Deum agnoscēs, & illum
(vt decet) colens hunc talēm Dei cultūm desereret, & al-
teri, cui non debetur, tribueret : iustè ob hoc posit bello
oppugnari ob eo, qui belli mouendi autoritatem habet.
Nam Deus olim filiis Israël præcepit , vt ciuitatem, quæ
in hoc incidisset crimen, bello delerent, sic in Deuterono-
mio inquiens; Si audieris in vna vrbium tuarū, quas Do-
minus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes ali-
quos : Egressi sunt filii Belial de medio tui, & auerterunt
habitatores vrbis suæ, atq; dixerunt: Eamus, & seruiamus
diis alienis, quos ignoratis : quære solicite, & diligenter
rei veritate perspecta, si inuenetis certum esse, quod dici-
tur, & abominationem hanc opere perpetrata : statim
percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis
ea omnia, quæ in ea sunt vsque ad pecora . Quidquid
etiam supellestilis fuerit , congregabis in medio platea-
rum eius, & cum ipsa ciuitate succedes, ita vt vniuersa
consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus.

Deut.13.

Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo an*g*
themate quidquam in manu sua, aueitatur Dominus ab
ira furoris sui, & misereatur tui. Haecen^s Dominus De:
us in Deuteronomio. In quibus verbis, præter cætera id
annotandum est, quod vltimo dixit: Ut auertatur Domi:
nus ab i*n* furoris sui, & misereatur tui. Nam per illa ver:
ba docemur crimen illud tam graue esse coram Deo, vt
propter vnam solam ciuitatem illo crimine infectam, sae:
pe ira Dei prouocetur contra totum regnum: præsertim si
negligatur puniri tale peccatum. Propter hanc causam
omnes filii Israhel conuenerunt in Sylo, vt pugnarent
contra tribum Ruben, & tribum Gad, & dimidiām tri:
bū Manasse. Audierant enim filii Israhel illos ædificasse
altare in terra Chanaan iuxta Iordanem: putaueruntq*e*
illos ad hunc finem ædificasse altare, vt in illo diis gen:
tium hostias, & victimas offerrent. Ut autem à nuntiis,
quos ad illas tribus ob hanc rem miserant, plene edocti
fuerunt, aliter se rem habere, quam ipsi putauerant, absti:
nuerūt à bello quod contra illas tribus facere decreuerat.

Sed hic aduertere oportet, quod quanvis hæc de qua
nunc agimus, sit iusti belli causa, nō tamen propter illam
licet cuilibet aduersus huiusmodi recedentes à vero Dei
cultu bellū mouere, sed hoc illi soli cōcessum est, qui istis
sic recedentibus aliis ut supremus illorum Dominus im:
perabat. Nam sicut iste solus est qui iure illos punire po:
test, ira etiam solus ille est, qui authoritate sua potest beli:
lum aduersus illos mouere.

Tertia iusti belli causa est, quum quis alium impedit, ne
id quod sibi iure debetur, assequatur. Ideo Iulius Cæsar
apud Lucanum optime mihi dixisse videtur.

Lucanus Libr. i. Arma tenenti

Omnia dat, qui ita negat.

Quæ verba ideo Cæsarein dixisse constat, vt bellū, quod
contra Romanam rem publicam mouebat, iustum ostend:
eret causam: propterea quod aditum ad Romā, qui sibi
tanquam vero ciui, & bene de repub. merito, iure debe:
batur, senatus, populusq*e* Romanus, illi impedire molies:
batur. Sed prophanis exemplis prætermisis, sacram ex:
emplum, quod multò maioris est roboris proferamus. Fi:
lii Israhel (vt liber Numerorum testatur) pugnauerūt con:
tra Scōn,

Num. 21.

tra Seon, & Og Reges Amorrheorum, propterea quod illis permittere noluerunt, ut per terram illorum transiret, quamvis filii Israel eisdem Amorrheis fide iubebant se non declinaturos in agros, aut vineas eorum, nec bibitum aquas ex puteis eorum: sed via Regia incessuos, donec transirent terminos eorum. Quam historiam pertractas Augustinus in questionibus super librum Numerorum Augus., quæstione 43. ait: Notandum est sane quemadmodum iusta bella gerantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Hæc ille.

Quarta belli iusti causa est, cum propria res petitur, que per vim, & violentiam ab hoste detinetur, nec aliter quam per bellum recuperari potest. Propter hanc enim causam mortuo Saule Dauid bellum gesit contra Isboseth filium Saulis, qui occupare nitebatur regnum Israel, quod per Samuel prophetam Deus iam Dauidi concesserat.

Quinta iusti belli causa esse potest sui ipsius, aut subditorum Principis defensio. Nam sicut sui ipsius defensio iure cuique concessa est, ita etiam defensio eorum, qui Principi subduntur, iure conceditur Principi propterea quod si cur quisque sui, ita Princeps suorum omnium curam gerit. Et si illi ab hoste vexantur, iuste potest Princeps pro illorum tutela bellum contra hostem mouere, ut illum à vexatione subditorum suorum abstinere cogat. Nam (ut iuramentum) vim vi repellere licet. Hæc enim præcipua est causa, propter quam Dauid tot bella contra Philisteos gefisse sacra perhibet historia. Propter hanc etiam causam, & propter proximè præcedentem: filii Israel Ducibus Machabeis saepe contra Antiochum, & Demetrium Reges fœliciter pugnauerunt.

Sexta iusti belli causa est, contra eum qui hosti iniuste persecutio fauet. Nam sicut hostem iniuste persecutum propulsare licet: ita etiam illum, per quem hostis potentia augetur deprimere licet, ut illo depresso, & humiliato, hostis potentia minuatur. Ob hanc causam Dauid Rex percusit Syriam Damasci, eo quod auxilium prebebat Adarezet Regi Soba.

Septima iusti belli causa esse potest si publicam iniuriam quisquam Principi intulerit, & ille, aut qui illi præfuit, dignam

2. Reg. 2.

1. Reg. & 2.

1. Mac. & 2.

2. Reg. 8.

dignam recompensationem reddere noluerit. Hæc sola fuit causa, propter quam Dauid Rex bellum mouit aduersus Hanon Ammonitarum Regem. Nam ille publica iniuria affecerat Dauid Regem, quum ille medium partem barbæ nuntiorum, quos Dauid Rex ad illum miserat, radi, & vestes illorum medias vsque ad nates præscidi iussit. Hæc enim iniuria non solum ipsis nuntiis, qui passi sunt: sed etiam Regi, a quo missi fuerant, illata est. Regi igitur, qui iniuriam passus est, eiusdem iniuriæ compensationem per se ipsum sumere licet; quia superiorem, a quo illam petat, non habet. Sed cum hanc petere tentat, hoc præ oculis illum habere oportet, ne occasione vindictæ, vt iram suam expleat: sed cōmuni vtilitati consulens, id faciat. Ut vñdelicet iustitia publica seruetur, & quisq; fibi ipsi deinceps caueat, ne alteri iniuriam inferat.

Octaua iusti belli causa esse potest, rebellio subditorum, qui contra principem suum insurgunt, & ab illo admóniti illi obedire contemnunt. Nam Princeps sic contemptus iustè potest contra subditos rebelles bellum mouere. Cuius rei testimonium fidele præbet nobis Dauid Rex qui bellum mouit aduersus Seba filium Bochri: propterea quod populum solicitauit, vt a Dauide Rege ad ipsum deficeret. Ideò Augustinus libro. 22. contra Faustum cap. 74. ait: Aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo Imperio iubente: gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanaarum ordine inueniantur, vbi eos, vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit. Hæc Augustinus. Sed qui has causas breuiori numero comprehendere voluerit: poterit hanc octauam causam ad quartam referre. Quotiam qui aduersus rebelles bellum gerit, propriam rem, hoc est, obedientiam petit, quæ iniustè a subditis illi subtracta est.

Nona iusti belli causa est, si quis scelestum hominem, qui iure puniendus est, defendat ne iustas persoluat personas. Nam Princeps ad quem spectat scelestum hominem punire, iustè potest contra iniustum illius defensorem bellum mouere. De qua re apertum nobis profert testimonium liber Iudicum, qui refert vñdecim tribus Israel (quorum Dux ex mandato Domini fuit Iudas) mouisse bellum

2. Re. 10.

2. Reg. 20.

August.

Iudi. 20.

bellum contra ciuitatem Gabaan, & totam tribum Beniamin, eō quod homines de Gabaa, qui vxorē viri Leui tē incredibili furore libidinis vexātes, occiderūt, reddere ad supplicium noluerūt: sed tanquā rem iustam egissent, defendērunt. Ob quā causam omnes vndeclim tribus sic ex animo contra tribum Beniamin pugnauerunt, vt pa-
rum abfuerit, quin ipsam tribū Beniamin proīsus delerēt.

Decima belli iusti causa est, violatio pacti, & fœderis ī*ini*ⁱ. Nam ob hanc causam, is, qui ex talis fœderis vio-
latione lœsus est, potest iuste contra fœderis violatorem bellum mouere. Ob hanc causam Ioram Rex Israel adiu-
uante illum Iosaphat Rege Iuda, bellum mouit contra Mesam Regem Moab, eo quod tributa agnorūt, & arie-
turn: quē ille Regi Achab patri Ioram ex fœdere antiquo
quotannis soluere tenebatur, reddere noluit. Si qui au-
tem hoc bellū accusare voluerit: propterea quod à Ioram
Rege pessimo gestum est, facile hæc accusatio tollitur, per
id quod Iosaphat Rex Iuda iustus huic bello suppetias
tulit, quas dare noluit nisi prius Dominū per prophetam
consuleretur, an mouere deberet bellum an non. Eliæus
igitur propheta qui, & si Ioram Regem ob illius nequi-
tiam dignatus est, ob reuerentia tamē Iosaphat Regis
iusti, inspirante Deo responsa dedit, cōstantes illos & for-
tes ad bellum faciens per certam victorię promissionē;

4. Reg. 3.

Ecce omnes belli iusti causas, quas ego ex sacris literis colligere potui, præter quas nullam aliam reperiri posse existimo, quæ ad aliquam harum reduci non possit. De hoc tamen Lectorem admonere decreti, vt intelligat easdem causas iusti belli habere illum, qui primum iusti bel-
li motorem iuuat, quas ipse primus belli motor habet.
Quo fit, vt quisquis iuste bellum gerenti, bellando fauet,
iusta belli causam habere dicatur: nisi aliud obstat, quod iustitia belli impedit. Iusta enim belli causa est fauere iustitiae, propter cuius defensionem iustum censetur bel-
lum. Iuste enim pugnauit Abraham contra quatuor Re-
ges, qui Lot filium fratris sui captiuum ducebant, & eri-
puit illum de manu illorum. Si iustam belli causam ha-
buisset Lot contra illos Reges pugnando, & illis resisten-
do ne ab illis caperetur: iustam etiam belli causam habuit Abraham ipsi Lot suppetias ferendo, vt ipsum ab hostibus eriperet,

Gen. 14.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

eriperet, qui illum iniustè rapuerat. Iuste etiam Iosaphat
 4. Reg. 3. Rex Iuda bellum contra Regem Moab gesit, pro Rege
 Ioram, quia ipse Ioram Rex, cui ille adiutorium præbe-
 bat, iustum (ut diximus) belli causam habebat.

Quatuor esse diximus ad iustum bellum necessaria, ex
 quibus duo, quæ diximus esse præcipua hucusque decla-
 rauimus, videlicet authoritatem, & causam, superest, ut
 alia duo exponamus. Bona intentio in bello requiritur,
 August. ut iustum illud dici possit. Hoc docet Augustinus lib. 22.

contra Faustum, cap. 74. sic inquiens. Nocendi cupiditas,
 vlciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis ani-
 mus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua simili-
 tia. Hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur, quæ plerumq;
 ita culpantur, ut iure etiam puniantur. Hæc ille. Sed hæc
 bona intentio non est propriæ iusti belli cōditio: sed com-
 munis ad omne opus bonum. Nullum enim opus bo-
 num dici potest, si illud parua intentione fiat. Hæc tamen
 operis malitia, non ab opere ipso oritur: sed ab ipso ope-
 rante, qui id, quod bonum est, male operatur. Quo sit, ut
 quum de iustitia alicuius belli inquiritur, id solum sit in-
 uestigandum: quod est ipsi bello intimum, & connatura-
 le; non autem id, quod est illi aduentitium. Ultimū, quod
 in bello iusto dicitur esse requisitum, est, ut persona, quæ
 bellum gerit, non sit bellare prohibita. Nam qui sic pro-
 hibitus pugnaret, eo ipso peccaret, cōtra prohibitionem
 faciens, & sic bellum alioqui iustum ipse iniustum faceret.
 Ecclesiasticis personis, publico decreto est bellum interdi-
 citum. Nam concilium Toleranum tale de hac re statuit
 decretum Clerici, qui in quacunque factione arma volent
 res sumperint, reporti amissio ordinis sui gradu, in mona-
 stero perenniter tradantur. Hæc concilium Toletanum.
 Et concilium Meldense, à Gratiano citatum. 21. q. 8. sic
 ait: Oricunq; ex clero videntur esse, arma militaria non
 sumant: nec armati incedant: sed professionis suæ vocabu-
 lum religiosis moribus, & religioso habitu præberant.
 Quod si contempserint, tāquam sacerdotum canonum con-
 temptores, & ecclesiastice authoritatis prophanatores,
 proprii gradus amissione multentur: quia non possunt
 simul Deo, & seculo ministrare. Hæc ex concilio Mel-
 densi. Sep hic admonere oportet Lectorem, ut non putet
 ideò

Id est bellum personis ecclesiasticis esse interdictum; quia illud in se malum sit: sed ob hoc solum, quia bellum tantum personis non congruit, propterea quia illæ ad aliud melius exercitium deputatae sunt, cui bellum aperte repugnat. Sunt enim aliqua bona simpliciter, & absolute, quæ tamen aliquibus bona non sunt. Bonum siquidem est contrahere matrimonium: his tamen, qui castitatem voverunt, bonum non est. Verum licet personis ecclesiasticis sit prohibitum bellare, non est tamen illis interditum bellis iustis interesse, ut iuste pugnantibus spirituualiter subueniant, pro eis orando, eos ad virtutem exhortando, & suorum peccatorum confessiones audiendo.

Nam in lege veteri mandauit Deus Iosue, ut in bello contra Iericho, sacerdotes sacris buccinis clangerent. Est hic insuper annotandum, quod hæc belli iusti conditio si deficit in persona aliqua particulari, quæ bello miscetur publico, & cōmuni, licet valeat reddere bellum iniustum quo ad ipsam personam particularem, non tamen ob hoc bellum ipsum publicum dicetur iniustum. Quoniam à pluribus, & non à paucioribus sumendum est belli nomen: nisi forte ipse, cuius auctoritate bellum indictum est, personas, quibus est bellum à iure prohibitum, citra communem necessitatē ad bellū ire coegerit, aut sciens permisit. Tunc enim ipse, qui bellū mouet, peccat, & hac ratione bellum iniustum facit: non quidē propter iniustitiam, quam hosti inferat, sed quam reddit ecclesiæ, contra illius prohibitionem personā ecclesiasticā ad bellum mittēdo.

Ecce iam declarauimus omnia, quæ ad bellum iustum censentur esse requisita: quæ omnia non solum de bello publico, & communi: sed etiam de bello priuato sunt intelligenda. Ita ut illa omnia etiam in bello priuato sint exigenda, ut iustum illud dici valeat, quæ diximus esse requisita ad belli publici iustitiam. Lectorem tamen hoc loco admonere decreui, ut intelligat nos hic non loqui de bello defensivo, quo quis se ab alio iniusto invasore defendit: sed de bello illo, quod quis primum contra alium mouet. Nam in bello defensivo, siue publicum illud sit, siue priuatum non est expectanda auctoritas: cuius hec omnibus à natura cōcessa est, ut se ab iniusto invasore defendant. Quia ut dicitur in cap. Significatio extra de hoc:

Iosue.6.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

de homici. volunt. vel casuali. Viam vi repellere, omnia iura concedunt. Et hinc apparet, quām iniustē Sylvestris de Priorio in sua summa, in titulo: Bellum. i. quæstione. i. reprehendat Sumimam Angelicam, propterea quod dixerit eadem, esse requisita ad bellum iustum priuatum, quæ requiruntur ad bellum iustum publicum. Nam quod ille arguit clericum iniustē inuasum se defendere, & priuatum hominem iniustē inuasum sine superioris licentia posse se defendere, hoc idem argui potest de ciuitate iniustē inuasa quæ sine Principis authoritate, potest mouere bellum, ad hoc solum, ut se ab iniusto inuasore defendat. Quo sit, vt sicut priuata persona non tenetur expectare Principis authoritatem, vt se iuste defendere possit, ita etiam quævis respublica nō tenetur expectare Principis authoritatem, vt ab iniusto inuasore se iuste defendere possit: præsentium si ex tali expectatione imminet rei publicæ periculum. Et ideo, vt hæc inconuenientia visitaremus, diximus ea, quæ ad bellum iustum requiruntur, non esse intelligenda de bello defensivo, sed de bello, quo quis alium aggreditur.

His ergo omnibus iam declaratis, opus est, vt principali quæstiōni respondeamus, & ostendamus licitum esse hæreticos bello oppugnare postquam de illorum pertinacia, & rebellione constiterit. Quod facile efficiemus, si ostendamus ea omnia in huiusmodi bello adesse, quæ ad iustum bellum diximus esse requisita. De duobus vltimis non est opus differere: quoniam illa duo (vt diximus) sunt aduentitia, & extrinseca ipsi bello.

Quo sit, vt malitia, quam ob illorum defectum bellum habuerit, non sit ex natura, & proprietate ipsius belli: sed ex sola pugnanris malitia, vt puta, quia malam ille habuit intentionem: aut quia est illi pugnare interdicitum. Et si quis de his duabus belli conditionibus contendere voluerit, supponamus eas in hoc bello esse, quæ in omni bello possunt adesse, & abesse. Nam bellum contra hæreticos bona intentione mouere, quis vetat? Bona siquidem est intentio velle hæreticos ad fidem conuertere, & eos cogere, vt fidem, quam semel in baptismo suscepereunt, tueri cogantur: quod multos timore malorum, quæ per bella inferuntur fecisse cognoscimus.

Bona

Bona intentio est velle fidem Chatholicam exaltare, & dilatare, quam hæretici sua pertinaci rebellione facile coangustabunt: nisi bello coerciti à suis pestilentibus erroribus, resipiscant. Bona intentio est velle rebelles, & inobedientes cogere, ut debitam cui tenentur obedientiam reddant. Hanc autem, aut aliam æque bonâ fuisse in prædicto bello Caroli Cæsaris intentionem, ipse belli exitus tam aperte ostendit, ut quisquis recte illum considerare voluerit: nisi fuerit edaci luxore corruptus, apertissime cognoscere valeat. Nam postquam Cæsar Deo fauente est victoria potitus, non exarsit in vindictâ hostium. Tantam post victoriam adeptam ostendit hostibus lenitatem, & mansuetudinem, ut Ioannem Federicū Saxoniæ ducem, & Philipum Lantsgrauium Hesiaæ, qui multis Germaniæ populis contra ipsum Cæsarem rebellare persuaserunt, & exercitum immensum congregantes, audaci temeritate eundem Cæsarem aggressi sunt in castra illius tormenta bellica sœpe iacentes: pœna capitum quam iuxta leges pati merebantur, punire noluit: sed vitam, qua erant indigni, illis misericorditer concessit. Cum multæ ex Germaniæ ciuitatibus his Ductibus coniunctæ contra Cæsarem vexilla leuassent, nullam tam illarum Cæsar in direptionem dedit. Nulli earum, quæ culpâ agnoscens veniam petiit, hucusq; nocuit: sed omnibus illis clementissimus Imperator indulgentiam concessit. Si fuissent in Cæsare ea, quæ (ut Augustinus ait) vitiare solent iustum belli intentionem, videlicet non cendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, animus implacabilis, his qui suâ maiestatem grauisime læserant, postquam illos in sua potestate receperat, non tam facile, & cito per percisset. De altero, quod ad belli iustitiam exigitur, non est, quod iuste quis contendere possit, Cum sit res toti orbis notissima, Cæsarem non ecclesiasticas personas, sed laicas ex multis & variis Prouinciis, videlicet, ex Germania, Hispania, & Italia congregasse, ut Germanos Ecclesiæ catholice, & sibi rebelles debellaret. Restant alia duo discutienda, quæ potissimum ad belli iustitiam exiguntur, videlicet, autoritas, & causa. De autoritate nullus, nisi prorsus ignarus, & mentis inops, dubitare potest.

Quoniam si belli indicendi autoritas, apud hominem

DD aliquem

aliquem est, nullus est, qui illam certiorem, & maiorem
 habeat, quam Imperator, qui solus vere nescit in huius
 modi temporalibus superiorum. Hic enim est (vt Inno-
 centius Papa ait) luminare minus, quod præest nocti.
In cap. Soli-
tæ de maio.
& obedi.
 Superest igitur, vt de causa inuestigemus, quam si ostendimus iustum: inde aperte conuincemus, iustum esse,
 vt hæretici pertinaces bello oppugnentur, pessimeq; sen-
 tire eos, qui Carolum Cæarem propter huiusmodi bel-
 lum accusabant. Si aliquas ex iustis belli causis, quas su-
 pra recensuimus, ad memoriam reuocare volumus, mult-
 tas inueniemus quæ hoc bellum iustum esse aperte de-
 monstrant. Iustum belli causam secundo loco supra col-
 locauimus recessum à vero Dei cultu. At hæretici, qui de
 Deo, aut sponsa illius ecclesia non credunt, quæ creden-
 da sunt, Deum vere, & vt oportet, non colunt. Iusta igi-
 tur belli causa est hæresis, quam qui deserere noluerint,
 iuste debellari possunt. Altera iusti belli causa, quā octa-
 vo loco recensuimus, est, si quis rebellet aduersus superi-
 orem, cui reuerentiam integrā præstare tenetur. Et certe
 ex hac etiam ratione apertissime conuincitur, iustum esse
 bellum, quod aduersus pertinaces hæreticos geritur.
 Nam hæretici omnes sunt aperte rebelles Ecclesiæ sanctæ
 Catholicæ, cuius doctrinam omnes fideles suscipere te-
 nentur. Hæretici autem superbia excæcati propriam sen-
 tentiam præferunt doctrinæ sanctæ Matris ecclesiæ, &
 ideo vt suam sententiam tueantur, non dubitant doctri-
 nae Ecclesiæ Catholicæ contradicere, & illius præcepta
Iob. 24.
 contemnere. Ideo Iob de hæreticis loquens, sic ait: Re-
 belles fuerunt lumini, nescierunt vias eius: nec reuersi
 sunt per semitas eius. Quæ verba beatus Gregorius in
 Moralibus, de hæreticis intelligenda esse censet. Præte-
 rea, hæretici pertinaces (vt supra libri istius capitulo ter-
 tio aperte probauimus) iuste puniendi sunt. Et capite
 duodecimo eiusdem libri ostendimus, mortis supplicio
 illos, si resipiscere nolint, esse puniendos. Et inde apertissime sequitur, vt si illi huic iustæ punitioni resistere
 velint: Princeps, cuius ditioni subduntur, iuste ob hoc
 possit bellum aduersus illos mouere. Nam qui poenam
 iustum ex Principis mandato decretā, subire recusat, &
 ne illam patiatur Principi resistit, rebellis est. Quam re-
 bellio

belliōnem, iustum esse causam belli, iam supra ex sacræ scripturæ testimoniō, & ex beati Augustini sententia, aperte ostendimus. Rursum, si hæreticus pertinax, juste est ad mortem damnandus, nec refert (vt capite duodecimo libri huius ostendimus) qua morte, gladio videlicet, aut igne, aut aqua, aut quoquis alio modo, mors illi inferatur: consequens est, vt iustum sit, hæreticos pertinentes, & rebelles bello oppugnare, vt pereant, & sic illos, ut erat meriti, princeps morte mulctare possit. Nam hac ratione bella per Moysen gesta, quæ omnia Faustus Manichæus accusabat, beatus Augustinus defendit: propterea q[uod] per illa mortem, his, qui alias erant meriti, Deo iubente infligebat. Sic enim libro vigesimo secundo cōtra Faustum Manichæum, cap. septuagesimo quarto, loquens ait: Nec bella per Moysen gesta miretur, aut horreat, quia & in illis diuina sequutus Imperia, nō sœuiens: sed obediens fuit: nec Deus cūm iubebat ista, sœuiebat, sed digna dignis retribuebat, dignosq[ue] terrebat. Hæc ille. Simili igitur modo Cæsar, aut qui quis alijs princeps, cū bellum aduersus hæreticos pertinaces, qui iure sibi subdantur, mouet: nō est dicendus sœuire: sed digna dignis retribuere, dignosq[ue] terrere. Deniq[ue] postquam Principum colla se Christo subdiderunt: sæpe Pontifices sancti, & docti ipsos Principes horrati sunt, vt bellum cōtra pertinaces, & rebelles hæreticos mouerent, & sic illorum obstinata nocendi libidinem cōprimerent. Nec solis extortationibus ad bellum fuerunt cōtentii summi Pontifices sed omnibus, qui cruce signati ad bellū contra hæreticos procederent, pœnarum, quæ pro peccatis debebantur, sæpe indulgentiam concederunt: vt vel tam magno præmio milites allecti libentius ad bella processissent. Beatus Gregorius libro primo Epistolarum suarum, Epista-
la. 72. Gennadio Patrio, & Exarcho Aphricæ scribens, ad bellum contra Donatistas hæreticos hortatur, sic in-
quiens: Sieut excellentiam vestram hostilibus bellis in
hac vita Dominus victoriari fecit luce fulgere: ita opor-
tet eam inimicis Ecclesiæ eius, omni viuacitate mentis,
& corporis obuiare: quatenus eius ex utroq[ue] triumpho
magis, ac magis enirescat opinio, quū & forensibus bel-
lis aduersariis Catholicæ Ecclesiæ vehementer obsistitis,

Augusti

Grégo-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

& ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini, fortiter
dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si
eis (quod absit) supponit nocendi licentia, contra Catho-
licam fidem vehementer insurgere: quatenus hærefoes
sunt venena ad tabefacienda (si valuerint) Christiani
corporis membra transtundant. Cognouimus enim eos
contra catholicā ecclesiam Domino eis aduersante colla
subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare.
Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & su-
perbas eorum ceruices, iugo tristitudinis premat. Hæc
Gregorius, qui aliquibus interpositis postea Deum orat
ut ad huiusmodi bellum gerendum ille Gennadius sit
fortis, sic inquiens: Persoluentes præterea paternæ chari
tatis affectum, dominum petimus, quo brachium vestrum
ad cōprimendos hostes forte efficiat, & mentem vestram
zelo fidei, velut mucronem gladii vibrantis exacuat.
Hæc ille. Deinde cum Albigensium hæresis, in Francia
prope Tolosam oriatur, Innocentius tertius huius no-
minis summus Pontifex, vir moribus, & doctrina claris-
simus postquam illos per rationes, & argumenta, quæ illis
multa offerebantur, à suo errore discedere nolle intelle-
xit, armis contra illos (vt Platina refert) agendum esse
decreuit. Huic successit in Pontificatu Honorius tertius
huius nominis summus Pontifex, qui videns hanc Albi-
gensium sectam adhuc in suo errore obstinatam, indul-
gentias, & peccatorum condonationes (vt beatus Anto-
ninus refert) his, qui cruce signati contra huiusmodi hæ-
reticos ad bellum processissent, concessit. Demum quū
in Bohemia Hussitarum hæresis peruagaretur, nec illius
defensores possent argumētis & rationibus ab illa reuo-
cari, adhortante Legato sedis Apostolicæ Cardinale san-
cti Angeli, datis ob hoc peccatorum indulgentiis (vt Aeneas
Sylvius in libro de origine Bohemorum refert) ad
bellum contra eosdem hæreticos processum est. Si bellum
contra hæreticos non esset sumendum, Deus, qui Ecclesi-
am suam regit, non toties permisisset summos Pontifi-
ces, qui illi præsunt promissis ob hoc peccatorum indul-
gentiis fideles contra hæreticos ad bellum adhortari.
Ex his ergo omnibus iam apertissime constat iustū esse,
vt hæretici pertinaces, & rebelles bello oppugnantur, vt
bello

bello petiti dignam sui criminis ultionem accipiant.
 De hoc tamen monere Principes oportet, ne puient hanc
 belli contra haereticos gerendi possessiōnē illos ita habe-
 re, ut quoties illis placuerit, possim bellum contra haere-
 ticos mouere. Non enim licet illis hoc agere: nisi post-
 quam per ecclesiasticum iudicem fuerit declaratum illos
 esse haereticos. Non enim est æquum, ut pena inferatur
 alicui, antequam constet illum culpam habere, quæ talēm
 exigat pœnam. Haeretici autem crimen constare non po-
 test: nisi post iudicis ecclesiastici declarationem, cui foli
 iura concedunt de errore, & de pertinacia in illo disfin-
 tiuam proferre sententiam. Nam Bonifacius Papa octa-
 uus in cap. Ut inquisitionis, de haereticis lib. 6. prohibet,
 ne quævis laica potestas de hoc crimine iudicare audeat:
 quia crimen hoc (ut ait) est mere ecclesiasticum. Deinde
 in cap. cum secundum leges. in. paragra. confiscactionis,
 eisdem titulo, & lib. Papa prohibet, ne bona haereticorum
 per Principes seculares occupentur, antequam per ecclesia-
 sticum iudicē, cui hoc à iure competit, sententia sit super
 crimen heresis promulgata. Et idē per omnia dicendum
 est de morte, quam nullatenus potest Princeps haeretico
 ob crimen heresis infligere: nisi postquam ecclesiasticus iu-
 dex, ad quē expectat declarauerit illum esse pertinacem.
 Et inde ut ex dictis constat sequitur, ut Princeps, non pos-
 sit aduersus haereticos ob solam heresis causam bellum
 mouere: nisi postquam iudex ecclesiasticus, cui hoc ex iure
 conuenit publica sententia declarauerit illos esse haereticos
 Superest ut aduersariorum obiectionibus respōdeamus,
 qui illas tam fortes esse credunt, ut ne no illis resistere va-
 leat. Sed illas nullius roboris esse nos, Deo duce facile
 ostendemus, & inde firmorem nostram sententiam effi-
 ciemus. Primo igitur nobis obiiciunt haereticos rationi-
 bus, & non armis esse conuincendos quia fidē oportet es-
 se liberam, & non coactam. Pro qua re et si nullum illi mī-
 hi proferebant testimonium, ego tamen, ne nihil sit, cuī
 respondere debeam, B. Bernardum pro illis offero, qui ser-
 mone 64. super Cantica exponens verba illa, Capite no-
 bis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, hæc ait: Si
 iuxta allegoriā ecclesias vineas, vulpes haereses. vel potius
 haereticos ipsos intelligamus, simplex est sensus, ut hære-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tici capiantur potius, quam effugentur. Capiantur dico, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum, ipsi vero, si fieri potesi, reconcilientur Catholicæ ecclesiæ, reuocentur ad veram fidem. Hæc est enim voluntas eius, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc denique velle se perhibet qui non simpliciter capite vulpes, sed capite (inquit) nobis vulpes paruulas. Sibi ergo, & sponsæ suæ, id est, Catholicæ Ecclesiae inbet acquiri has vulpes, quum ait: Capite eas nobis. Hæc Bernardus. Huic obiectioni respondeo verum esse, quod aiunt, hominem libere, & non coacte ad fidem Catholicam prouocandum esse. Hoc tamen non vniuersaliter verum: sed in illis veritatem habet, qui nunquam fidem Catholicam in baptismo suscepérunt, qui nequaquam sunt ad fidem cogen-di. Illi autem, qui semel Christum in baptismo induerunt (vt supra capitulo quarto libri huius ostendimus) cogendi sunt, vt fidem, quam semel suscepérunt teneant. Quod autem Bernardus ait hæreticos non armis, sed rationibus, quibus refellantur errores eorum, capiendos esse, de illis solis hæreticis intelligendum esse constat, qui nondum fuerunt legitime de suis erroribus admoniti, & quibus nondum sunt oblata argumenta, quibus eorum errores aperte conuincuntur: ac proinde non constat illos esse pertinaces. De his enim ego fateor non esse illos armis oppugnandos, antequam sint de suis erroribus legitime admoniti. Hæc tamen legitima admonitione illis exhibita, si in suis erroribus obstinati Catholicam fidem suscipere contempserint, iuste poterunt debellari, vt mortein, quæ suo criminis debetur, & quam per potētiā fugere nituntur, vel inuiti sustinere cogantur.

Bernard. Et hoc ipsum etiam beatus Bernardus docet, qui post predicta verba hæc, quæ sequuntur ibidem adiunxit: Itaq; homo de ecclesia exercitatus, & doctus si cum hæretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errantem conuincat, vt & conuerat, cogitans illud Apostoli Iacobi: qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quod si reuerti noluerit, nec cōuictus post primam iam,

Jacob.

&

& secundam admonitionem (ut pote qui omnino subuersus est) erit secundum Apostolum de uitadus. Ex hoc iam melius (vt quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam relietur, quam sinitur vineas demoliri. Hec Bernardus, quia aperte nostram confirmat sententiam, tantum abest, ut contrariae fauere possit.

Titi. 24

Secundo nobis obiiciunt, quod parcendum est multitudini, & mitius cum illa est agendum etiam sita illa, aut maxima illius pars in crimen aliquod incidisset. Pro qua re licet nullum etiam (ut prius dixi) mihi protulerunt testimonium, ego tamen aliqua, quae illis in faciem fauere videntur, proferam testimonia, ut illis plene declaratis, inde constat illos, qui contra sentiunt nimium in hac parte hallucinatos fuisse. Augustinus in quadam epistola ad Bonifacium ait: Vbi per graues dissensionum scisuras non huius, aut illius hominis periculum: sed populorum plurimorum strages iacet, detrahendum est aliquid seueritati, ut maioribus sannidis malis, claritas sincera subueniat. Hec Augustinus. Et citantur a Gratiano in capit. ut constitueretur. August, 30. distinctione. Idem etiam in quodam particulari casu fieri praecepit Alexander tertius in capit. Latores, extra de cleri. excom. vel de po. ministrante. Et idem innuit Honorius tertius in cap. finali. de transactionibus. Et alterius Innocentij dictum citat Gratianus in ca. Quotiens. I. q. 7. sic dicens: Quotiens a populis, aut a turba peccatur: quia in omnes propter multitudinem vindicari non potest, in ultum solet transfire. Hec ibi. Et beatus Augustinus in quadam epistola ad Aurelium Episcopum iterum ait: Non aspere (quantum ego existimo) non duxiter, non modo imperioso ista tolluntur: sed magis doceendo, quam iubendo: magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium: seueritas autem exercenda est in peccata paucorum. Hec Augustinus. Et citantur a Gratiano, in cap. Comesationes. Quadragesima quarta distinctione. Hec omnia istorum sacrorum doctorum testimonia in faciem probare videntur semper parcendum esse multitudini, & inde forte hi, qui nobis in hac parte aduersantur, se conuincere putabunt, non esse iustum, ut contra haereticos quantum-

libet pertinaces, & rebelles bellum exerceatur. Fateor quidem multitudini peccanti parcēdū esse, & mitius cum illa agendum: hoc tamen nō semper ita fieri oportet: sed solum quando talis multitudine peccatum suum agnoscit, & parata est de illo corrīgi, & bona de illius correctione habetur spes. Alioqui si multitudine ipsa peccātis, peccatum suum non agnoscit: imo potius ipsum tāquam rem bene gestam vult pertinaciter defendere: tūc seuera punitione est coercenda, vt à suo errore discedat: ne nimia indulgentia obstinationis ansam illi præbeat: præsertim si ipsa multitudine in potentia sua confidens: inde ad peccatum audacior fiat. Hoc expresse docet Augustinus in libro de vera, & falsa pœnitentia: sic inquiens: Cūm enim tot sunt, qui labuntur, vt pristinam dignitatem ex autoritate defendant, & quasi usum peccandi sibi faciant: rescindenda est spes ista. Hæc August. Et citantur à Gratiano in cap. Qui vult, de pœnitēt. dist. 6. Et certè etiam si Augustinus non doceret: ratio ipsa aperte ostendit: multitudinem peccantem, quæ peccatum suum agnoscere renuit, grauius esse puniendam. Quoniam si multorum peccatum in obstinatione permanentium relinquatur impunitum: ipsum peccatum erit aliis in exemplum, vt putent quoties libuerit licitum esse illis aliud simile perpetrare. Ob hanc causam iurisconsultus in l. Aut facta paragra. fina ff. de pœnis, ait: Nōnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur: quoties nimium multis personis gravantibus, exemplo opus sit. Hæc ibi. Quam sententiam ego tunc intelligendam esse existimo, quando multitudine peccans renuit peccatum suum agnoscere, & ab illo discedere. Nam alioqui si multitudine ipsa peccatum suum agnoscens illud deserat: faciendum esse censeo, quod dicitur in cap. Comissiones, & in aliis capitulis supra citatis.

Q V O D H Æ R E T I C O R V M L I B R I sunt comburiendi. Cap. X V.

NON S A T I S bene Christianæ reipublicæ consultum esse mihi videtur, si hæreticis è vita sublati, eorumque bonis proscriptis, libri illorum adhuc superstites maneant, quibus adhuc mortui toti Christianæ rei publicæ

publicæ vehementer nocere possunt. Paulus Timotheo viro quidem sancto, & docto scribens, admonet, ut à colloquio hæreticorum abstineat, ne illorum verbis, quæ sciebat esse ad malum potentissima, inficeretur. Prophana autem (inquit Paulus) & vaniloquia deuita, multum 2. Tim. 2. enim proficiunt ad impietatem: & seim eorum, ut cancer serpit. Si verba hæreticorum adeò nocere possunt, ut propterea cancro cōparentur, multò magis haud dubiè nocebunt scripture. Nam & si viua vox (ut post Plinium Hieronymus dixit) habeat aliquid latentis energiæ: sæpè tamen ob multas causas magis mouet scriptura, quam vox. Multi enim sunt, qui nihil prorsus mouerēt loquentes: propterea quod carent dentibus, qui ad rectam pronunciationem sunt in primis necessarij, carent voce sonora, & placida: quæ audientium animos nimium tenet attractos, aut si hæc omnia habent, tam malam, & horribilem fortè habent actionem, ut auditores à concione potius repellant, quam allificant. At scriptura sine his omnibus mouere potest: quia nullo istorum illa indiget, ut affectus legentis excitare, & fouere possit. Deinde ea, quæ scribūtur, diligentius cogitantur: & multò accuratius digeruntur antequā in publicum prodeant, quā ea, quæ in communi colloquio tractamus, quæ sèpè, ut menti se offerunt absq; multo examine proferuntur. Et inde necessario consequens est, ut fortiores neruos, & subtiliores aculeos habeat sèpè oratio scripta, quā ex tempore dicta, quibus animus legentis transfixus, tam potenter detinetur, ut etiam volens discedere non valeat. Ipsi etiam qui legunt, vehementius, ut in plurimum insistunt circa scripturam, & multò attenius, & cum longiori examinatione illam legunt, quam audiant verba loquentis. Habet adhuc aliquid peculiare scriptura, per quod multò latius nocere potest, quam oratio prolata, quanvis illa sit tam anxiè p̄ecogitata, ut in qualibet illius iunctura, millies orator caput scalperit, totosque deroserit ungues. Nam verbum semel ore prolatum, irreuocabile volat. Quo fit, ut nulla in posterum sit potestas illius: quia ut semel ab ore fuerit emissum, nemini p̄eter illos, qui tunc audierunt, se solo prodesse, aut obesse poterit. Ea verò, quæ scripta sunt, per multa secula seruantur,

& à diuersis viris per multa secula legitur. Vnde evenit, ut per multa secula proficere aut nocere possint scripturæ per multa secula seruatæ. Consequens igitur est, ut hæretorum libri, errores contra fidem Catholicam in se continententes, censendi sint veluti perennes quidam fontes perpetuum virus euomentes, aut tanquam profundæ quædam radices perpetuum quoddam venenum ex se producentes, quod incautos facile perimere potest. Necessarium est igitur, ut omnes hæretorum libri comburantur, ne pestilens aliqua maneat radix, quæ nouos quotidie valeat ex se gignere hæreticos. Hieremias propheta constitutus est a Domino non solū, ut abscindat ramos: sed ut euellat radices, & disperdat, & dissipet eas. Nam radice seruata, facile rami ex illa nascentur. Hæretici siquidem suas hæreses ideo libris æditis illas scriptas relinquere procurant, ut per libros illos suas hæreses non solum ad illos, qui apud exteris nationes tunc viuunt: sed etiam ad posteros transmittant. Duplex igitur nomine, hæretorum libros nocentissimos esse constat. Nam per illos tanquam per canales quosdam, hæreses de populo in populū & de regno in regnum, & de prouincia in prouinciam transeunt: quas omnes nec per propriam vocem, neq; per vocales ministros hæretici illarum autores tam facile in tam remotas prouincias træsinettere possent. Deinde sparsis iam per multas nationes hæresibus, aliud adhuc ex libris hæreticorū multo grauius oritur incommodū, quod nullo vñquam æui senio hæreses moriuntur, nullaq; est tam noxia doctrina, quæ aut, tēporibus obruatur, aut obliuione sepeliatur. Quoniam hæreses tandem perseverare erit necesse: quādiu libri, qui pro illarū defensione æditi sunt, persistent. Hæc omnia tam manifesta experientia comprobata sunt, ut plura quā vellemus ad illorum confirmationem habeamus exempla. Nec opus est antiqua exempla, quorum multis est numerus repeterere: cùm sat, superiq; sit hoc, quod totus ferè, proh dolor, Christianus orbis nunc experientia docente agnoscit. Cùm prius Lutherus à vera fide Catholicā deficiens, insanire cœpit, ad sui erroris tutelam libros aliquot ædidit, quibus suas hæreses aliis etiam, si posset, persuadere conatus est. Legerunt hos multi, & illis perlextis sic à veritate in-

mendacium translati sunt, ut multò peiores, multoq; pe:
stilentiores Lutherò statim in Germania surrexerint hæ
retici, qui libris etiam æditis suas hæreses confirmare cu:
rarunt. His igitur mediis intra paucos annos tota ferè
Germania iam perit, quæ bona erat olim Christiani or:
bis pars. Nec intra solam Germaniam hæc pestis se con:
tinuit, quod sine gemitu, & lachrymis dicendum nō erat:
sed per totam ferè Europam vagatur, atque grassatur.
Rara siquidem est in toto Christiano orbe prouincia, in
qua non sint aliqui Lutherani, aut publici, aut occulti.
Quod nō aliund è cuenisse certissimè constat: nisi quod
libri Lutheri, & aliorum eiusdem classis hominum, per
omnes ferè prouincias impunè deportati sunt, & cuicunq;
que legere volenti sunt exhibiti. Et inde pestis hæc tan:
tas vires eundo acquisiuit, vt nisi Deus sua benignitate,
& clementia huic morbo tam latè grassanti mederi dig:
netur, nulla sit iam reliqua spes. Si tamen à principio ea
qua decebat diligentia, tales libri fuissent prohibiti, & il:
lorum portatores, venditores, lectores, detentores fuis:
sent acerba seueritate puniti, non tantum hæc pestis in:
valuisset. Sic enim faciendum esse quidam egregius Poë:
ta præcepit, dicens:

Principiis obsta: fero medicina paratur,

Ouidius.

Cùm mala per longas invaluerit moras.

Quisquis igitur diligenter perspexerit, quam graue no:
cumentum recentes hæretici libris suis Christianæ rei:
publicæ intulerint, meritò cum Hieremia propheta plo:
rabit, & dicet: Lamiæ nudauerunt mammam, lactau⁴
runt catulos suos. Nam hæc verba de hæreticorum ni:
mium atroci crudelitate, quam illi per scripturas suas
cum fidelibus Catholicis exercent, interpretatur bea:
tus Hieronymus in commentariis super Trenos Hiero:
miæ sic inquiens: Lamia humanam faciem habet: sed Tren.
corpus bestiale. Et aliquibus interpositis subdit: Possunt Hieron.
in Lamia hæretici accipi, qui humanam quidem faciem:
sed belluina per impietatem corda gestant. Hi tunc
mammam nudant, quando errorem suum liberè prædi:
cant. Tunc catulos lactant, quando malè sequaces par:
volorum animas, dum peruersa insinuant, ad impieta:
tem nutriendo confirmant. Hæc Hieronymus.

Cùm

Cum igitur euidentissimis rationibus, certissimaque rerum experientia constet, hereticorum libros nimis Christianæ reipublicæ nocere, inde necessario, consequens est tales libros esse comburendos, aut alio quous modo ex orbe delēdos, ut à nemine legi possint. Si puteus aliquis, aut fons publicus, ex quo populus aquam ad potum haurire solet, inficeretur veneno, is qui populi regimē tenet, deberet puteum obstruere, ne quis forte ex illo incautus bibens periret. Et si rector populi nollet obstruere puteum; sed vellet omnibus esse patentem, eo ipso totius populi certissimus hostis merito censendus es. et. Nihilosecius de hereticorum libris dicendum esse apertissime constat. Nam illorum libri quasi putei publici facti sunt, postquam in publicum prodierunt: qui cum sint heresios veneno infecti, necessarium erit illos ab orbe toto relegare ne quis forte ad illos accedens heresios venenum ab illis hauriat, quo inficiatur, & pereat. Quisquis igitur illos cum prohibere posse, permiserit, is totius reipublicæ Christianæ apertus hostis iuste censebitur. Quia omnes, quos potuerit fideles, vult perdere, & in pestiferos errores trahere, cum ab illis non remoueat hereticorum libros, qui magnam offerunt heresum occasionem. Nam (ut optimè Symmachus Papa dixit) non grandis est differentia an lethum inferas, vel admittas, mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc cum posse, non excludit. Et certè (ut aperte loquar) omnis Rex, aut Prorex, aut ciuitatis Rector, aut quævis alia potestas ex industria permittens in terris suis ditioni subiectis libros hereticorum vendi, præter hoc, quod grauissime peccat, vehementer ob hoc solū præbet contra se heresis suspicionem. Quod apertissimo testimonio B. Innocentij Papæ huius nominis primi probari potest, qui in epistola quadam, hæc ait. Negligere quippe, cum posse perturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occulce, qui manifesto facinori desinat obuiare. Hæc Innocentius ille. Quæ verba citatur à Gratiano in cap. Error. 83. distin. Nulla certè est via qua magis posse occurri heresibus, ne in populo oriantur, & ne exortæ ultra graventur, quam si hereticorum libri, ex quibus heresis venenum facile quis incautus bibere potest,

Symma-
chus
Papa.

Innocentius
primus.

fest, prohibeantur. Quo sit, ut iuxta Innocentij sententiam, non careat scrupulo societatis occultæ Rex aut quæ cunque alia potestas, quæ hæresibus per librorum combustionem, desinit obuiare. Nec solum est de hæresi suspectus, qui hæreticorum libros, cum prohibere possit, vendere permittit: sed reus coram Deo erit omnium hæsum, in quas illorum librorum lectors, occasione ab illis capta, fuerint lapsi. Nam de talibus Paulus loquens, ait: Rom. i.
 Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum, qui faciunt ea: sed etiam, qui consentiunt facientibus. Quem locum Glossa ordinaria interpretans, ait: Consentire est tacere, cum possis redarguere. Et beatus Damasus Papa: Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit: nihil aliud est, quam sauere impietati eorum. Hæc ille. Si hæretici libris suis (ut diximus) fidelibus nocet, nefario consequens est, ut eiusdem numenti sit particeps omnis ille dominus, qui cum posset, non vult tale numentum vitare, præsertim si dominus fuit admonitus de numento, quod ex lectione talium librorum oriri poterat. Cuius sententia vmbra in veteri lege perfectissimè deliniatam inuenimus: vbi de domino bouis cornupetæ, qui admonitus illum recludere noluisset, Deus hæc condidit legem: Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nuditus tertius, & contestati sunt dominum eius, nec reclusit dominus eum, occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident. Non ob aliam causam Deus tunc iussit dominum bouis cornupetæ occidi: nisi quia censuit illum homicidam, quanvis ille manu sua neminem occidisset. Quia tamen dominus noluit bouem recludere, & sic mortem hominis, quem à boue prouenire potuisset, vitare contempsit imputatur illi mors, ac si ipsemet propria manu illum interemisset. Iustum quippe est, ut ille de damno illato habeatur reus, propter cuius culpam, & negligentiam damnum illud euenisce constat. Simili pena constringendum esse constat, dominum illum, qui admonitus libros aliquos esse perniciosos & fidei Catholice incommodos, illos non vult prohibere. Nam si postea aliqui ex lectione illorum librorum mortem animæ incurserint, illorum mors domino imputabitur, qui cum posset, noluit mortis occasionem.

Mat.18. cationem auferre. Ideò saluator noster ait. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Is haud dubie credentes in Christum scandalizat, qui illis præbet occasionem discedendi à fide, quam Christus, & Apostoli eius docuerunt. Qui librum in fauorem alicuius hæresis scribit, is aperte credentes in Christum scandalizat: quia aliis præbet occasionem, vt à vera fide discedant. At qui huiusmodi libros, cum posset prohibere negligit, eandem culpam habet, ac si ille librum scripisset. Facientis quippe culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. Consequens igitur est, vt ille etiam credentes in Christum scandalizare dicatur, qui libros hæretorum negligit prohibere. Expediret ergo huic (vt iuxta dictum saluatoris) vt suspenderetur mola asinaria in collo eius, & demergetur in profundum maris. Propter has omnes virginissimas rationes non solum Pontifices summi, quibus hoc potissimum incumbit negotium: sed etiam Imperatores, & Reges, qui aliquam fidei Catholice rationem habere voluerunt, hæretorum libros esse comburendos legibus, & decretis ante multa secula statuerunt. Nam Constantinus ille, qui primus Imperij maiestate Christi humilitati subiecit, Arrianorum libros omnes iusfit comburi, mortis supplicium minatus omnibus, quæ tales libros seruassent. Et quo maior verbis meis adhibetur fides Epistolam eiusdem Constantini, quam ille Episcopis, & populo: de hac re scripsit, hic inserere de: creui, quæ talis est.

VICTOR CONSTANTINVS

Maximus Augustus, Episcopis,
& Populo.

Constantinus Imperator. **M**alignos, & impios Arrius imitatus, dignum est, vt illorum quoque suscipiat ultionem. Sicut ergo Porphyrius diuinæ pietatis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferens, digna promeruit inuenire mercedem, & talem, per quam in posterum esset opprobrium, & plurima completeretur infamia: & nunc placuit Arrium,

Arrium, & consecratores eius vocari Porphyrianos, ut
 quorum mores imitati sunt, eorum vocabulo perfruantur.
 Super haec autem, si qua conscriptio ab Arrio facta repe-
 ritur, igni tradatur, ut non solum prava eius doctrina de-
 pereat: sed neque illa eius possint remanere commenta.
 Hoc etiam præcipio, si quis cōscriptiones Arrii celasse co-
 peritur, & non repente proferens igne consumplerit, mor-
 tis suppicio subiacebit. Mox enim, ut in hoc fuerit capi-
 tus, capitalem suscipiat ultionem: Deus vos custodiat.
 Hactenus epistola Constantini, quæ habetur lib. 2. Histo-
 riae tripartitæ, cap. 15. Post Constantium magnum elae-
 psis annis plusquam centum & quinquaginta. Valenti-
 nianus, & Martianus Augusti cōtra Eutychetis, & Apol-
 linaris sectatores varias statuit penas, & deinde contra
 eos, qui libros istorum dogmata continentis seruassent:
 legem statuerunt haec verba continentem: Nulli etiam
 contra venerabilem Chalcedonensem synodum liceat,
 vel aliquid dictare, vel scribere, vel edere, atque emittere,
 aut aliorum dicta, vel scripta super eadem re proferre, ne
 smo huiusmodi habere libros, & sacrilega scripturarum
 audeat monumenta seruare. Quod si qui in his crimini-
 bus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur.
 Eos vero, qui discendi studio adiecerint, de infesta hæ-
 resi disputationes, decem librarum auri, quæ fisco nostro
 inferendæ sunt, iubemus subire dispendium. Ultimo etiam
 suppicio coercantur, qui illicita docere tentauerint.
 Omnes vero huiuscmodi chardi, chartæ, ac libri, qui fu-
 nestum Eutychetis, & Apollinaris complexi fuerint do-
 gma, incendio concrementur, ut facinorosæ peruersita-
 tis vestigia flammis combusta depercant. Atque nan-
 que est, ut immunitissimæ sacrilegia par poenæ magnitu-
 do percellat. Scientibus moderatoribus prouinciarum,
 eorumque apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum,
 quod si ea, quæ legis huius religiosissimæ sanctione cu-
 stodi deceuimus, aut neglexerint, aut aliqua permis-
 serint temeritate violati, denarum librarum auri mul-
 etam fisco nostro inferre cogantur: insuper etiam exi-
 stimationis suæ periculum sustinebunt. Hæc Imperato-
 res Valentinianus, & Martianus: & habentur in lege.
 Quicunque. C. de hæreticis. Idem etiam statuerunt

Valentinia-
nus & Mar-
tianus.

Impe-

Imperatores Theodosius, & Valentinianus, vt constat ex le. damnato. in eod. Codicis titulo. Ecce vides sanctam Imperatorum diligentiam circa prohibitionem librorum hæreticorum, & religiosam acerbitatem in illorum combustione. Sed nunquid Pontifices summi, & sancti hoc agnoscentes damnauerunt istarum legum seueritatem? Nequaquam, imo potius verbis, & opere illam commendauerunt, idem ipsi facientes, & suis decretis idem aliis facere præcipientes. Nam Leo primus, huius nominis Pentifex in Epistola quadam ad Tertibium

Leo Papa primus. Aetorigensem Episcopum cap. 15. sic ait: Curandū est, & sacerdotali diligentia maximè prouidendū, ut falsati codices, & à sincera veritate discordes, in nullo viu lectio-
nis habeātur. Apochryphæ autem scripturæ, quæ sub no-
minibus Apostolorum: multarum habent seminarium
falsitatum, non solum interdicendæ: sed etiam penitus
aferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quanuis
enim sunt in illis quædam, quæ videantur speciem habe-
re pietatis: nūquā tamen vacua sunt venenis: sed per
fabularū illecebras hoc latenter operātur, ut mirabilium
narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris intuol-
uant. Vnde si quis Episcoporum, vel apochrypha habet
per domos nō prohibuerit, vel sub canonicorum nomi-
ne eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani
adulterina sunt einendatione corrupti, hæreticum se no-
uerit iudicandū: quoniam qui alīm ab errore nō reu-
cat, se ipsum errare demōstrat. Hæc Leo Papa vir sanctus
iuxta, ac doctus. Quid autem Gelasius Papa de hæreti-
corum libris censuerit faciendum, liber Pontificalis de-
clarat, qui vitam huius Gelasii describens, hæc inter alia
refert. Huius temporibus inuenti sunt Manichæi in urbe
Roma, quos in exilio deportari præcepit, quorum quoq;
codices ante fores Basilicæ sanctæ Mariæ incendio con-
cremauit. Hæc in libro Pontificali de Gelasio dicuntur.
Præterea libros Ioannis Vuiclef comburi duo Archiepis-
copi Apostolice sedis legati primo præceperunt deinde
ecclesia vniuersalis in duobus generalibus conciliis Ro-
mano, & Constantiensi congregata idein fieri præcepit:
prout apertissimè constat ex gestis concilij Constantiensi-
sis, sessione octaua, vbi postquā dicitur, libros prefati

Ioan

Ioannis Vuiclef fuisse in concilio Romano ad ignem
damnatos, ipsiusmet Constantiensis concilij insuper ad:
ditur definitio, his verbis, quæ proximè sequitur expre-
sa: In nomine Domini nostri Iesu Christi hæc sancta sy-
nodus sententias prædictorum Archiepiscoporum, ac con-
cilij Romani ratificans, & approbans, prædictos articu-
los, & eorum quemlibet, libros eiusdem dialogum, & tria-
logum per eundem Ioānem Vuiclef nominatos, & alios
eiusdem autoris libros, volumina, tractatus, & opuscula,
quocumque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro
sufficienter expressis: hoc perpetuo decreto reprobat, &
condemnat. Et eorum librorum, & cuiuslibet ipsorum
lectionem, doctrinam, expositionem, & allegationem:
nisi ad eorum reprobationem, omnibus Christi fideli-
bus prohibendo inhibemus omnibus, & singulis Catho-
licis sub anathematis intermissione: & ne de cætero di-
ctos articulos, vel ipsorum aliquem audiant publicè pre-
dicare, dogmatizare, tenere, vel quomodolibet allegare:
nisi ad eorum reprobationem, ut dictum est, videns il-
los libros, & tractatus, volumina & opuscula, prælibata
publicè concremari, prout decretum fuerat in synodo
Romana, sicut superius est expressum. Supèr quibus exea-
quendis, & debite obseruandis, mandat præfata sancta
synodus ordinariis locorum vigilanter intendere, prout
ad quemlibet spectat seculidum iura, & canonicas sanctio-
nes. Hactenus concilium Constantiense. Et quanquam hæc
protulimus testimonia satis esse possent ad nostræ senten-
tiæ confirmationem: tamen ut illam firmorem relinquam
mus, antiquiora, & vetustiora exempla repetere volo, &
actus apostolicos reuoluere: in quibus apertissimum pro
hac re inueniemus testimonium. Nam de mirabilibus
apud Ephesum Pauli gestis, historia illa differens hæc ait
Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiani-
tes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosæ fe-
stati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram om-
nibus, & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam
quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat verbum Dei,
& confirmabatur. Hæc Lucas in actibus Apostolorum.
Si libri curiosi ex præcepto Pauli tunc comburebantur:
multò magis comburerentur hæreticorum libri, qui multò

Concilium
Constan-
tiense.

Act. 19.

magis legentibus nocere potuissent. Sed non est absque annotatione prætereundum id, quod ad exaggerandam illam librorum combustionem Lucas addidit, sic dicens: Ita fortiter crescebat verbum Dei, & cōfirmabatur. Nam illis verbis apertè docet nos Lucas, talium libroru[m] combustionem esse testimonium locupletissimum augmentationis, & confirmationis verbi Dei in illis. Quo sit, ut etiam econtrario colligere liceat, validum testimonium diminutionis, & ruinæ fidei esse in illis, qui libros hæreticorum, cùm possint, comburere nolunt. Deinde, post Apostolorum tempora hoc fuisse in tota ecclesia seruatum, testatur Origenes, qui Homilia nona super Numeros ait: Si apud homines hodie iudicaretur hæc cuusa; & apud ecclesiarum Principes haberetur examen de his (verbis causa) qui diuersa ab ecclesiis docentes, diuinæ vindictæ pertulerint vltionem, nonne iudicarent, vt si quid loquuti sunt, si quid docuerunt, si quid etiam scriptum reliquerunt, vniuersa pariter cum ipsorum cineribus deperirent? Hæc Origenes: Ex cuius verbis constat hanc esse suo tempore totius ecclesiæ sententiam, libros hæreticorum esse comburendos. Accedit ad hæc omnia, quod Eusebius Cæsariensis in libro de temporibus refert libros Prothagoræ sophistæ fuisse ab Atheniensibus combustos. Cuius combustionis quāquam Eusebius eo loco causam non explicet: aliam tamen non fuisse credendū est, quam ut suæ reipublicæ propiscerent, & damnū vitarent, quod tales libri legētibus possent inferre. Si homines Gentiles tantam suæ reipublicæ, quam regendam suscepérant, rationem hahuerunt multò iustius est, vt Principes Christiani maiores Catholicæ ecclesiæ, pro qua filius Dei mortem subire dignatus est, curam suscipiant, & libros hæreticorum, qui multò plusquā Prothagoræ sophistæ ecclesiæ nocere possunt, vtricibus flammis tradant. Non est enim æquum, vt Christiani Principes in recta populi gubernatione Principibus Gentium cedant. Quod si, vt faciendum esse probauimus, hæreticorum libri comburantur, dabitur per hoc, haud dubie cuique auctori hæretico digna suo crimine pœna: quoniam iuxta sapientis dictū, in quo peccauerat in eo punietur. Peccant enim omnes hæretici quadam inanis gloriæ cupiditate, ex qua pestilente

Origen.

Eusebius.

Sap. 6.

lente radice sicut multa alia oriuntur scelerata, ita etiam haec resis, quae est omnium aliorum grauiissimum malum. Nam qui nimio affectu populari eum captat gloriam: nihil pro illa assequenda intentatum relinquit, ad illam tanquam ad quendam scopum omnes suos actus dirigit. Quod loquitur, quum scribit, quum disputat, aut quum aliud quodvis opus agit, semper populi gloriam praeculmis habebit, quoniam haec est summa omnium vororum suorum. Quod si hanc quam ardentissime cupit gloria, alia via se posse assequi desperauerit: tunc nouam configere doctrinam conatur, ut rei nouitate alios in sui admiratio nem trahat. Ex ipso deinde impotenti gloriae popularis desiderio oritur pertinacia tam inflexibilis, ut quanvis in certamine omnium iudicio succumbat, nunquam cederet velit. Multum enim in errore persistere, quam se victimam fateri, ne hac occasione, vel minimam gloriae partem, quam immodecum cupit, amittat. Sunt enim haeretici optimè figurati in viris illis superbissimis, qui dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim: cuius culmen pertinet ad celum, & celebremus nomen nostrum. Haeretici siquidem nomina sua volunt celebrare in terris, & ob hanc causam turres superbæ vanitatis confirunt, & liberos haeresibus plenos componunt. Tam insita est omnibus haereticis inanis gloriae cupiditas, ut per illam, tanquam per proximam causam haeretici diffinitione Augustinus dare decreuerit, sic dicens: Haereticus est, qui pro alicuius temporalis commodi, & maxime gloriae, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones gignit, vel sequitur. Haec Augustinus in libro de utilitate credendi. Ob hanc causam Paulus volens fidei unitatem Philippensis per suadere, admonet eos ab omni inani gloria abstinere, quod hanc plurimum fidei unitati nocere posse intelligebat. Unanimis (inquit ille) id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Iustum igitur est, ut quam per librorum conscriptionem haereticus procurauit populari gloriam, hanc libris eius combustis non assequatur, & hoc modo punietur in eo, in quo pecauerat. Olim quidam sceleratus homo (ut Strabo refert) templum Dianæ Ephesinæ admirabili opificio constructum, igne succendit, & sic paruo tempore destruxit,

Gen. ii.

August.

Philip. 2.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

quod multo tempore, multisq; expensis fuerat ædificatum. Deprehensus est homo ille, & interrogatus cur tam graue, atq; tam sacrilegū scelus ausisset, respondit se optasse posteris memoriam sui relinquere, quam quia rebus clarissimis à se gestis assequi non poterat, hoc pessimo facinore se assequuturum sperauit. Hoc iudices intelligentes, edicto publico inhibuerunt, ne scriptor vllus, qui sacrilegium illud facinus scripisset, illius patratorem nomine proprio exprimere auderet, vt nomine illius suppressione memoria, quā tam impotenter, atq; effrenatè optauit ad posteros transmittere, citissimè delereretur. Quisquis rem bene circumspexerit, facile intelliget nullum ouum esse alteri ouo similius, quam quilibet hæreticus homo, est illi homi scelerato. Subuertit ille, atq; destruxit templum Dianæ : & hæreticus nititur scindere, & euertere, atq; perturbare ecclesiam Dei, quæ est templum illius. Scelestus ille homo ab impotenti inanis gloriæ desiderio motus est ad impium illud facinus perpetrandum, & hæreticus ab eiusdem inanis gloriæ ardentissimo amore ducitur, vt nouā configat doctrinam, & sic ab ecclesiæ unitate discedat. Par igitur est, vt similis hæretici pœna constringat, vt videlicet eam, quam per librorum editiōnem tam anxiè concupiuit gloriam, libris eius omnibus prorsus ex orbe deletis, nō assequatur. Huic etiam simile est, quod Iudas Machabæus cum Nicanore duce exercitus Antiochi Regis fecit. Nam postquam ille fuit in bello occisus : iussit Iudas linguam Nicanoris abscondi, & auibus dari, Cur ita ? Nunquid putandum est Iudā Machabæum illud abs te iusisse ? Minime. Fuerat quidem Nicanor in Deum omnipotentē blasphemus, & sibi ipse adeo arrogans, vt sibi magis quā Deo parendum esse nō fuerit veritus dicere. Ob hanc causam linguam illius etiā post mortem abscondi Iudas præcepit, vt in eo membro, quo tam impiè peccauerat, illum puniret. Hæretici omnes blasphemi sunt: quoniam ecclesiam, quæ à Deo semper edocetur, non dubitant dicere mendacem, aut saltē deceptam. Sunt etiam arrogantes adeo, vt suo magistris tribuant iudicio, quam omnium Doctorum sacrorum sententiis, parum dixi: nisi etiam plusquam totius ecclesiæ definitionibus sibi ipsis tribuerent. Hi per libros tanquam

a. Ma. 15.

per

per quasdam linguas adhuc mortui loquuntur, & per illos in Deum, & ecclesiam eius, suas effundunt blasphemias. Has igitur linguas, hoc est, eorum libros oportet abscondere, & non solum a iubus discerendos: sed flammis comburendos tradi, ut nullum illorum possit superesse vestigium. Hereticorum cuilibet haud dubie conuenit illud, quod ex mandato Dei Hieremias propheta ad Edon locutus est, sic inquiens: Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cœnbris petræ. Cum exalta ueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Et erit Idumæa deserta. Omnis, qui transibit per eam stupebit, & fibilabit super omnes plagas eius. Sicut subuersa est Sodoma, & Gomorrah, & vicinæ eius, ait Dominus. Hereticorum congregatio quantumlibet sit aliquando multa, & frequens, tandem Deo illam divergente, erit aliquando deserta: quoniam recta fide reuelata, & plenè intellecta, heresim illorum ab omnibus deseretur, neque erit, qui illi adhæreat. Frequentissima fuit olim, & per multas prouincias extensa heres Arriji: sed nunc iam velut Idumæa facta est deserta: quoniā omnes spreuerunt illam, & recesserunt ab ea. Adeò deserta est hæres illa, vt non solù iam non sint Arrianii: sed nec Arrianorum libri: qui illam hæresim doceant, & tueantur. Frequentissima, & multis populis plena est hodie hæresis Lutheri, qui sicut aquila exaltauit nidum suum, tanta superbìa, & arrogantia deceptus, vt nō vereatur in cœlum posse os suum, & dicere Ecclesiam fuisse in tenebris usque ad prædicationem suam: sed confido in Domino, quod tandem erit tanquam Idumæa deserta. Sed quomodo erit deserta hereticorum congregatio? Sicut subuersa est Sodoma, & Gomorrah, & vicinæ eius, ait Dominus. Hæ autem ciuitates (vt historia sacra refert) igne subuersæ sunt & incendio perierunt. Igne ergo succendere oportet nō solum hereticos: sed etiā libros eorum, vt sit hæresis omnis velut Idumæa deserta, & nemo sit qui habitet in ea. Iericho ciuitas nō solum fuit a filiis Israel destructa, sed igne succensa, & funditus deleta, vt fundamento sublatu nulla maneret reedificationis occasio. Quantumlibet sit hæresis aliqua destruxta, rationibus conuicta, & ab orbe Christiano prouersus deleta; si tamen superstites sunt libri,

Hier. 48.

Gen. 19.

Iosue. 15.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

qui illam doceant, atque tueantur, fundamenta illius manere videntur, super quæ facile poterit hæresis illa reædi ficari. Quisquis igitur Christianæ reipublicæ bene consultum esse optat, omnes hæreticorū libros, si potest, comburere faciat, ne forte fidelis aliquis in illis legens, ab il lis lædatur, & pereat. Si hæreticorum colloquia, iuxta Pauli preceptum sunt deuitanda ne illorum communio ne lædamur: & magis (ut præfati sumus) nocere possunt hæreticorum scripturæ, quam verba, cōsequens est, ut majori cura sint euitandi libri, quam verba, & multò diligenterius sit circa illorum prohibitionem inuigilandum. Et quod diximus de libris hæreticorū, idem prorsus faciendum esse censemus de libris Iudæorum, & aliorum infidelium, quos inter Christianos, & sub Christianorum dominio viuere contigerit. Est tamen aliqua inter Iudeorum libros differentia consideranda: quia non omnes in eodem sunt gradu, & ideo nec eadem lege iudicandi. Quidam enim sunt absolute boni, vt sunt libri omnes veteris Testamenti, & alijs qui veras illorum librorū continent expositiones, & hi permittendi sunt Iudeis, quemadmodum permittitur illis vel legis Mosaicæ ritus, & ceremonialia seruent. Quia in illis omnibus habetur quoddam testimonium fidei Catholicæ, quæ in illis representatur, tāquam veritas in figura, & corpus in umbra. Sunt alijs libri à doctoribus Iudeorum compositi, pleni mendacij, & somniis, & fabulis. & (quod multò peius est) multis in Christum, & legem suam blasphemis. Per hos libros seducuntur, simplices eorum, & in sua perfidia nuntiantur & fouentur, & detinentur, ne ad fidem Christi conuertantur. Hi tales libri meritò deberent comburi: quia sicut sunt compellendi, ne fidem Christi malis persuasionibus impediunt, ita iustum est, vt compellantur, ne libris æditis impediunt, quo minus eorum aliqui ad fidem Euāgeliū conuertantur. Et sicut compellendi sunt, ne Christum, & sanctam eius legem verbis blasphemet, ita etiam ne blasphemant scriptis. Hæc autem omnia tollentur, si tales libri comburantur, cuīd Christiani Principes legitimè facere possunt, cùm Iudei in octonam peccati, quod commiserunt in morte Christi, facti sint servi.

RES.

RESPONDE T VR ALI Q VIB VS

rationibus, quibus aliqui probate ni-
tuntur hæreticorum libros
esse permittiendos.

Cap. X VI.

ET Siurgentissimis, euidentissimisq; rationibus pro-
bauit hæreticorum libros non esse permittendos: sed
esse comburendos, aut alio modo abolendos, non de-
sunt tamen, etiam ex his, qui se Christianos iactant, qui
huic Catholicæ veritati repugnare non vereantur. Nam
cùm olim ante aliquot iam elapsos annos in Flandria
versarer, frequens de hac re mihi disputatio fuit cum
quodam viro docto, & Catholico, ut exteriora ostende-
bant, hæretico tamen, ut ego suspicabar. Et aliquos po-
stea eiusdem classis homines Parisis, & alibi inueni, qui
cùm se Christianos videri optarent, hæreticorum tamen
libros non esse comburendos, pertinacissimè tuebantur.
Sunt enim nunc multi pasim tales: quales Christus Sal-
uator noster venturos esse prædixit, vestimenta ouium
portantes, qui tamen intrinsecus sunt lupi rapaces. Illo-
rum omnium communes rationes hic referam, & cùm
illas facilissimè reiecero, ostendam eos debilissimo, & mi-
nus, quam arundineo baculo inniti. Primo quidem di-
cunt multa verè Catholicæ, & bene tractata esse in libris
hæreticorum, multos scripturæ sacræ nodos optimè ex-
plicatos, multa obscura eleganter illustrata, quæ apud vi-
ros Catholicos prorsus non habentur, aut non sunt tam
bene explicata, atque digesta. Iniustum autem esse dicunt
Catholicam ecclesiam his omnibus priuare, & inde col-
ligunt, ut iniustum etiam sit tales hæreticorum libros
combureret, ex quorum combustione tam graue incom-
modum Christianæ reipublicæ aperte oritur. Hæc ar-
gumentatio, quam illi urgentissimam putant, vtroque
claudicat pede: quia ambæ antecedentis partes, quibus
illa ad conclusionem procedere nititur, sunt falsæ. Nam
quod primo assumpsi, multa in hæreticorum libris inue-
niri bona, & bene tractata, quæ apud viros Catholicos
minimè reperiri possunt, falsum est, & diuinæ prouiden-
tiae aperte iniuriosum. Fateor quidem aliqua esse in
hære-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

hæreticorum libris vera, & Catholica & pulchrè explicata, alias nullus illis fidem præbere vellet, si omnia plena mendacii essent. Quod autem ea vera, & Catholica, quæ ab hæreticis bene tractata sunt, minimè apud Catholicos Doctores inueniri possint, hoc est, quod cōstatissimè nego. Nam etsi aliquādo Deus malis hominibus & infidelibus prophetandi munus concessit, ea tamē, quæ illi prophetando prædixerunt, non per illos solos prædicta esse voluit: sed per aliorū bonorum prophetarū ora multò melius, & expressius illa eadem mōndo manifestari decreuit. Prophetauit Balaam ille malus de aduentu

Num. 24. Messiae: sed multò melius atq; apertius, quam ille prædixerunt hoc alijs Prophetæ. Cayphas ille, qui Pōtifex erat

Ioan. ii. anni illius, quo passus est Christus saluator noster prophetauit, quod Iesus pro omnium salute moriturus erat. Hanc tamen generis humani salutē per Christi mortem habendam, Dauid, Esaias, & alijs plurimi sancti prophetæ, multò latius, & apertius prædixerunt. Cūm primū veritatem aliquam ad salutē animæ necessariam Deus mōndo reuelare voluit, nunquam nisi per iustos, & sanctos viros id fecit. Dedit Deus olim veterem legem: sed per manus sanctissimi viri Moysi tradidit illam populo Israel. Insti-tuit longo post tempore legem Euangelicam, primos tamen illius prædicatores nō voluit esse fures, sicarios, homicidas, adulteros: sed solos sanctissimos viros, Aposto-

Mat. vlt. los videlicet suos quos ille ad hoc opus elegerat. Præcepit illis Christus saluator noster, vt eentes in mundū vniuersum prædicaret Euangelii omni creaturæ: hoc tamen

Act. i. noluit eos statim facere: præcepit enim illis ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionē patris, & acciperent prius virtutem Spiritus sancti superuenientis in illos. Cur ita? Nempe vt per aduentum Spiritus sancti illos faceret dignos Euangelij præcones, sine quo indigni essent ad tam sublimem legem mundo annuntiandam. Nam quia hæc Spiritus sancti gratiam Paulus intellexerat esse necessariam ad dignè annuntiandum

3. Cor. 3. Euangelij veritatem, ideo de se, & aliis Apostolis dixit: Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Non est igitur credendum, vt Deus, qui alias Euangelij veritatem non nisi per viros

viros spiritu sancto plenos mundo reuelare voluit, nunc
 aliquam Euangeli partem ante incognitam per schismati-
 cos hereticos mundo notam facere velit. Neque est etiam
 credendum, ecclesiam, quae libertatem est olim a Christo
 edocita, & nunc quotidie ab illo abunde edocetur, ali-
 quid ex his, quae sunt necessario credenda, ignoret. Alio-
 qui non satis promissioni suę fecisset Christus, qua fidem
 suam obstringens dixit: Paracletus autem spiritus sanctus, Ioan. 14.
 quem mittet pater in nomine meo: ille vos docebit om-
 nia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixerim vobis. Si
 Christus omnia necessario credenda docuit, & spiritus
 sanctus omnium illorum intelligentia dedit, consequens
 est, ut ecclesia nihil illorum ignoret. Nunquid celare po-
Gen. 18.
 ter Abraham, ait Deus, quæ facturus sum? Si Deus Abra-
 ham celare noluit propter amicitiam, quæ facturus erat,
 credere par est, illum multò minus celasse ecclesię illa,
 quæ ad suam sunt necessaria salutem. Quoniam illam, eō
 quod sponsa eius est, multò ardenter amore complecti-
 tur. Et hoc ipsum docet nos Deus per Amos prophetā sic
Amos. 5.
 inquiens: Non faciet Dominus Deus verbum: nisi reuela-
 uerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Non dixit
 ad qualescūq; prophetas: sed ad solos seruos suos. A viris
 agitur fidelibus ex quibus ecclesia Catholica constat, disce-
 re debemus: si quid scire cupimus, non ab hereticis. Quo-
 niam ecclesia in his, quae ad pietatem, & religionem spe-
 etant, est multò uberioris edocita ab illo, qui nec fallere, nec
 falli nouit. Et hoc ipsum docet Irenaeus martyr libro ter-
Irenaeus.
 tio aduersus hereses capite quarto sic dicens: Tantæ igi-
 tur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc quærere
 apud alios veritatem: quam facile est ab ecclesia sumere.
 Cūm Apostoli quasi in depositorium diues plenisime
 in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis, vt omnis
 quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim
 vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt, & latro-
 nes. Propter quod oportet deuitate quidem illos. Quæ
 autem sunt ecclesiae, cum magna diligētia diligere, & ap-
 prehendere veritatis traditionē. Quid enim? Et si quādo
 de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nōne opor-
 tet in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Aposto-
 li conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quod certum, & rei liquidū est: Quid autem si neq; Apo-
stoli quidem scripturas reliquistissent nobis, nonne oportet
bat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, qui
bus committebāt ecclesiastē? Haec tenuis Irenaeus martyr, &
Polycarpi martyris discipulus. Ex cuius verbis evidenter
constat ecclesia esse omni veritatis doctrina plenissimam,
nulliusq; hæreticorū doctrinę indigentē. Deinde, licet ec-
clesia aliquid ad fidē spectas ignoraret, nō est credēdum,
neq; verisimile, hæreticis illud esse à Deo reuelatū. Confi-
teor tibi pater (ait Christus Saluator noster) quia obscon-
disti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea par-
uulis. Paruulis, inquit, reuelat Deus, quæ sapiētibus, & præ-
dentibus absconderat, non superbis non his, qui sua exi-
stimatione tam magni sunt, vt suam sententiā non dubi-
tent omnium aliorum sententiæ præponere. Paruulis, in-
quam, reuelat Deus, id est, humilibus, qui minima de se
putant, qui suæ nunquā volunt inniti prudentiæ, qui cap-
tuare non dubitant intellectum suum in obsequiū Chri-
sti. Huiusmodi paruulis Deus sæpe reuelat mysteria, quæ
abscondit à sapientibus, & prudentibus, non hæreticis, quia
sua existimatione tam magni sunt, vt reliquos omnes
sua sapientia excedere putent, & suō iudicio plus quā to-
tius ecclesiæ definitionibus tribuere nō vereantur. Præ-
ter ea, quanquam daremus aliqua esse in hæreticorum libris
catholice, & fideliter tractata, quæ in Catholicorum li-
bris non reperiuntur, illa tamen non essent ab hæreticis
sumenda. Quia hæritici simul cum illis veris multa alia
falsa admiscēt, & timendum est ne dulcedine veritatis al-
lecti lectores, venenum falsitatis incauti deglutiant. Præ-
stat igitur cibo quamlibet bono carere, quā illum exitiali
veneno permixtum comedere. Et inde constat falsum esse
illud, quod secundo loco in præfata argumentatione af-
sumptum est vbi dicitur, iniustum esse priuare ecclesiam
illis veris, & bene digestis, quæ in libris hæreticorum in-
ueniuntur. Non est certè iniustum, immo est econtrario iu-
stissimum, atq; sanctissimum, & perinde, ac necessarium,
vt à matre nostra ecclesia, in qua per baptismum geniti su-
mus, & à fratribus nostris fidelibus auferamus cibos quā-
libet bonos, si illos veneno mortifero permixtos esse co-
gnoscimus. Talis per omnia est hæreticorum doctrina,

quæ

quæ semper veris habet falsa permixta : quo sit, ut sit ab omnibus deuitanda. Hoc autem ita esse apertissime docet Gregor. qui lib. quinto Moralium sic ait: Habent quippe Grego.
 hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant quatenus facilè sensui audientis illudat. Si enim semper prava diceret, citius in sua prauitate cogniti, & vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profectò hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad vtraq; deseruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, v re: cipientur, abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tagit: dumq; hoc, quod dulce est, primo attractu delibatur, etiā illud quod est mortiferū, indubitatè absorbetur. Itaq; hæretici permiscēt recta peruersis, ut ostendendo bona auditores ad se trahant, & exhibendo mala latenti eos peste corrumpant. Haec tenus Gregorius. Ecce vides apertissimo Gregorij testimonio probari, semper hæreticorum doctrinam esse veluti quoddam venenatum poculum. Et inde necessario consequitur, ut quisquis Christianæ reipub. aliquam tenetur habere rationem, teneatur etiam tale poculum perdere ne eidem reipub. Christianæ vnquam nocere valeat. Præstat enim ecclesiæ tali poculo carere, quam venenatum bibe: re. Eandem sententiam docen Leo Papa huius nominis primus, qui (ut supra proximè præcedenti cap. ostendimus) in epistola ad Toribium Astorigensem Episcopum cap. 15. præcipiens, ut libri Priscillianistarum, & aliæ scripturæ apocryphæ vitentur, & comburantur, id quod huic sententiæ obliuci poterat, reiicit sic inquiens: Quam: uis enim sunt in illis quædam, quæ videantur speciem ha: bere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis: sed per fabularum illecebras hoc latenter operatur, vt mirabiliter narratione seductos, Iaqueis culuscunq; erroris inuoluat. Hæc Leo Papa huius nominis primus, Ob hanc causam Christus Saluator noster dæmonia clamantia, & dicentia illum esse filium Dei, increpauit prohibens ne talia loquerentur. Verissima erat, & sunt, quæ dicebat attamen loqui prohibuit, nec tamen gratis. sed ob iustissimam causam illum fecisse, credendum est. Nempe ut populo occasionem tolleret credendi dæmonibus iterum falsa dicentibus. Hanc enim esse illius prohibitionis causam, testatur Beda

Leo Papa
primus.

Luc. 4.

in com-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Beda. in commentariis super Lucam, sic inquiens : Quare au-
tem dæmonia Dominus se loqui prohibet, Psalmista ma-
nifestat, qui ait: Peccatori autem dixit Deus, quare tu enar-
ras iusticias meas per os tuum ? Ne quis dum prædicantem
audit, sequatur errorem . Impròbus enim magister
est diabolus, qui falsa veris sàpe permiscet, vt specie veri-
tatis testimonium fraudis obtexat. Hæc Beda. Si Chri-
stus Saluator noster propter illam causam prohibuit dæ-
mones clamantes, iustum est, vt ecclesia, quæ illi, veluti
corpus capiti se conformare debet, hæreticos, qui sunt dæ-
monum progenies, prohibeat scribentes, ne suis scriptu-
ris populo nocere possint, vt dæmones poterant nocere
verbis. Prudenter igitur ecclesia facit, quum hæreticorum
libros prohibet, & illos comburendos esse decernit: quia
iustè timet ne id eueneriat, quod Sapiens ait: Qui tetigerit
picem inquinabitur ab ea. Secundo adhuc mihi obicie-
bant, hi, qui hæreticorum libros permittendos esse me-
cum contendebant, sic dicentes : Esto, hæreticorum librì
aliqua falsa contineant, quod negare non possumus: quia
alijs hæretici non essent, alia raimen via absq; illorū com-
bustione potest obuiari incômodo, quod tales librì pos-
sent Christianæ reipublicæ inferre. Nâ si libri illi ab om-
nibus repurgentur erroribus, tunc permanebunt reliqua
omnia munda, & poterunt tunc bona, quæ habent, absq;
vlo veneni periculo legentibus offerri. Malum est ergo
libros hæreticorum comburere: quia per talem cōbuscio-
nem ecclesia priuatur his, quæ in librī hæreticorū bene,
& Catholice tractata sunt, quæ sine vlo suo periculo pos-
set habere. Hinc obiectioni facile respôderi potest per ea,
quæ in responsione ad priorem argumentationem dicta
sunt. Ibi enim ostendimus tum rationibus ex sacris lite-
ris desumptis, tum testimonio sancti Irenæi, nihil esse in
hæreticorum librīs verū, & Catholicum, quod non sit in
libris Catholicorū multè melius, & purius pertractatum.
Ex quo evidentissime colligitur, ecclesiâ nullius Catholâ-
cę veritatis cognitione priuari, etiā si omnes hæreticorum
libri cōburerentur. Sunt adhuc alia duo, per quæ huius-
modi obiectionē facile reiicere possumus. Nam licet dare
mus aliqua esse in hæreticorum librīs vera, & Catholice
discussa, quæ in librīs Catholicorū non inueniuntur, ea
tamen

tamen dupli ex causa ab hæreticis petere nō expediret, etiam si eorum libri ad amissum corrigerentur, & essent ab omni errore defecati. Primo quidem cōsiderare oportet scripturæ sacræ dignitatem tantam esse, vt non cuiusbet eas contrectare liceat, & multò minus eas interpretri, & de illarum intelligentia contendere: sed illis solis hoc licere credendum est, qui verè fideles sunt, & scripturam sacram ea, qua decet reverentia suscipiunt. Hoc autem facile quisque intelliget, si prius animaduerterit, quo nomine **sacra** scriptura censeatur. Paulus Apostolus qui nouit arcana Dei, sacram scripturam appellat testamentum diuinum, ita vt legem veterem **verius** appellat testamentum: legem verò Euangelicā testamentum dicat nouum. Nam in epistola ad Hebreos loquens de excellētia legis Euāgelicā supra legem veterē, quæ peccatoribus gratiam reddere nō valebat, sic ait: Et idē noui testamēti mediator est, vt morte intercedente, in redēptionem eārum prēuaricationum, quæ erāt sub priori testamento, re-promissionē accipiant, qui vocati sunt ēternē hēreditatis. In quibus verbis Paulus veterē legem prius testamētū, & legem Euāgelicā nouum testamētū appellauit. Quæ nomina adeò apud omnes Catholicos inualuerūt, vt illę duæ leges non aliter, quā noui, & veteris testamēti nominib⁹ iā ab omnibus appellētur. In hoc testamento Deus nullā diuītiarum suarum partē hæreticis mandauit, neq; illos suorum honorū hæredes instituit. Si nō decebat, vt filius ancillæ simul cū filio liberę hēres institueretur, multò minus decet vt alienigena qualis est hæreticus simul cū filio liberę hēreditatē capiat. Si ancilla, hoc est, synagoga (vt ait Paulus) eiiciēda erat, multò iustius est vt eiiciatur extranea, & inimica, hoc est, ecclesia malignantium cum filiis suis hæreticis. Quoniā hæc non seruit, neq; aliquid utilitatis affert ecclesiæ, quēadmodum olim ancilla synagoga: sed tanquam inimica, & rebellis semper illam hostili persequitur animo. Abdicatis igitur hæreticis tanquam pessimis filiis, necessario cōsequens est, vt nullū illi habeat ius inspiciendi testamētū paternū, quod est **sacra** scriptura. Si inspicere nō possunt, qui fit, vt possint interpretari. Nullo igitur modo decet scripturæ sacræ interpretatiōmem petere ab hæretico, cū illi nō liceat illam interpretari.

Hebr. 9.

Gal. 4.

tari. Hanc sententiam docet aperte Tertullianus libr. de
Tertul. præscriptionibus hæreticorum, sic dicens: Non Christiani
 nullū ius capiūt Chri: ianarū literarū ad quos mēritō di-
 cendum est. Qui esis, quando, & vnde venistis: Quid in
 meo agitis nō mei? Quod deniq; Marciō iure syluā meam
 cedis? Qua licētia Valētine fontes meos trāueritis? Qua
 potestate Appelles limites meos cōmouēs? Quid hic cete-
 ri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est
 possessio, olim posideo, habeo origines firmas, & ipsiſ au-
 toribus quorum fuit res. Ego sum hæres apostolorum, si-
 cut cauerunt testamento suo, sicut fidei cōmiserunt, sicut
 adiurauerunt, ita teneo. Vos certè ex hæredauerunt sem-
 per, & abdicauerunt, ut extraneos, & inimicos. Vnde autē
 extranei, & inimici Apostolis hære: ici, nisi ex diversitate
 doctrinæ, quam vnuſquisq; de suo arbitrio aduersus Apo-
 stolos, aut protulit, aut recepit. Illic igitur, & scripturarū,
 & expositionum adulteratio deputanda est, vbi aduersi-
 tas inuenitur doctrinæ. Haec tenus Tertullianus. Nec pro
 hac re opus est testimonio hominum, pro qua Deus ipse,
 qui per ora prophetarum suorum loquutus est, apertum
 reddit testimonium. Nam patientiſ simus ille Job, de hæ-
 reticorum furto, & violentia loquens, ait: Agrum non
Iob. 24. suum demetunt, & vineā eius, quā vi oppresserant, vinde-
Grego. miant. Quæ verba beatus Gregorii, in Moralibus de hæ-
 reticis intelligenda esse censer, sic inquiēs: Potest agri no-
 minē scripturæ sacræ latitudo designari, quam hæretici
 non suam demetunt: quia ex ea sententias longè à suis
 sensibus diuersas tollunt. Quæ vineæ quoq; appellatione
 exprimitur: quia per veritatis sententias, botros virtutum
 profert. Cuius vineæ Dominum, id est, scripturæ sanctæ
 conditorem, quasi vi opprimunt: quia eius sensum in ver-
 bis faci eloquij inflectere violenter conantur, qui dicit,
 servire me fecisti in peccatis tuis præbuisti mihi labore in
 iniuiratibus tuis. Et eandem vineam vindemiant: quia
 ex ea sententiarum botros, pro sue intelligentiae inten-
 tione coaceruant. Hæc Gregorius. In quibus verbis
 id potissimum est annotandum, quod ait sacram scriptu-
 ram esse agrum à possessione hæreticorū alienum, ac pro-
 inde hæreticos in illo, nec seminare, nec metere posse.
 Sed multò apertiora sunt, quæ Deus, teste David, locu-
 tus est.

tus est . Nam (vt Dauid ait) peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamētum meum per os tuum ? Quæ verba interpretans Cassiodorus in commentariis super Psalmos, sic ait : Testamentum verò vetus, & nouum significat, quia dum vnū suspen- se dicitur, vtraque memorantur . Potest hoc & de hæreticis doctoribus dici, qui legem Dei docere præsumunt. Assumere enim præumptionem significat indeuoti. Nam lectionem creditibus non videtur interdicere , in qua peccatores maximè dignatus est commonere . Hæc Cassiodorus. Qui verba illa Dei ad peccatores in gene re dicta , de solis hæreticis interpretanda esse censet . Et si quis contendat illa de omnibus peccatoribus esse in- telligenda, ego facile cedam : quia hic sensus non obsta- bit nostræ priori sententiae : sed valde iuuabit illam. Nam si Deus succenset peccatori , quod audeat ille enar- rare iusticias eius , & assumere testamentum illius per os suum, multò magis ob eandem causam succensabit hære- tico, cùm sit ille omnium peccatorum pessimus. Est ad- huc alia causa, & non minor: sed forte virgintior, propter quam non expedit: imo nec licet, præsertim idiotis, scri- pturæ sacræ interpretationem ab hæreticorum libris pe- tere: etiam si illi sint ab errorum fecibus repurgati. Nam ea, quæ credere tenemur, semper sunt confianti animo, & minime hæsitanti suscipienda. Alioqui si talis adeset dubitatio, quæ suspensum, & nutantem teneret animum, hæc (vt supra libro primo, capite septimo docuimus) fa- tis esset ad hæreticum hominem efficiendum. Ea, quæ ab hæretico homine dicuntur, aut scribuntur, semper oportet esse homini Christiano suspecta: quia à tali viro dicta: nisi illorum certam veritatem iam aliunde cognoverit. Diogenes Laertius in libro de vitis Philosophorū, quum de Aristotele disserit, refert illum cuidam interroganti, quam mercedem haberet mendax, sic respondisse . Ut quium vera dicat, nulla illi adhibetur fides. Præsumitur enim & iuste, illum semper mentiri. Nam (vt regula iuris ait) semel malus semper præsumitur malus. Quam regu- lam de eodem genere malitia intelligendā esse iurisperi- ti docent, & bene. In iustū enim esset, vt quia vñus aliquis in criminе adulterij , aut alio quoquis criminē deprehendi- sus esset,

sus est, ob id solum reliqua omnia crimina de illo licet
 suspiciari. De illo tamen, qui in uno aliquo crimen semel
 deprehensus est, merito suspicari licet illum in tali crimi-
 ne versari, quousque de illius emendatione plene consti-
 tit. Constat autem hereticum errasse, & vel semel mendacem
 fuisse, alioqui non esset hereticus. Iuste igitur quisque
 suspicari poterit, illum in omnibus, que loquitur, aut scri-
 bit errare, mentiri: nisi aliunde illorum veritas plene con-
 stiterit. Quo sit, ut nunquam illi ob personam suam meritum sit
 adhibenda firma fides: sed omnia, que aliunde non sunt pro-
 bata, erunt semper suspecta ob id solum, quod sunt ab illo dicta.
 Et hoc mihi sensisse videtur Sapientia, quoniam dixit: A mendace
 quid verum dicetur? Non quod illum necessario mentiri, aut
 veritatem dicere non posse, doceat: sed quod semper est de
 mendacio suspectus, qui fuerit semel in mendacio depre-
 hensus. Ob hanc causam B. Augustinus in epistola ad B.
 Hieronymum non permittit, ut ad sacras literas, vel minorem
 admittatur mendacium: quoniam illud solum (ut ait)
 reliquis omnibus detrahatur fiducia, & autoritas. Ex his om-
 nibus aperte, atque evidenter colligitur non esse homini illi
 credendum, que constat errasse, & hereticum esse: nisi que
 loquitur aut scribit aliorum certiori testimonio sint corroborata.
 Non est igitur aequalis, ut scripturae sacre expositionem
 ab hereticis petamus cum illi sint alias deprehensi ean-
 dem scripturam deprauasse, aut in alienum a fide Catholicam
 sensum illam detoruisse. Nullus cibum corporeum (si tamen
 ullam suam vitam ille ratione habet) ex illius manu sumere
 auderet, quem sciret, vel semel alicui venenum propinasse.
 Multo ergo iustius est, ut quisque salutis & vitae animam suam
 ratione habere volens, doctrinam fidei ab hereticis accipere
 reformidet, quos in confessio est pluries in suis scriptis ve-
 nerosa dogmata miscuisse. Vir ille Evangelicus, qui ob
 inopinatum amici aduentum panes accommodatos pete-
 bat, solam vicini ianuam pulsat. A solo Christiano panem
 verae doctrinae petere debemus: quoniam Christianus vir
 cui libet alteri Christiano vicinus est, ambo intra unam
 eandemque ciuitatem, nempe ecclesiam, commorantes.
 Ab hereticis autem tanquam extraneis, qui ab ecclesiæ
 incolatu recesserunt, nihil petendum. Injuriam certe
 faceret Ecclesiæ matris suæ Catholicus filius eius, si panem
 doctrinæ

Eccle. 34

Luc. II.

doctrinæ peteret ab hæreticis, quos illa despectissimos
 habet, prout ipsamet apud Iob de eisdem hæreticis lo- Iob.30.
 quens, ait: Quorum non dignabar patres ponere cū ca-
 nibus gregis mei. Quæ verba interpretans B. Gregorius Grego.
 in Moralibus ait: Quid est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi
 multitudo fidelium. Vel qui alii huius gregis canes vo-
 cantur: nisi doctores sancti, qui eorundem fidelium cu-
 stodes extiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis,
 nocturnisque vigiliis clamauerunt, magnos, ut ita dixe-
 rim, latus prædicationis dederunt. De quibus eidem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: Lingua canum tuorum Psal.67.
 ex inimicis ab ipso. Nonnulli quippe ab idolorum culti-
 bus reuocati, facti sunt prædicatores Dei. Et paucis in-
 terpositis subdit: Patres vero hæreticorum dicimus, eos
 videlicet quos hæresiarchas vocamus, de quorum per-
 uera prædicatione loquutionis semine sequentes sunt
 populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum ca-
 nibus gregis sui hæreticorum patres ponere designatur
 quia inuentores errorum diiudicando respuit, eosque ins-
 ter veros patres numerare contemnit. Qui & si quosdā
 nisi sunt à gentilitatis errore reuocasse, quorundam mo-
 res ad honesta agenda docuisse, pro eo tamen, quod de Do-
 mino recta non senserunt, eos cū canibus gregis sui non
 ponit, quia cum rectis prædicatoribus non ascribit. Hęc
 Gregorius. Et idem mihi videtur sensisse propheta Eze-
 chiel, quum ex mandato Domini ad falsos prophetas
 Israel loquitur, sic dicens: Vae Prophetis insipientibus, Ezec.13.
 qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quæ ver-
 ba B. Hieronymus declarans in commentariis super Eze-
 chielem Prophetam, sic ait: Cum Prophetarum nomen
 secundum regulam scripturarum bonis, malisque cōmuta-
 ne sit, in eo differunt, quod boni Prophetæ esse dicuntur fa-
 pientes: mali autem stulti, & insipientes. Quorum alte-
 rum refertur ad ecclesiasticos viros: alterum ad omnes
 hæreticos, qui Dei spiritum relinquentes, sequuntur spi-
 ritum suum: quia nequaquam diuino instinctu, sed pro-
 prio corde vaticinantur, unde & nihil vident. Hęc Hie-
 ronymus. Sed quare istis Prophetis insipientibus, hoc
 est, hæreticis, Propheta dixerit Vt, verba quæ sequuntur
 aperte exprimunt. Vident vana (inquit Ezechiel) & di-
 FF uinanc

uinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cùm Domini
nus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare ser-
monem. Ecce causam propter quā dixerit hæreticis, Vñ.
Causa igitur coiminationis manifestata, quid tandem
cum illis Deus agere decernat, Propheta exprimit, sic di-
cens: Propterea hæc dicit dominus Deus: Quia loquuti
estis vana, & vidistis mendacium: ideo ecce ego ad vos,
ait Dominus Deus. Et erit manus mea super Prophetas,
qui vident vana, & diuinant mendacium. In concilio
populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non
scribentur, nec in terram Israel ingredientur. Quæ ver-
ba, licet B. Hieronymus referat ad ultimum iudicii diē,
in quo Deus extra concilium populi sui constituet hære-
ticos: nihil tamen obstat, quinetiam de hac presenti vita
intelligantur, in qua hæretici iam sunt à concilio popu-
li Dei separati: quia sunt extra Ecclesiam, quæ sola est po-
pulus Dei. Sed quia Prophetarū verba obscuriora sunt,
nec semper iuxta literæ superficiem: sed sæpe iuxta my-
sticum illorū sensum sunt accipienda, qui parum efficax
esse solet ad doctrinę alicuius confirmationē: ideo aliud
ex sapiente Ecclesiastico apertissimū proferam testimoniū,
quod apertissime testetur, sacræ scripturæ exposi-
tiorem nō esse ab hæreticis accipiendam. Sine menda-
dacio (inquit ille) consummabitur verbum legis, & sapientia
in ore fidelis complanabitur. Nihil certe potuit dī-
ci apertius pro nostra, quam tuemur, sententia. Si sapien-
tia in ore fidelis complanabitur: ergo ab hæretico, qui
non fidelis, sed infidelis est, non complanabitur: sed mil-
le asperitatibus replebitur. Si verbum legis consumma-
bitur sine mendacio, necessario consequens est, ut verbū
legis non sit apud hæreticos consummatum, apud quos
tam multa reperiuntur mendacia.

AN LICEAT ALICVI, QVVM
hæreticorum libros habere potuerit, illos
legere. Cap. XVII.

NO N semper hæreticorū libri (ut necessario facien-
dum esse in præcedenti capite docuimus) combu-
runtur, immo aliquando, propter iudicium, ad quos spectat,
negligentiā, aliquando propter negotiatorum pessimā
auaritiā, passim omni emere volenti venales exhibētur,
ut quis-

Ut quisquis voluerit, eos legere possit. Ob hanc causam
 à multis Catholicis viris dubitatur, an quisquis volue-
 rit hæreticorum libros legere, licet illud, & sine peccato
 facere possit. De hac re (prout ego existimo) non potest
 certa aliqua, & generalis dari definitio; sed varias oportet
 facere considerationes, iuxta quas varia oportet da-
 re responsa. Prius quidem considerandum est, an sic ali-
 qua superioris hominis potestatem ad hoc habentis pro-
 hibitio, qua sit omnibus interdictum libros hæreticorum
 legere. Si talis est prohibitio lege statuta, quæ omnibus
 sine ullo discrimine lectionem librorum hæreticorum in-
 terdicat, absq; vlla dubitatione credo omnem illum pec-
 care, qui in talibus libris lege prohibitis legerit. Inobe-
 dientia siquidem, qua præcepta superioris implere recu-
 sat, illum apertissime reum peccati efficit. Qui vos sper-
 nit (ait Prælatis, & superioribus Salvator noster) me
 spernit. Et iterū: Super cathedram Moysi sederunt Scri-
 bæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis, facite. Cū dixit
 quæcunq; dixerint vobis, nō absolute capiendum est: ut
 omnia, quæ illi pro libito suo subditis insungere volue-
 rint, subditos ad omnia illa facienda coactos esse, docue-
 rit Christus. Sed dictio illa quæcunq; ad omnia, & sola
 illa referenda est, quæ ad Cathedram, in qua sedent, spe-
 etant. Omnia enim spectantia ad cathedram, & nō alia,
 quæ prælati subditis præceperint, subditi facere tenentur.
 At nihil potest magis ad sacerdotalem cathedram perti-
 nere, quam subitos, ut in vera fide permaneāt admonere
 omnem erroris occasionē ab illis procul semouere: nihil
 ergo iustius subditis præcipere potest Prælatus, quam si
 inhibeat illis lectionem librorum hæreticorum: ex qua
 maximū illis incōmodum oriri possit. Nec ali quid inter
 esse puto, an lex, qua cauetur hæreticorum libros legi, sit
 à potestate ecclesiastica, an à potestate laica sancta: quo-
 niā huic etiā sicut illi obediens tenetur, Paulo ira docēte
 qui de omni potestate absq; ullo discrimine loquēs, ait:
 Ois aīa potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est
 enim potestas, nisi à Deo. Quæ autē sunt, à deo ordinata
 sunt. Itaq; qui resistit potestari, Dei ordinariō resistit.
 Qui autē resistunt, ipsi sibi damnationē acquirūt. Et pau-
 cis interpositis subdit: Ideoq; necessitate subditi estote,

Luc.16,

Mat.23,

Rom.13,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

- §. Tho. non solum propter iram: sed etiam propter conscientiam. Ex quibus Pauli verbis B. Thomas colligit humanas leges non solum Pontificias, sed etiam Cœlareas, & Regales obligate subditorum conscientias ad illarum observationem. Et certe huic B. Thomæ sententiae fauere videtur Theophylactus, qui prædicta Pauli verba interpretans, sic ait: Necesse est, ut subeas iugum, ut nō modo vel Dei, vel Principum iram nil prouersus pericliteris, ut contumax, nec intollerabili afficiari supplicio: sed etiam ne conscientia carere appareas. Hæc ille. Hoc tamen nō est usquequam de omni lege intelligendum, sed oportet considerare legis materiam, hoc est, rem ipsam, circa quam ordinata est lex. Si res est leuis, & quæ parum conducere potest reipublicæ, non est credendum talis legis conditorem velle per talem legem subditos suos ad culpam aliquam obligare, & si hoc forte voluit, & per legem suam expressit, non credo illum hoc facere posse. Nam (ut ait Paulus) non est data superioribus potestas in destructionem, sed in ædificationem. Maxima autem esset animarum destructione, & periculosisimus illarum laqueus, si pro leuisima quaquam re possint superiores legem statuere, prout cuius transgressione subditi incurrerent culpam aliquam, vel peccatum præsertim mortale. Si res est magni momenti, ex qua magnum aliquod commodum, aut incommodum possit reipublicæ oriiri: non dubito superiorem potestatem quæcumque illa sit, siue ecclesiastica, siue ciuilis, possit condere legem, quæ subditos illius transgressores obliget ad culpam etiam mortalem. De talibus quidem rebus credo Paulum loquutum fuisse cum dixit: Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. At quum res sit magni momenti, lectio librorum hereticorum, ex qua grauissimum (vel precedentem cap. ostendimus) Christiana Respublica potest suscipere dispendium, concinxitur inde, ut nō solum Pontifices, sed etiam Reges, & quælibet alia potestates laicæ, possint condere legem prohibentem lectionem librorum hereticorum, cuius legis transgressores, letaliter se obligent culpe. An autem de huiusmodi hereticorum libris nō legendis aliqua generalis prohibitio, aut à summo Pontifice, aut à Cœlare sit lege statuta, mihi hucusq; non
- Theoph.
- z. Co. 10.
- Rom. 13.

non constat. Quidam fortè dicent talem prohibitionem esse datam in cap. Fratitatis, extra de hæreticis. vbi dicitur : Celestini, & Pelagi hæreticorum capitula non esse recipienda : quia damnato authoritate necesse est, ut libri etiam sint damnati. Sed ille textus nihil (vt ego censeo) quod ad præsens negotiū spectet, dicit. Nam ex hoc, quod damnatus est liber, non est necessario consequens, ut eius lectio sit prohibita. Hoc autem vel ex eo conuincitur, quod in cap. Excommunicamus. paragra. credentes, eodem titulo, dicitur, ut instrumenta conjecta à tabellione, qui sit credens, aut receptator, aut defensor, aut fautor hæreticorum cum auctore damnato damnentur. Certum est Papam per talē damnationem instrumentorum non prohibere eorundem instrumentorum lectionem: sed hoc solum efficere, ut nullum habeat pro testimonio reddendo robur, nullumq; in iudicio habeant vigorem. Ad eundem modum intelligendum est de hæreticorum libris, qui damnatis illorum autoribus statim damnati censentur. Damnati, inquam, nō, vt à nemine legi possint: sed vt nemo illorū testimonio possit vti ad alicuius sententiæ confirmationem, nemo illorum iudicio fretus suā posse stabilire sententiam. Per illum igitur textum non probatur esse iure canonico prohibitam lectionem librorum hæreticorum: neq; alium textum scio, qui hāc aperte exprimat sententiam. Et certè iustum esset, vt generale aliquod in iure canonico statuetur decretum quo sub pena excommunicationis ipso factō incurredæ, & sub aliis grauibus penas prohiberetur, ne alicuius publice dānati hæretici libros quis vendere, aut sine speciali Sedis Apostolicæ, aut inquisitoris hæreticorum in illa patria, autoritatē habentis licentia, illos legere, aut domi tenere audeat. Scio particulares de hac re in diuersis pronunciis datas esse prohibiciones. In Hispania multos hæreticorum libros specialiter nominatos prohibuerunt inquisitores hæreticorum, qui diligentem circa hanc rem adhibent inquisitionem. Et ob hanc causam inter alias, tam repurgata persistit ab hæreticis Hispania. Vbi talis prohibitio habetur, nō dubito illum, qui absq; licentia superioris, qui illam cōcedere posset, tales hæreticorum libros prohibitos legere tentaverit, mortalis peccati esse reum. Si autē nulla talis adsit

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

prohibitio, tunc oportet considerare variæ personarum qualitates, & cōditiones: quoniam iuxta illa: uarietatem variæ sunt de hac re dandæ censuræ. Sunt enim aliqui proficiens idiotæ, qui nihil præter idioma illud, in quo scriptus est liber ab hæretico, sciunt, ut puta idioma Latinum, aut Græcum, aut Hispanum, aut Italicum at Germanicum. In quolibet enim idiomaticæ hæreses scribi possunt, & in quolibet istorum, quæ modo enarrauimus, scriptas esse hæreses, ex perientia docente cognouimus. Sunt alij scioliti, qui præter idioma pati si aliquid intelligunt: non tamen adeò sapienti, ut possint inter lepram & leprā discernere, nesciunt separare speciosum à vili, aut inter sanctū, & prophanicum ponere distinguiam. De his omnibus talēm professo, firmo, & indubitate animo censuram. Quicunq; istorum siue idiotar, siue sciolus legerit ex intentione, & industria in aliquo libro hominis hæretici ab ecclesia damnati, peccat mortaliter: nisi forte lectio sit tam parua, ut ex se nocere non posse: quia tunc propter imperfectionem materiæ excusabitur à peccato. Hæc assertio, vel ex eo sp̄tissime probatur esse vera: quia quilibet istorum legens in talibus libris offert se manifesto periculo peccati mortalis, & quidem grauissimi, quod est hæresis. Omnis autem, qui se exponit periculo peccati mortalis (ut omnium Theologorum concors sententia testatur) peccat mortaliter. Qui amat periculum (inquit Sapiens) peribit in illo. Ecclipsē supremus veritatis magister aperte praecipit nobis, ut omnem peccati occasionem vitaremus, sic

[Eccl. 3,

Mat. 5.

inquiens: Si oculps tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proifice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quā totum corpus tuum mittatur in gehennam. Etsi dextera tua manus scandalizat te abscinde eam, & proifice abs te. Per quæ verba, iuxta omnes sacros eorum interpretes. Saluator noster docuit nos, omnē peccati occasionem esse necessariō vitandā: si à gehenna ignis volumus liberari. Peccant enim mortaliter illi, qui tam grauis peccati, ut est hæresis, manifestam accipiunt occasionem. Legentes in libris hæreticorum, quos sciunt ab ecclesia damnatos. Sed quia aliquis forte proterius effrōti temeritate negabit idiotam, aut sciolum talēm, qualē superadiximus, exponere se periculo hæresis cū ex industria legit

legit in libris hæreticorum; ideo hoc urgentissimis rationib[us] nunc probandum est. Primo quidem certum, & indubitatum est, peccare mortaliter illum, qui ex industria conuersatur cum hominibus, quorum mores nouit esse vitiosos, atq[ue] peruersos. Quod non ob aliam causam euenit: nisi propter periculum, cui se exponit cum talibus malis hominibus conuersando. Rarus quippe est, qui diu tunc esse posit, periculo proximus. Rarus est, qui recte viuens posse dicere: Frater sui draconum, socius struthionum. Pauci, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euerxit ad æthera virtus, sunt, qui inter sceleratos commorati, ipsi iusti, & innocentes vixerint. Ideo Sapiens ait: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauit superbo induet superbiam. Ex mutua siquidem hominum inter se conuersatione, facillime alterutrum mores inter se commodantur. Vnde Seneca Epistola nonagesima quinta ait: Minuta quedam (ut ait Phædon) animalia cum mordent non sentiuntur, adeo tenuis illis, & falso in periculum vis est, tumor indicat mortsum, & in ipso tumore nullum vulnus appetit. Ideo tibi in conuersatione Sapientum eueniet: non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi proficit, profuisse deprehendes. Hæc ille. Et quod Seneca dixit de profectu, qui habetur ex conuersatione bonorum, idem prorsus, & sub eadem similitudine dicendum est de incommodo, quod oritur ex conuersatione malorum, & multò melius: quia cum prorores sint homines ad malum, fortius alliciunt, & trahunt eos ad se mali, quam boni. Cum sancto (ait propheta Psal. 17, Regius) sanctus eris, & cum peruerso, peruerteris. Quam potens sit bonorum, aut malorum conuersatio, apertissimo Saulis Regis exemplo demonstratur, qui (vt Regum narrat historia) cum prophetis prophetabat, & cum inquis insaniebat. Ob hanc causam beatus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione decima, arricu. 9. censet eos, qui simplices sunt, & infirmi in fide de quorum subuersione iuste timeri potest, prohibendos esse à Iudeorum, & aliorum infidelium communione, præcipue ne magnam familiaritatem cum eis habeat, vel absq[ue] necessitate eis communicent. Si hominum conuersatio tam potes est, vt hominum mores vertere possit ex bono

Iob. 30.

Eccle. 13.

Seneca.

Psal. 17.

1. Reg. 10.

in malum, & à virtute prostertere ad vitium, multò magis id efficere poterit librorum lectio. Quoniam cùm liberum aliquem legimus, tunc cùm autore illius conuersatur, qui nobis per scripturam suos aperit conceptus, suos ostendit affectus, & sàpe magis nō ouet lectoriem per scripturam (vt capite proximè superiori diximus) quā auditorem per vocem. Præterea certissimum est libros pietate plenos multum posse proficere legentibus. Eadem igitur ratione libri impiorum poterunt obesse legentibus pascertim is, qui non tanta scientia, & doctrina pollēt, vt possint venenum hæresis in illis sàepissime latens agnoscere, & ab illo cauere. Tales sàpe homines euadunt, quales sunt libri, quos legunt. Sunt alij homines docti in Theologia, & in illa satis instructi, qui optime intelligunt sacros doctores, quos legunt, & horum etiam est varia conditio. Sunt enī aliqui natura sua nouarum rerum amatores, instabiles, qui in nulla re, cui semel adhæserunt persistere sciunt: sed omni vento mobiliores, modo hac, modo illac debili impulsu vertuntur. Nunc amant, & ad horam, quæ prius amauerant, oderunt: viri quidem (vt dicitur) non multarum horarum: sed vix unius horæ. De his idem prorsus dicendum esse cen' eo, quod de superioribus dixi. Quoniam isti etiam sicut illi offerunt se manifesto periculo hæresis, cùm legunt libros hæreticorum. Nam sicut is, qui se tam fragilem agnouit, vt levissima quaue occasione oblata, non possit seipsum à fornicatione cohíbere, peccat mortaliter quotiescumq; alicui tali occasione seipsum spontanee offert: ita simili ratione, qui se tā leue, atque animo inconstantem expertus est, vt cuicunq; vel mediocri persuasiōni facillime cedat, aut nouis qnēcunq; illa fint, semper delectetur, & illis applaudat, oportet, vt mortaliter. & iam peccet, si libros hæreticorum legerit, à quorum fallacib; suasionib; facillime pro sui ingenii leuitate porerit persuaderi. Si Ioannēs Hus libros Ioannis Vuiclef nūquā legisset, non in tot, tamq; pestiferas hæreses fuisse lapsus. Nam de illo refert Aeneas Silvius libro de Origine Bohemorum cap. 35. quod era: nouatum rerum amator, atq; ideo libros Ioannis Vuiclef, tanquam rem nouam in Bohemiā delatam, legens, facillime bibit incautus venenum omnīū hæresum, quas Ioannes

Vuiclef

Vñclef in suis libris reliquerat. Idem contigit Martino Lutherio, qui legens libros eiusdem Ioannis Hus, omnes illius libeter suscepit errores. Sunt rursum alij viri docti scientes discernere inter bonum, & malum, qui sunt constantes & firmi in fide : sed assiduis vrgētūr iētationibus circa infidelitatem, & continuis hæresum punctionibus non sine magno, & graui illorum mōrore stimulantur. Hi si aliqua iusta causa cogente, aut nimis vrgente libros hæreticorum legant, non credo illos peccare. Quia cū se stabiles, & firmos in fide multis experimētis cognouescint, non est dicendū illos periculo hæresis se offerre, cūm libros hæreticorum legunt: quia in Domino confidētes, & non de suis viribus præsumentes, vt occurrenti necessitatī subueniāt, id faciunt. Ut gratia exempli. Si quis vir doctus præsertim curam animarum tenens inter hæreticos, vel prop̄ illos versaretur, qui plebi suę timens libros hæreticorum legeret, vt eorum simulatas cautelas deprehenderet : eorum fallacibus argumentis responderet, & sic plebem sibi cōmissam ab omni hæresi custodiret, hic talis quantumlibet hæresum temptationibus alias pūgetur: non solū non peccabit: imo potius mereretur. Quia sic faciens non se offert periculo hæresis : sed necessitate vrgente diuinæ se cōmendat misericordiæ, de qua confidit, quod propter plebem sibi cōmissam, pro qua solū libro tales legit, non permittet illū à libris hæreticiorum decipi. Si verò nulla iusta causa vrgente: sed pro sola sua libidine libros hæreticorum legerit, non credo esse libertū à peccato mortali. Quia cū ipse sit alias plurimis infidelitatis temptationibus stimulatus, legens hæreticorum libros addet (vt dicitur) oleum camino, & sic pluribus, atq; vrgentioribus infidelitatis temptationibus oppugnabitur quo fieri, vt necessario aliquando vincatur. Nam quia hoc timebat Paulus : ideo huiusmodi homimes admonet, sic ānquiens: Qui stat, videat, ne cadat. Sunt denique alij vi. ri docti abūdē instructi in Theologia, & in qualibet alia disciplina ad illam necessaria, firmi, & constantes in fide, nullis, aut debilissimis infidelitatis temptationibus vexati. De his non dubito illos seclusa omni superioris prohibi- tione, posse citra omne peccatum libros hæreticorum le- gere. Et si recta vt (debet) intentione id fecerint, vt puta:

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quia volunt illorum hæreses oppugnare, aut illorum fal-
laciis argumentis respondere, non solum non pecca-
bunt sic legentes: sed magnam pro hac re mercedem reci-
pient. Hoc enim facientes ponunt se pro muro domus Is-
rael, & militant contra hostes Dei, & ecclesiae suæ, qua-
propter iustum est, ut stipendium sui laboris à Deo, cui
seruiunt, recipiat. Nam qui hæreticorum libros hac sola
causa legunt, ut illos oppugnare valeant, hi miritò figu-
rantur per Phinges, qui intrauit in lupanar, nō vt scorta-
retur, sed vt scortatorem Israëlitam suo gladio confode-
ret, & ob hoc magnificè est à deo laudatus, & magno præ-
mio donatus. Ideò concilium Carthaginense quartum
concedit Episcopis, ut hæreticorum libros legere possint.
Nam cap. 16. suorum Decretorum præfatum conciliū hæc
ait: Episcopus gentilium libros non legat, hæretico: nū au-
tem pro necessitate, & tempore. Hæc ibi. Gentilium li-
bros prohibens, hæreticorum libros concescit, & merito:
quia lectio librorum hæreticorum sæpè est necessaria, ut
possint hæreticorum astutiae agnosciri, & ideo Episcopis
conceditur: quia curam animatum illi habent, & merito:
præsumendum est illos esse doctos, & in fide constantes.
Nam ob similem causam beatus Thamas in Secunda Se-
cundæ, quæst. 10. art. 9. de cōmunione cum Iudæis, & aliis

S. Thomas. infidelibus habenda loquens, hæc dicit. Si enim aliqui
fuerint firmi in fide, ita quod ex cōmunione eorum cum
infidelibus, conuersio infidelium magis sperari posse,
quam fideliuin à fide auersio, non sunt prohibendi infi-
delibus communicare, qui fidem nō suscepérunt, scilicet
Paganis, vel Iudæis, & maximè si necesitas vrgeat.
Hæc ille. Si communicatio cum Iudæis licet his, qui firmi
sunt in fide, quando aliqua ex tali communicatione spe-
ratur vtilitas: eadem etiam ratione licebit illis legere li-
bros hæreticorum quando necesitas vrget, & vtilitas spe-
ratur, præsertim si nulla ad sit superioris prohibitio, quæ
id facere vetet. Hæc sententia & si manifesta sit cuicunq;
vel mediocriter docto, ad illius tamen maiorem confir-
mationem exemplum quoddam grauissimum, dignum
relatu hic inferere decreui: quod narrat Eusebius Cæsa-
riensis. Is enim de Dionysio Alexandrino disserens post
quam miris laudibus illius doctrinam, sanctitatem, & in-
tormen

tormentis pro Christo constantiam libro. 6. historiæ ecclæsiasticæ ad cœlum usque extulerat, tandem libro septimo cap. 5. & 6. hæc, quæ sequuntur de illo Dionysio Alexander refert. Sed & in tertio libro de baptisate (inquit Eusebius) quem scribit ad Philemonem presbyterum urbis Romæ, etiam hæc commemorat: Ego (inquit Dionysius) & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiam si videar ad horam verbi illorum pollui. Sed multum mihi cert hoc ipsum, quod ex ipsis verbis arguere eos possum. Denique cum alius ex fratribus, & compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione, ranquam cœni alicuius factore polluerer, visio mihi quedam a Deo ostenditur, quæ me confirmaret, & sermo ad me factus est, hæc mihi evidenter proloquens: Lege omnia quæcunque in manus tuas venient: quia probare singula quæque, & discernere potes: quandoquidem ex initio hæc tibi causa fuit credendi. Amplexus sum visionem: quia & Apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti: Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Hæc Dionysii Alexandrini verba cita Eusebius loco præfato. Id quibus verbis admoneo lectorem, ut annoret causam, propter quam diuinum illud oraculum permisit Dionysio libros hæreticorum legere. Quia (inquit) probare singula quæque, & discernere potes. Ex quibus verbis aperiissimè cœuincitur verum esse id, quod supra de idiotis, & sciolis hominibus diximus, eos non posse absque peccato lectioni librorum hæreticorum interficere: quia probare singula quæque legerint & discernere non possunt. Si tamen fuerit semel data de hac re prohibitio, peccare censeo illum, qui hæreticorum libros legerit; quantumlibet doctus ille sit, si absque licentia id fecerit. Quisquis igitur Lutheranæ hæresis libros sine licetia Sedis apostolicæ legerit, peccabit mortaliter, eritque eo ipso excommunicatus: quoniam in Bulla cœnæ Domini a Paulo tertio emanata excommunicantur omnes, qui libros Martini Lutheri, aut aliorum eiusdem sectæ legerit sine licentia Sedis apostolicæ. Quæ tamen excommunicatio non extenditur ad illos, qui aliorum hæreticorum libros legerint: quoniam hi soli in Bulla exprimuntur.

Quum

Quum primum ædidi hoc opus de iusta hæretorum punitione, nullum aliud erat decretum prohibens lectio- nem librorum hæretorum, præter illud quod modo diximus statutum fuisse à Paulo tertio. Post aliquot annos mortuus est Paulus, & illi succedit in Pontificatu Iulius huius nominis tertius, qui optime intelligens quantum populo Christiano possit nocere lectio librorum hæretorum, statuit decretum multò copiosius quo sub gra- uissimis pœnis, sine ullo discrimine omnibus interdictum lectionem librorum quorumcunq; hæretorum. Ut autem omnibus innotescat hæc prohibitio, decreui illam integrum in hoc loco ponere, quæ sub hoc verborum contextu continetur.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad per-
petuam mei memoriam. Cum meditatio cordis no-
siri ad id potissimum tendat, ut fides Catholica ubique
augeatur & floreat, ad ea libenter intendimus, per quæ
omnis ab ea declinandi occasio tollatur. Sancte cum sicut
nobis nuper innotuit ex facultatibus, quæ aliquibus ut
libros hæreticos aut de fide suspectos etiam ad effectum
corundem librorum errores repellendi tenere, & legere
possent: aliquando concessæ fuerunt, non h[ab]et qui speraban-
tur fructus hactenus prouenerint, quin immo diuersa in-
conuenientia subsecuta sunt. Nos præmissis occurtere
Christifidelium animarum saluti consulere cupientes,
Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ
petitionis instantiam, sed de nostris certa scientia & ma-
tura deliberatione omnes & singulas facultates & licen-
tias legendi & tenendi libros Lutheranos aut alios hæ-
reticos seu de fide suspectos quibusuis personis cuiuscun-
que status gradus ordinis vel conditionis existentibus,
etiam si Episcopali vel Archiepiscopali aut alia maiori
dignitate ecclesiastica seu seculari præminentia præful-
geant, Inquisitoribus, seu Commissariis super hæretica
prauitate ab Apostolica sede pro tempore deputatis du-
rante ipsa deputatione duntaxat exceptis, à quibusuis
prædecessoribus nostris ac nobis & dicta sede Apostolica
seu eius Legatis, etiam de latere, aut maiori pœnitentia-
rio nostro, vel quibusuis aliis sub quibuscunq; verborum
formis.

formis & expressionibus, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis irritantibusq; & aliis decretis, quomodolibet etiam motu & scientia similibus hactenus concessas, Apostolica autoritate tenore presentium reuocamus, irritamus, & annullamus, & pro reuocatis, irritis, & pernitius infectis quo ad omnia habemus, & ab aliis haberi volumus. Distinctius inhibetes personis praefatis sub sententiis, censuris & penis contra similes libros tenentes aut legetes tam a sacris canonibus quam a nobis & sede Apostolica hactenus inflictis, & promulgatis, ne de cetero facultatibus & licentiis predictis uti, aut earum praetextu seu alias quomodolibet libros predi eos aut quoscunq; alios hactenus reprobatos aut in futurum reprobados tenere, aut legere presumant. Et insuper omnes & singulos librorum Impressores & Biblio thecarios ac libros quomodolibet vendentes, & quascunque alias personas libros Lutheranos aut alios hereticos seu Lutheranam aut aliam falsam doctrinam in se continentes, vel a nobis & dicta sede quomodolibet reprobatos, ex quavis causa etiam ex nostra & dictae sedis speciali licentia, seu permissione penes se habentes, cuiuscunque status gradus ordinis conditionis aut praeminentie existant: etiam si (vt praefertur) Pontificali aut alia quacunq; etiam maiori ecclesiastica vel mundana dignitate praeful geant, dictis Inquisitoribus & Commissariis (vt praefertur) exceptis, dicta Apostolica auctoritate & earudem tenore presentium requirimus, & monemus, ac eis & eorum cui libet in virtute sanctae obedientiae & sub incursu haeresis ac omnibus contra hereticos de Iure iniunctis & promulgatis tam ecclesiasticis quam temporalibus sententiis, censuris & penis, districte praecipiendo mandamus, quantum infra spaciū sexaginta dierum a die publicationis presentium, modo & forma infra scriptis facienda computandorum, quorum viginti pro primo, & alios viginti pro secundo, ac reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica, eis, & eorum cui libet in iis scriptis assignamus omnes, & singulos libros Lutheranos aut alios hereticos, seu Lutheranam aut aliam falsam doctrinam in se continentes, vel a nobis & dicta sede reprobatos, quomodolibet penes se eos

eos ex quavis causa etiam mercuturę, & ex nostra ac eiudem sedis permissione ac licentia etiā speciali (vt præfatur) penes eas existentes, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ciuitatibus in quibus libri huiusmodi exiſiūt consignasse debeant realiter & cum effectu. Et nihilominus Venerabili fratri Ioanni Petro Episcopo Tusculano Neapolitanō, & dilectis filiis nostris Ioanni sancti Clemētis de Burges, ac Marcello sancte Crucis in Hierusalem Ceruino, & Francisco sancte Anastasie titulorum sfrondato nuncupatis, Presbyteris Cardinalibus Inquisitoribus generalibus per sedem Apostolicam deputatis per Apostolica scripta pari motu mandamus, quatenus ipsi per se vel alium, seu alios eosdem requisitos & monitos monitione & mandato nostris prædictis non parentes, quos hæresim, ac alias sententias, censuras & poenas prædictas propter non partitionem huiusmodi incurtere contigerit, ex nunc prout ex tunc, & econtra, hæreticos ac censuris & poenis prædictis irretitos tandem publicè nuntiant, & faciant ab aliis nuntiari, donec ipsi omnes & singulos libros Lutheranos aut alios hæreticos huiusmodi Inquisitoribus præfatis in ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi (vt præfertur) existunt, consignauerint & re habilitationis gratiam obtinuerint. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinacionibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuīsim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterū ut præmissa omnia ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusq; de eis ignorantiam iuste prætendere, aut se legitimè excusare posset, volumus. & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentes literæ per aliquos Curiae nostræ Cursores in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe & ecclesia Lateranensi dum inibi multitudo populi ad diuina audienda congregari solet, palam & clara voce legantur, & lectæ in earundem Basilicæ ecclesiæ Valuis, necnon in porta Cancellariæ Apostolice, & in Acie campi Floræ affigan

affigantur: ubi ad lectionem & notitiam cunctorum alii: quaudiu pendeant affixa, & cum inde amouebuntur ea: rum exempla in eisdem locis remaneant affixa. Quodq[ue] per lectionem, affixionem & publicationem huiusmodi omnes & singulare personae sub præsentibus comprehen: se post sexaginta dies huiusmodi respectuè ita sint ob: ligatae & astrictæ, ac si eis coram & personaliter lectæ & intimatæ essent. Et earum transumptis manu Notarij publici subscriptis & sigillo alicuius personæ in digni: tate ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus sudes ad: hibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Volumus autem quod si qui libros Luthe: ranos seu alios prædictos infra spatum & terminum hu: iusmodi dictis Inquisitoribus consignauerint nisi ipsi alias quam ex retentione librorum huiusmodi hæretici seu de fide suspecti erunt eo ipso etiam absque aliqua de: super facienda abiuratione à censuris & penitentiis propterea forsitan incursis in utroque foro absoluti sint, & esse cen: seantur: prout nos eos in euentum prædictum ex nunc prout ex tunc (dummodo penitentiam quam confessor per eos eligendus eis propterea duxerit iniungendam omnino adimpleant) absoluimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, ir: rationis, annulationis, inhibitionis, requisitionis, mo: nitionis, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumverit indignationem omnipotentis Dei ac bea: torum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit in: cursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo quin: quagesimo. Tertio Calendas Maij. Pontificatus no: stri anno primo.

Quæ quidem literæ, ut fidem faciant, exhibitæ sunt ex archiuo domus Iudiciarie sanctæ Inquisitionis in op: pido Vallisoleti per Dominum Promotorem Fiscalem sanctæ Inquisitionis, ynde de verbo ad verbum prout in literis Apostolicis continentur, prædictæ literæ sunt translatae.

DE SPIRITALIBVS HÆRETL.

corum pœnis, & primō de excommuni-
catione, ex qua oritur altera, quæ
est priuatio sepulturæ.

Cap. XVIII.

HAcenus de corporalibus pœnis, quæ iura hæreticis
decernunt, disputauimus, illasq; iuste, & meritò de-
cretas esse probauimus : supereft, vt de spiritualibus pœ-
nis disseramus, & illas nihil minus, quam corporales di-
gnas hæreticis esse probemus . Peccauerunt quidem illi
animo, perperam de fide Catholica sentiendo, & corpo-
re, contra illam scribendo, aut prædicando, aut alias quo-
modolibet docendo, aut quiduis aliud contra fidei decre-
ta exercendo, ac proinde iustum est vt corpore simul &
anima puniantur, eo saltem modo, quo anima in hoc se-
culo puniri potest. Prima, quæ animam respicit pœna hæ-
reticorum, est excommunicatio, per quam, illi tanquam
oues infectæ ab ouili ecclesiæ abiguntur, ne reliquas con-
uersatione sua inficiant oues, per quā etiam aliis Catho-
licis interdicitur, habere cum illis cōuersationem aliquā,
ne forte cum illis conuersatae inficiantur ab illis. Hęc pœ-
na describitur in cap. Excommunicamus. primo, & secun-
do, extra de hæreticis. Hanc pœnā sustinet quicunq; hære-
ticus, eo ipso, quod hæreticus, est etiam si nunquam fuerit
de hæresi à iudice aliquo damnatus: siue sit relapsus, siue
tunc prima vice sit hæreticus factus, dūmodo suæ hæresi
assentiat, vt hæreticus, id est, vt pertinax quāvis postea re-
fipiscat. Si tamē aliquis citra omnem pertinaciam alicui
hæresi assentiret, paratus suscipere, & tenere eam fidem,
quam Catholica tenet ecclesia, sicut non est hæreticus di-
cendus : ita nec excommunicatus. Nam Decretales illæ
nunc proximè citatæ non feriunt excōmunicationis sen-
tentia omnes qui fuerint in aliquam hæresim lapsi: sed so-
los hæreticos. Quod & si re ipsa sit clarissimum : tamen
propter multos, qui trepidant timore vbi timor non est,
non omittendum existimauit. Neq; omnes etiam hæretici
sententiæ excommunicationis subiacent: sed soli illi, qui
hæresim quam mente conceperunt, fotis quomodolibet
manifestant, vt si aliquis esset tūc præsens, posset cognos-
cere

scere illum in talem hæresim fuisse lapsum. Si quis (gratia exempli) apud semetipsum aliquam pertractaret hæresim quam pertinaciter credit, & illam nemine etiam audiente, verbis explicaret: sicut facere solent hi, qui populum publica lectione docere, aut concione aliqua exhortari debent, qui (vt expeditiores postea sint in pronunciacione) prius apud semetipcos soli loquuntur, quæ publicè coram populo postea dicturi sunt: talis absq; vlla dubitatio ne censebirur excommunicatus. Quoniam hæresis illius iam est ex natura manifesta, & iudicio hominum obiecta, quanuis ex defectu testium sit per accidens occulta. Qui autem hæresim mente concepit, & illam nunquam foris verbo, aut signo aliquo prodidit, talis non est excommunicatus: imo nec illum ecclesia potest excōmunicare. Quomodo potest ecclesia excōmunicare illum cuius peccatum propter quod infligenda est excōmunicatio, agnoscere non potest? Necessarium quippè est, vt qui alium iuste punire debet, prius sciat optimè crimen, propter quod meritò sit puniendus. Qui quod nouit, loquitur (inquit Salomon) index iustitiae est. At Papa nec tota ecclesia militans potest agnoscere hæresim in corde hæretici latenter: tem: quia solus Deus est cordium scrutator. Deus enim (vt dicitur in lib. i. Regum) intuetur cor, homines autem vident, quæ foris patent. Ecclesia ergo, quæ non potest hæresim in corde latenter agnoscere, non potest etiam propter illam solam penam excommunicationis aliquem ferire. Et hanc sententiā confitmat, quod dicitur in cap. cogitationis penam. De penitentia dist. i. Cogitationis penam (inquit textus) nemo patiatur, & in cap. cogitatio. eadem distinctione. Cogitatio non meretur penam. Et hoc est quod communis Theologorum sententia dicit, ecclesiam non posse obligare ad actus interiores. Glossa tamen clementina prima de hæreticis. paragrap. Verum, docet oppositum, decepera ex quodam dicto illius clementis malè ab ipsa Glossa intellecto. Illa siquidem clementina ipso iure excommunicat inquisitores hæreticorum, qui odio, aut amore aliquid fecerint cōtra hæreticos non faciēdum, aut aliquid omiserint, quod facere debuissent. Ex quo loco Glossa illa deducit iam nullam esse causam dubitandi id, quod Archidiaconus dixerat esse rem du-

Prou. 12.

1. Reg. 15.

biam, an videlicet hæreticus occultus sit ipso iure excommunicatus: quoniam ex textu illius Clemens in æ (ut ait Glossa) apertissimè constat ecclesiam posse punire actus animæ interiores, & inde clarissimè conuncitur hæretica cum quamlibet occultum esse ipso iure excommunicatum. Et ut suam corroboreret sententiam multos hinc inde citat ex iure textus, qui nec tantum suo proposito fauent. Et (ut ingenuè loquar) non bene illius Clemens literam intellexit, nec bene illius sensum consideravit. Illa enim Clemens in a non punit solos actus animæ interiores, in quos nullum (ut diximus) ecclesia habet forensem iurisdictionem: sed punit actus exteriores, qui ab illis interioribus procedunt. Non enim excommunicat ibi Pontifex Inquisitores, qui solum habent odium, aut amorem: quoniam propter solum odium in corde latens non poterat aliquem excommunicare, etiam si odium esset ardentissimum: sed excommunicat ibi P̄t̄ifex Inquisitores, qui propter odium, aut amorem aliquid in iudicio inquisitionis contra rationem fecerint.

Quibus verbis diligenter consideratis, constat apertissime, ibi non puniri odium, aut amorem: sed puniri opus exterius aut omnissio operis exterioris ab odio aut amore procedens. Valde quidem diuersa sunt odium, aut amor, & opus ab odio, aut amore procedens. Prima illa duo sunt actus animæ interiores: hoc autem est actus exterior. Prima illa ecclesia non punit, nec punire potest. Nam Apostolus istorum iudicium prohibet, sic inquisiens: Nolite ante tempus iudicare quoad usque veniae Dominus, qui manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum. Hoc autem vitium videlicet opus exteriorius ab odio, aut amore ortum ecclesia iustè punire potest, etiam si ob defectum testimoniū sit occultum: quoniam ex natura sua, mox ut ex latebris cordis prodierit, est manifestum, aut saltem manifestabile. Omnes igitur textus, quos Glossa citat, imponunt penam actibus exterioribus, & nullum in iure unquam reperiatur decretum, quod penam aliquam decernat alii cui propter solum actum animæ interiorem, ut puta odiū, aut amorem. Ex ista pena excommunicationis oritur alia, velut iurius ex fonte, priuatio videlicet ecclesiastice sepul.

sepulturæ. Nullus enim in excommunicatione decedens potest in loco sacro sepeliri, ut constat ex Clementina. I. de sepulturis. Sed ne quis fortè parum eruditus de hac re dubitaret. Visum est ecclesiæ dignum esse, ut speciale de hac re conderetur decretum, quod omnibus hæreticis ecclesiasticam interdiceret sepulturam. Et habetur in cap. Quicunque. De hæreticis. libro sexto. Et merito quidem sic statutum est. Quoniam is, pro quo orare non licet, indignus est, qui in loco sacro sepeliatur. Non enim ob aliam causam corpora in locis sacrâs sepeliuntur (vt Augustinus ait) nisi, ut qui loca sacra ingrediuntur, pro illis, qui sunt ibidem sepulti deum precentur. Et ob hanc causam (vt Augustinus in libro de cura pro mortuis agenda ait) sepulchra defunctorum dicuntur monumenta: quia innocentis vitiorum mentes, ut defunctorum recordentur. At cum nulla possit memoria hæreticis defunctorum prodesse, consequens est, ut nec possit illis prodesse sepultura. Hanc pœnam sicut nunc eam declarauimus, hoc est, excommunicationis sententiam ipso iure hæreticis infictam aliqui non insimæ sortis. Theologitam iustam eam putam, ut non solius à iure humano: sed etiam à iure diuino illam hæreticis infictam esse censcant. Nam Iodocus Clitoueus in assertione veritatum definitarum in concilio Senonensi hanc tenet sententiam, Jacobus Latomus in assertione determinationis data ab universitate Louaniensi contra Lutherum eidem sententiæ aperte subscribit. Ioannes Echius in Enchiridio locorum communium contra Lutheranos, capitulo de hæreticis comburendis, idem videtur sentire. Hi omnes tres illustres Theologi concorditer sentiunt pœnam excommunicationis, esse ex diuino iure hæreticis infictam: tantum abest, ut illam iniustum esse putent. Neque absq; causa, & sine vlla ratione: sed multis sacræ scripturæ testimoniis moti id asserunt. Paulus siquidem ad Titum scribens ait: Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, quæ eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Et beatus Ioannes in sua. 2. Canonica epistola inquit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non assert, nolite recipere eum in domū, nec aue ei dixeritis.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Qui enim dicit illi aue:communicat operibus eius malis
gnis. Alij tamen Theologi, & si fatentur iustam esse hæc
excommunicationis sententiam contra hæreticos à iure
prolatam, negant tamen illam iuris diuini robur tenere:
quoniam (vt aiunt) Paulus, & Ioannes hæc loquentes
non dixerunt tale aliquid esse à Deo mandatum, sicut alias

t. Cor. 7. Paulus cùm simile aliquid pertractat, dicere solet. Præ-
cipio (inquit ille) non ego: sed Dominus. Et iterum: Nō
Dominus: sed ego præcipio. At Paulus non poterat (vt
dicunt) sua ipsius autoritate talem excommunicationis
sententiā in omnes hæreticos ferre. Sed certè responsio-
nem istam nullius esse momenti, aliquis conuincere pu-
tabit per id, quod Paulus Thessalonicensibus scribēs ait:

2. Thes. 3. Denuntiamus autem vobis fratres (inquit Paulus) in no-
mine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab
omni fratre ambulante in ordinatè, & non secundum tra-
ditionem, quam acceperunt à nobis. Ecce Paulus interdi-
cit conuersationem cum illis, qui non ambulant secun-
dum traditionem, quam ab eo acceperunt, neq; hoc no-
mine suo: sed nomine Domini nostri Iesu Christi se id
præcipere dicit. Quæ verba declarans Theophylactus

Theoph. ait: Sæpè alias diximus denunciationem, auferam quan-
dam preferre doctrinam. Nunc igitur tremendam magis
hanc faciēs, inquit. Non enim nos id ipsum iniungimus,
sed Christus ipse. Hic namq; profatur, quæ ipse ad vos lo-
quor. Hæc Theophylactus. Quæ istarum opinionum sit
verior, ego nolo definire, cùm satis pro præsenti dispu-
tatione mihi sit, quod hi, qui negant excommunicationis
pœnam esse iure diuino infictam, negare non po-
terunt esse iuri diuino admodum conforme, pertinaces hæ-
reticos excommunicare. Nam illum, qui fratrem semel &

Mat. 18. iterum admonentem de peccato contemnit, & ecclesiam
insuper non vult audire, Christus saluator noster præce-
pit habendum esse tanquam Ethnicum, & Publicanum.
Quibus verbis concordi omnium Catholicorum senten-
tia, Saluator noster Prælatis ecclesiæ dedit potestatem
excommunicandi illum, qui tertio admonitus negligit
emendari. Idem enim est dicere, sit tibi sicut Ethnicus, &
Publicanus, ac si dixisset: nullam prorsus cum eo habeto
communionem. Sicut enim populo Israel fuit olim in-
terdicta

terdicta cum gentibus conuersatio : ita etiam nunc po-
 pulo Christiano interdicit Saluator, aut potestatem de-
 dit Prælatis interdicendi communicationem cum eo, qui
 ecclesiam audire contemnit, dicens: Sit tibi sicut Ethnicus,
 & Publicanus. Nam beatus Chrysostomus hæc Matthei Chrysost.
 verba interpretans, ait. Vide qualiter duplicibus colliga-
 uit necessitatibus, & pœna, quæ hic est, scilicet projectio-
 ne ab ecclesia. Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, & sup-
 plicio futuro, quod est esse ligatum in cœlo. Hæc Chry-
 sostomus. Ut autem sententiam Prælati excommunican-
 tis nullus contemnere auderet: sed firmam, & ratam esse,
 omnes censerent, addidit: Amen dico vobis, Quæcumq;
 alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & que
 cunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.
 Quæ verba declarans beatus Hieronymus in commen-
 tariis super Matthæum ait: Quia dixerat, si autem ecclæ- Hieron.
 siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, &
 poterat contemptoris fratriis hæc occulta esse responsio,
 vel tacita cogitatio, si me despici, & ego te despicio: Si
 tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis, po-
 testatem tribuit Apostolis, ut sciant, qui à talibus cōdem-
 nantur, humanam sententiam diuina sententia roborari
 & quodcumq; ligatu fuerit in terra, ligari pariter in celo.
 Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis apertissimè constat,
 quam rata sit, & à Deo confirmata excommunicatio, que
 fertur in illum, qui secundo admonitus, ecclesiam postea
 audire contemnit. Qui autem minus ecclesiam audit,
 quam hæreticus, qui suam sententiam definitioni totius
 ecclæ preponit, & ab ea fide, quam scit totam ecclesiam
 tenere, proprio iudicio recedit. Nullus ergo iustius potest
 suxta diuina decreta excommunicari, quā hæreticus, qui
 propriæ innitens prudentię ecclesiam docentem, atq; ad-
 monentem audire contemnit. Et fortè hoc ipsum intelle-
 xerunt præfati illi tres doctissimi viri dicentes, excommu-
 nicationis pœnam iure diuino esse hæreticis illatam: quia
 iuri diuino innititur ius humanū, quod illam hæreticis
 infixit. Rursus, iustum esse hanc hæreticorum excom-
 municationem, ostenditur per id, quod Dominus Deus
 olim populo Israel præcipiens, ut deleret Iebusæum Cha-
 manæum, & reliquas quinque generationes, addidit:

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam ipsius sociabis filio tuo : quia seducet filium tuum, ne sequatur me: & ut magis seruiat diis alienis. Attende, obsecro, causam, propter quam prohibuit cum gentibus illis contrahere matrimonia. Quia seducet (inquit) filium tuum, ne sequatur me. Nonne simile periculum est in conuersatione hæreticorum, quorum

2. Tim. 2. sermo (iuxta Pauli sententiam) ut cancer serpit. Propter eadem igitur causam iustum est, ut sit omnibus Christianis interdicta hæreticorum conuersatio, ne fallaciis suis seducant corda eorum, cum quibus conuersantur. Ideo

2. Cor. 6. Paulus ait : Quæ pars fideli cum infideli ? Tam potens est hæc causa, ut propter illam solam censuerit Paulus uxorem fidelem coniunctam viro infideli, qui non permittit illam in fide sua manere : sed quotidie solicitat, & urget ad infidelitatem, posse à viro suo separari. Sic enim

2. Cor. 7. ait Paulus : Quod si infidelis discedit, discedat : non est enim seruituti subiectus frater, aut foror in huiusmodi. In pace autem vocavit nos Deus. Quæ verba declarans

Theoph. Theophilactus in commentariis super epistolas Pauli ita ait : Hoc est, si vir infidelis uxori fideli iniungat, secum ut sentiat, & particeps suæ fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & à viro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quam pietatem, & Dei cultum amittere. Si tecum ille eo iurgatur, quod suæ infidelitatis participare nil toleres, confessim secedito. Non enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogeris virum in rebus huiusmodi perpeti. Melius est enim secedere, quam altercari. Neque enim diuinæ illud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocat. Itaque si litiget, & iurgiis ureat, præbuit ille diuorti causam.

Hactenus Theophilactus. Deinde id, quod Deus olim cum leproso lege Mosayca fieri præcepit, manifestum est exemplar nobis propositum, ut illo bene inspecto discamus inde quid in lege Euangelica circa hæreticum fieri debeat.

2. Cor. 10. Omnia enim (ut ait Paulus) in figura contingebat illis. Inter multa alia, quæ in lege Mosayca circa leprosos necessario facienda, præcipiebantur, hoc unum erat, ut leprosus extra castra eiiceretur. Omni tempore (inquit lex)

quo

quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra. Leprosus autem illic descriptus manifestam tenet hę reticorum figuram. Nam beatus Augustinus exponens Euangelium illud de decem leprosis ait: Qı ærēdum est igitur quid ipsa lepra significet. Non enim sana: i: sed mū dati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippè vitium est, non valetudinis, aut integratatis sensum, atq; membrorum. Leprosi ergo non abiurdè intelliguntur, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profidentur erroris. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in vna disputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant, lepram tanquam veris, falsisque colorum locis humanæ corpora variantem, atq; maculantem. Hæc Augustinus. Quibus verbis subscrivit Beda super Lucam, & in homilia quadam super illud Euāgelium, quod iuxta usum Romanæ ecclesiæ legitur in missa Dominica decimateria post Pentecosten. Sunt adhuc multa alia in leproso consideranda ex quibus apertius colligi potest illum veram hæretici figuram fuisse. Nam leprosus suo contactu alios inficiebat, & hæreticus sua conuersatione fidelibus nocet. Leprosi anhelitus noxius erat, & ob hanc causam illius ueste contextum esse iubebatur. Et hæreticorum sermo, Paulo testante, velut cancer serpit, & ob hæc causam prædicatio est illi interdicta. Quoniam (vt ait Salomon) qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Cū ergo leprosus, ne sua conuersatione aliis nocere possit, extra castra, & omnium hominum cōuersationem eiici, sit lege Mosayca præceptum, hoc exemplari, & sub huius figuræ velamine nobis ostensum est, iustum esse: immo necessarium, vt hæreticus excommunicetur, & sic extra ecclesiæ castra eiiciatur, ne Catholicis communicans eis sua communicatione nocere valeat. Accedit ad hæc, quod hæretici semper sunt contentiosi, nec pacem, quam Deus viuens, & moriens tam obnoxie nobis commendauit, vñquam amplecti volunt. sed nouorum dogmatum inuentores, aut fautores effecti, rixas, & contentiones perquirunt, & iurgia, & dissidia intra ecclesiam suscitant. Ideo iustum, & necessarium est hæreticos ab eccl

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

- Prou.22. ecclesiæ communione eiicere, vt vel sic pax reddatur ecclisiæ. Nam Salomon in Prouerbiis ait: Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium. Quæ verba exponens Beda in commentariis super Prouerbia ait: Eiice hæreticum, quem corrigere nō potes, de ecclesia: & cū illi prædicandi libertatem abstuleris, Catholicæ paci auxilium præstas. Hæc ille. Demum semper ab ipsis ecclesiæ primordiis veri Catholici fugerunt consortia hæretorum, & ab eorum conuersatione procul recesserunt, nec colloquium ullum: nisi fortè causa correctionis, cum illis habere voluerunt, adeò, vt domum, in qua hæreticus esset, intrare noluissent. In cuius rei certissimum, & irrefragabile testimonium, vnum solum exemplum afferam, quod refert beatus Iræneus. Is enim verus Christi martyris libro tertio, aduersus hæreses, capite tertio, de Polycarpo Episcopo, & martyre Ioannis Apostoli discipulo
- Irenæus. Iloquens, hæc ait: Et sunt adhuc etiam nunc, qui audierunt ab ipso, quod Ioannes apostolus discipulus Domini, apud Ephesum cùm Balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerinthum, exiluerit continuò, & discesserit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerinthus lauatur veritatis inimicus. Idem etiam ipse Polycarpus Marcioni aliquando cùm occurrisset, dicenti sibi: Agnosce nos. Respondit: Agnosco primogenitum Sathanæ. Tanta tunc Apostoli atque eorum discipuli in religione cautela vrebantur, vt ne verbi quidem communionem, cum aliquo eorum, qui à veritate deuiauerant, habere paterentur. Sicut &
- Tim.3. Paulus dicit. Hæreticum hominem post vnam correctionem deuita. Hæc Irenæus. Et eadem ferè verba citantur sub nomine Bedæ, in capit. omnis. 24. quæfitione prima. Cùm igitur tam multis, vrgentissimisque rationibus ostenderimus iustam esse hæretorum excommunicationem, obus est, vt quicunque se fidelem Catholicum esse, & existimari optat, vitet consortia, & colloquia cuiuscunque manifesti hæretici, ne contrarium faciens, iustum aliis præbeat suspicandi occasionem, se etiam eodem crimine hæresis esse infectum quo ille, cum quo conuersatur.

AN

AN HÆRETICVS POSSIT POST
mortem excommunicari. Cap. XIX.

HO M I N E M mortuum non posse excommunicari, cuicunq; Theologo, vel mediocriter sacram scriptram intelligenti, est apertissimum, quoniam potestas iurisdictionis, quæ ad excommunicandum aliquem est à Christo salvatore nostro prælatis ecclesiæ concessa, ad solos viuos, & super terram existentes concessa est, non autem mortuos, qui aut supra terram, aut subtus terram locati sunt. Nam potestatem hanc excommunicandi incorrigibilem, aut contumacem (vt proximè præcedenti cap. sacrorum doctorum testimonio docuimus) Christus salvator noster concessit per hæc verba, sic dicens : Si ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Illa autem verba, vt ex ipsius Euangeliū litera facillime constat, ad eos solos referuntur, qui semel, & iterum à fratre, & tertio à prælato correpti, emendari recusant tamquam contumaces, & rebelles. Ex quo Euangeliū processu, Theologi omnes concordi sententia colligunt, non pro quolibet peccato etiam mortali posse dari sententiam excommunicationis; sed oportet esse annexam contumaciam, sine qua sententia excommunicationis fieri non posset. At mortuus cum non possit semel admoneri, aut à fratre, aut ab ecclesia, nunquam post mortem poterit dici contumax, aut rebellis, quo sit, vt nec excōmunicari possit post mortem. Fortè quis dicet mortuum non excommunicari propter contumaciam, quam post mortē habuerit, quia huiusmodi talis illi contingere non potest: sed propter contumaciam, quam habuit ante mortē, quæ quia ipso viuente non innotuit: sed post mortem, ideo mortuus excōmunicatur. Sed hoc fieri non posse, verba, quæ Christus salvator noster statim post præcedentia, ad excommunicationis confirmationem dixit, apertissime cōuincunt. Nam post illa verba, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, statim subdit: Quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in celo, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in celo. Per quæ verba (vt proximè præcedenti capitulo ex Hieronymi testimonio ostendimus) Salvator noster ipsam excommunicandi potestatem ecclesiæ concessam, amplius declarauit, & ratam, & firmam esse ostendit. Si

Mat. 48.

GG 5 quis

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quis tamen in hac re soli Hieronymo non fudit, nec solo illius testimonio est contentus, plures alios possem ex sacris doctoribus ad huius rei testimonium afferre. Ne tamen namia prolixitate in re tam clara graue lecto:em, solo duos alios probatissimos testes, omniq; (vt dicitur) exceptione maiores profera, qui per praefata Saluatoris nostri verba conuincere nituntur potestatem excommunicandi datā esse ecclesiæ. Primus est Vibanus Papa & martyr in epistola de commuui vita, & oblatione fidelium, qui postquā inhibuit ne ecclesiæ facultates caperentur in alios vius cōuertendæ & cuicunq; diripient illas excommunicationem minatus est, ne talē excommunicationem aliquis contemneret auderet, ipsam excommunicandi potestatē per illa Saluatoris verba probat, quibus ait. *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlo Cez*. Iasius Papa in cap. legatur, & in cap. Nec quisq; per illa eadem verba probat potestatem excommunicandi datā esse ecclesiæ. Illa autem Saluatoris nostri verba, de solis illis loquuntur, qui sunt super teriā, hoc est, de illis, qui vitam in hoc mundo degunt, non autem de mortuis qui aut suæ praeteritam, aut subitus terrā sunt. Solos ergo viuos ecclesia ligare, aut soluere potest, non autem mortuos. Et hanc sententiā tuentes non solum Theologi omnes, sed etiam iuris canonici periti. Aliqui tamen canonistæ ab hac lege excipiunt hæreticum hominem, qui licet defunctus huic seculo sit, propter criminis tamen grauitatē dicunt illum posse etiam post mortem excommunicari. Nam Glossator Decretalium in cap. si quis Episcopus. de hæretic. in verbo post mortem, postquā ad suæ sententiæ confirmationem citauit cap. sane. 24. q. 2. deinde sibi ipsi obiicit, & respondet per hæc verba. Contra, quia crimina morte extinguntur. 21. dist. quorūdam. 24. q. 2. cap. 1. & crimen cum poena sit extinctum. C. si reus, vel accu. mor. sue. l. 2. Hoc tamen speciale est in crimen hæresis in criminis detestationem, vt post mortem possit accusari, & excommunicari. Hæc Glossator decretalium. Abbas in expositione praefati cap. si quis Episcopus eidem subscribit sententiæ, dicens etiam hoc esse speciale hæretico. vt post mortem possit excommunicari. Sed re vera (ut ingenue loquar) misere errauit vterque, quoniam nec Pontificum in hac re potest.

katem

statem intellexit, nec virtutem excommunicationis considerauit, nec verba Gratiani, & quæ ille ex aliis authoribus ibidem citat, interius penetrauit. Post mortem quidem damnari potest aliquis de hæresi, hoc est, dari sententia, per quam declaretur illū fuisse hereticum, & in hæresi ex hoc seculo decessisse: quia nulla penitentiae signa ante mortem ostendit. Non tamē cūm damnatur hæreticus defunctus, tunc excommunicatur, sed declaratur illum tūc fuisse excommunicatum, quum primo factus est hæreticus. Nā (vt precedentī capit. diximus) hæreticus etiā ante iudicis declarationem, est ipso iure excommunicatus. Quoniam & si quis adeo occultus fuerit hæreticus, vt nunquam ad notitiam iudicis peruererit, si tamen hæresim suam exterius vtcunq; prodiderit, & non in solo corde celauerit, nō tam propter hoc ab excommunicatione liberabitur, cūm talis excommunicatione non ab homine pendeat, vt vim suā habere possit: sed sit ab ipso iure inficta. Qui ergo post mortem de hæresi damnatur, nō tunc excommunicatur: sed declaratur fuisse ante mortem excommunicatus, & in excommunicatione defunctus, vt deinceps iā non pro illo sicut pro aliis, alicui orare liceat, & omnes intelligāt illū, qui pro hæretico damnatus est, non habere partem in orationibus, quas ecclesia facit pro defunctis. Neq; aliud dicī posse, autoritate, & ratione urgentissima id cōuincere voleo. Leo Papa in epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum, quæ est. 60, in ordine epistolarum suarum, sic ait:

Leo Papa
primus.

De communione priuatis, & ita defunctis horum causa iudicio Dei reseruanda est, in cuius manibus fuit, vt taliū obitus non vsc; ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicamus, mortuis communicare non possumus. Hæc Leo Papa, & habentur in volumine Decretorum. 24. q. 2. De cōmunione. Ex quibus verbis constat Leonis Papæ sententiā esse, neminem post mortem ab excommunicatione, in qua decessit, posse post mortem absolvi. Et inde deducitur, vt eodem modo nemo, qui sine excommunicatione decessit, possit post mortem excommunicari. Hæc autem collectio probatur esse bona testimonio Urbani Papæ in epistola ad Guillimundum Episcopum, qui ex illis beati Leonis verbis eandem format consequentiam, sic inquiens: Inter

cæteros

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

- Vibanus** cæteros quippe nostræ fidei patres Beatus Leo Papa doc.
Papa. etor egregius. Quibus viuis (inquit) non cōmunicamus,
nec mortuis cōmunicare debemus. Constat ergo quibus
viuis (vt ex opposito loquamur) cōmunicamus, mortuis
quoq; cōmunicare possumus. Hæc Vibanus Papa, & ha-
bentur in cap. Sane quod super. 24. q. 2. Gelasius Papa in
cap. legatur. eadē causa, & questioae, dicit apertissime nul-
lum post mortem posse ab excōmunicatione in qua deces-
fit, absolui, & in sua sententiæ confirmationem adducit.
Mat. 16. Petro: Quodcumq; solueris super terram, erit solutum &
in cœlis, & quodcumq; legaueris super terrā, erit ligatum
Gelasius & in cœlis. Quę verba doctissime annotans Gelasius ait:
Papa. Super terrā (inquit) nam in ligatione defunctum, nunquā
dixit esse absoluendum. Hæc Gelasius. Ex quibus verbis
apertissime constat Gelasium Papā hac ratione moueri, vt
dicat defunctum non posse ligari, aut absolui: quia videli-
cet non est super terram. Hæc autē ratio æque vrget circa
hæreticum defunctum, sicut circa omnes alios defunctos:
quoniā hæreticus defunctus non magis est super terram,
quam cæteri mortui. Cūm ergo eadē ratio sit circa hæreti-
cum defunctum, quę circa alios mortuos, oportet, vt eadē
lege iudicentur hæretici defuncti, qua circa excōmuni-
cationem alijs defuncti iudicātur. Quoniam aut ratio illa à
Gelasio data non bene de aliis defunctis probat, q; solui,
aut ligari nō possunt, aut etiam de hæretico sicut de aliis
Eccle. ii. concludit. Præterea Salomon ait: Si ceciderit lignum ad
Austrum, aut ad Aquilonē, in quoq; loco ceciderit, ibi
erit. Lignum de quo loco isto Salomon loquitur, tunc ca-
dere dicitur (vt Hieron. ibidem interpretatur) quādo ho-
mo moritur. Sed in quoq; loco ceciderit, ibi erit: quia
sicut eum mors occupauit, ita postmodum reperiatur. Ex
qua Salomonis sententia conuincitur, vt qui non est in
morte excōmunicatus, nec possit etiam post mortem ex-
communicari. Hanc nostram argumentationē confirmat
id, quod Gelasius Papa ait in cap. Nec quisquā 24. q. 2. vbi
differens de mortuo an posit ab excommunicatione ab-
solui, aut ab ea ligari, hæc ait: Cæterum de eo, qui in diu-
no iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decerne
re præter id, in quo eum dies supremus inuenit. Hæc
Gelas.

Gelas. Quę verba cum illis, quę ex Salomone cītāimūs, manifestissime cōsonant. Rursum eodē modo potest Pa-
pa aut quis alius Episcopus hæreticum defunctum ex-
communicare, sicut potest iniustè de hærefi damnatum
absoluere, prout definitum est in actione prima quintæ
synodi, quam Gratianus citat in cap. sane quod fertur.^{24.}
q. 2. At cūm absoluit illum, qui iniustè de hærefi dānatus
fuerat, non absoluit ab excommunicatione: quia constat
nullam fuisse, neq; in illam incidisse: sed solum declarat il-
lum non fuisse excommunicatum. ergo cūm post mortem
damnat hæreticum, aut excōmunicat, solum declarat il-
lum fuisse hæreticum, & propter hæresim fuisse excommu-
nicatum, ac proinde non esse pro illo deinceps orādum.
Deinde quod dicūt hoc esse speciale hæreticis, vt propter
criminis grauitatem possint post mortem excōmunicari,
apertissime ostendit eos ignorare, ad quos se extendit po-
testas excōmunicandi ecclesiæ concessa. Nam si hoc bene
introspexissent, nunquā hoc dixissent. Quis vnquā dice-
ret prætorem alicuius ciuitatis posse punire maleficos in
illa ciuitate cōmorantes, in qua nullam prorsus haber iu-
risdictionē, etiam si illi grauiissime peccarent? Aperta qui-
dem est regula iuris in. & quæ talem sententiā, & punitio-
nem damnat & irritat. Sententia (inquit regulā) nō à suo
iudice lata, nulla est. Si tamen Rex propter criminis gra-
uitatem, quod in alia committitur ciuitate, nouam quan-
dam prætori alterius ciuitatis cōcederet potestatē, vt ma-
leficos sceleratissimosq; homines, quos in ciuitate suæ iu-
risdictioni aliás non subiecta nouerit, punire posset, tunc
noua illi concessa potestate poterit in illos sententiam fir-
mam dicere, contra quos antea nihil prorsus efficere vale-
bat. Potestas excōmunicandi, quam ex Euangelio didicī-
mus ecclesiæ datā esse ad solos viuos se extendit, vt claris-
sime cōstat ex verbis Euangeli & ex interpretationibus
sacrorum doctorū, quos supra cītāimus. Si ergo aliquis
Episcopus mortuum excommunicare tentauerit, in eum,
qui sibi subditus non est, sententiā dicet, fietq; necessa-
rio, vt sententia illa: quia non à suo iudice lata, iuxta re-
gulam iuris, sit nulla censenda. Si Deus vltra illam gene-
ralem potestatem supra viuos datam, specialem aliquam
aliam concessit ecclesiæ potestatem, vt hæreticos propter

- grauiissi-

grauisimum hæresis vitium, possit etiam post mortem
 excommunicare, tunc cedam. Cūm tamen nullam pos-
 sint speciale aliam, & latiorem potestatem ostendere
 supra hæreticos fuisse à Deo concessam, nescio qua fron-
 te dicere audent, hoc esse speciale in hæretico, ut propter
 criminis grauitatem possit post mortem excommunicare.
 Est enim speciale aliquid in crimen illo, per quod re-
 liqua vitia superat in malitia: sed non est speciale aliquid
 in potestate excommunicandi à Christo ecclesiæ conces-
 sa, ita ut latiorem supra hæreticos, quam supra alios illi
 concederet potestatem. Hanc autem potestatem oportē-
 bat illos magis, quam criminis grauitatem inspicere, ut
 recte de hac quæstione definire potuissent: quoniam ex-
 communicatio ipsa, ut firma sit, magis ex potestate sibi
 collata, quam ex criminis grauitate pendet. His igitur
 vrgentissimis rationibus motus, dico hæreticum homi-
 nem posse damnari post mortem, hoc est, per sententiam
 declarari fuisse hæreticum, & in hæresi usque ad mortem
 perseverasse, & per consequens fuisse in excommunicatio-
 ne defunctum, nego tamen illum post mortem posse tunc
 primo excommunicari, cūm per mortem, sit iam extra-
 hominum iudicium constitutus. Neque aliud dicit Gra-
 tianus in, 24. quæst. 2. parte secunda: quoniam illuc dicit
 hominem posse de crimen hæreticos accusari, & damna-
 ri post mortem, quod & nos fatemur, nunquam autem dicit
 illum, aut aliquem alium post mortem posse excōmu-
 nicari. si quæras cur possit quis post morte de hæresi dam-
 nari, non autem excommunicari, respondeo hæc esse cau-
 sam, quod sententia damnans hæreticum mortuum, est
 velut declaratoria operū præteriorum, declarans illū hæc
 aut illā hæresim pertinaci animo fuisse amplectatum, & per
 consequēs fuisse eo ipso excōmunicatum: qd (ut clarissime
 constat) etiā post morte fieri potest. Excōmunicatio vero
 non tā est sententia, quam sententiæ executio. Sicut enim
 aliud est furē suspēdio dignū censere, & aliud furē suspen-
 dere, ita etiā aliud est decernere aliquem esse excōmuni-
 catione dignum, aut illum iam fuisse excōmunicatum, &
 longè aliud est illum actu excommunicare. Primum quidem
 dicitur sententia: secundus vero non est sententia:
 sed executio sententiæ iampridem latæ. Esto, excommu-
 nicatio

nicatio sententia dicenda sit : non tamen solum illa erit
præteriti operis declaratoria : sed præsentis pœnæ insit:
etua. Per excommunicationem siquidem non solum de-
claratur illum cui infertur excommunicatione, aliquod læ-
thale crimen commississe, propter quod solum inferenda
est excommunicatione : sed ultra hoc infligitur pœna, qua
excluditur excommunicatus à participatione, & commu-
nicatione fidelium . Hæc autem pœna non potest infligi
defunctis, cùm sint iam extra humanum iudicium consti-
tuti. Cùm autem quis de hæresi damnatur, & hæreticus
judicatur, nulla illi spiritualis infligitur pœna: sed solum
de opere iam olim dum viueret, facto, declaratoria quæ:
dam profertur sententia, quæ declarat illum fuisse hæreti-
cum, & in hæresim fuisse defunctum. Quæ sententia non
parui est momenti, nec frustra & inutiliter datur : sed ad
multa, quæ inde iure facienda occurrunt, valde condu-
cit : ad omnes scilicet pœnas corporales, quæ corpus hæ-
retici contingere possunt. quoniam hoc, & quæ illud con-
tingunt, in terra sunt, & hominum potestati subiecta.

Primo quidem valet ad confiscationem honorum ipsius
hæretici faciendam. Nam bona illius, qui viuens in hære-
si latuit, si post mortem constat illum fuisse hæreticum, eo
ipso sunt confiscata, ut decernitur in cap. Accusatus. para-
gra. in eo. De hæreticis. libro. 6. Valet etiam talis senten-
tia, ad filiorum infamiam aliis innotescendam. Erant quī
dem filii parentis hæretici (vt supra docuimus) ipso iure
infames : sed quia paternum crimen unde ad filios infa-
mia derivatur, latebat: ideo aliis erat ignota filiorum in-
famia. Ut autem defunctus damnatur de hæresi, eo ipso
omnibus hanc damnationem scientibus, filiorum infa-
mia innotescit . Deinde damnatio hæretici defuncti hoc
tertium efficit, manifestare videlicet aliis corpus illius in-
dignum esse ecclesiastica sepultura, in qua reconditum
est. Nam (vt præcedenti cap. ostendimus) hæreticus à
iure privatur ecclesiastica sepultura. Quo fit, vt postquam
de illius hæresi post mortem constiterit, corpus illius si
ab aliis fidelium corporibus possit discerni, sit ab ipsa se-
pultura tanquam à re iniuste possessa separandum, &
extra ecclesiam eiiciendum . Sic enim concilium Con-
stantiense de corpore Ioannis Vuiclef hæretici iam tunc
defuncti,

Concilium
Constan-
tiense.

defuncti, censuit esse faciendum. Nam sessione octaua postquam idem concilium declarauit illum fuisse hæreticum, nec vñquam de illius pœnitentia constitisse, hæc ad- dit verba : Decernitq; & ordinat hæc sancta synodus, corpus eius, & ossa (si ab aliis fidelium corporibus discer ni possunt) exhumari, & procul ab ecclesiæ sepultura iuu etari, secundum canonicas, & legitimas sanctiones. Hæc concilium. Demum valet hæc sententia, qua aliquis post mortem de hæresi damnatur, ut omnes, vel ex eo intelligant nephias esse, & impium pro illo, tanquam pro homine excommunicato, & in excommunicatione defuncto deu orare. Ad hæc omnia valet sententia, qua aliquis post mortem damnatur de hæresi : non tamen valet ad ex communicationem illi inferendam.

RESPONDE TVR OBIECTIONIBVS,
quaæ pro Abbatis, & Glossæ opinione
afferri possunt. Cap. XX.

HIC tamen fortasse aliquis Abbatis, aut Glossæ in hac parte patronus mihi obiiciet, hæreticos multos post mortem fuisse ab Ecclesia anathematizatos. Nam concilium Constantiense sessione octaua anathematisauit Ioannem Vuiclef iam tunc defunctum. Et in quinta synodo actione prima, anathematizati sunt Dioscorus, & Eutyches, & alii multi hæretici, qui iam diu ante annos multos fuerant mortui. In sexta synodo actio ue ultima, anathematizati sunt Theodorus Faranita, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & Honorius, & multi alii hæretici, qui omnes iam erant mortui. Et in cap. Si quis Episcopus, extra de hæreticis, præcipitur, ut anathema dicatur post mortem Episcopo, qui hæredes instituerit hæreticos, aut paganos. Fateor quidem post mortem posse aliquem anathematizari, non tamen excommunicari. Non sunt enim idem prorsus anathematizare, & excommunicare, aut anathema, & excommunicatione. Hoc autem ita esse, vel ex eo constare potest q; multi sunt, qui hæreses & hæreticos anathematizant, qui nullam prorsus habent excommunicandi potestatem. Nam omnis, qui hærefim, quam prius tenebat, deserit, cum ad Ecclesiæ cōmunionem recipitur (ut supra docuimus) cogitur prius abiurare,

tare, & anathematizare hæresim, qua maculatus fuerat:
 sicut patet in cap. Ego Berengarius. quod habetur, de cō
 secratione. dist. 2. Non tamen omnis talis hæreticus resi-
 pisces, potestatem excōmunicandi habet. Pr̄terea s̄pē
 Ecclesia in suis sententiis, post verbū excōmunicationis
 addit verbum anathematis, dicens: Excōmunicamus, &
 anathematizamus, prout patet in cap. Excōmunicamus
 primo & secundo, extra de hæreticis. Et in cap. Cum nō
 ab homīne, extra de Iudiciis, primo pr̄cipitur, vt cle-
 ricus incorrigibilis excōmunicetur, ac deinde, ut anathe-
 matis mucrone feriatur. Ex quibus omnibus apertissi-
 mè constat nō esse idem prorsus excōmunicatio, & ana-
 thema; sed aliquid addere anathema supra excōmunica-
 tionem, pr̄sertim q̄ perpetuo, vbi ista duo coniungun-
 tur, verbum anathematis semper ponitur post verbum
 excōmunicationis, & nunquam ante illud collocatur.
 Rursum cū Petrus in atrio Principis sacerdotum se ca-
 lefaceret, & tertio negaret se Christi discipulum esse, di-
 cit Marcus Euangelista de illo, q̄ c̄cepit anathematizare Mar. 14.
 & iurare: quia nescio hominem istum. Certum autē est,
 Petrum tunc nullum excommunicasse, quanuis anathe-
 matizauerit. Ex his omnibus luce clarius cōstat, aliquid
 esse discriminē inter has duas voces, anathematizare, &
 excōmunicare. Oportet igitur harum vocum significati-
 ones explicare: quoniam inde tota huius quæstionis sum-
 ma pendet, & ex illarum ignorantia multi occasionem
 erroris sumpserunt, putantes eandem prorsus utriusque
 vocis significationē, cum tamen sit valde diuersa. Ana-
 thema gr̄ca vox est, & significat donaria, quæ Deo, aut
 sanctis eius offeruntur, & in templis honoris gratia sus-
 penduntur. Et iuxta hanc nudam vocis significationē,
 s̄p̄issime in sacris literis pr̄sertim in veteri testamēto
 reperitur. Nam (vt alia omittam) illud est manifestissi-
 mum, quod in libro Iosue de expugnatione ciuitatis Ie-
 richo legitur, vbi hæc habentur: Cumq; septimo circui-
 tu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnē Israēl: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus ciui-
 tam: sitq; ciuitas hæc anathema: & omnia quæ in ea
 sunt, Domino. Ciuitatem, & omnia, quæ in illa erāt, pr̄
 c̄epit esse anathema Domino: quia omnia, quæ in illa
Iosue. 6.
HH erant

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

erant, volebat Domino seruari, & illi in sacrificium offerri: ita ut ex illis nihil sibi ipsi aliquis seruare auderet. Cūm autem de spoliis ciuitatis tulisset ac sibi seruasset Acham filius Charmi, iratus est Dominus, & dixit filiis Israel: Anathema in medio tui Israel: non potest stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contumacius est scelere. Anathema vocavit hoc loco spolia, quæ sibi seruauerat Acham filius Charmi. quoniam illa ad hoc destinata erant, ut Deo dicarentur. Sicut autem nephias est contingere ea, quæ Deo sunt oblata, ita etiam nephias est conuersari cum his, qui ab Ecclesia per excōmunicationē sunt præcisi. Et ob hanc causam similitudine per contrarium ducta ī, qui excommunicatus est, vocatur anathema. Sic accepit Paulus, cūm in epistola Galat. i. ad Galatas ait: Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit, hoc est, excommunicatus, & a Deo separatus. Hæc omnia testimonio Beati Chrysostomi cōprobantur, qui homilia sextadecima super epistolam ad Romanos ita inquit: Quemadmodū anathema, donumq; id, quod deo oblatum dedicatur, nemo est, qui temere manibus contingere audeat, neque ad id proprius accedere: sic & eum, qui ab ecclesia separatur, ab omnibus abscondens, & tanquam longissime abducens, hoc nomine à contrario scilicet appellat, magno cū terrorē omnibus interminatus, ab eo, ut separentur, ac perdem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat: ab eo autē, qui ab Ecclesia absconditus erat, ex opposito omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidē tum hæc, tum illa: ex æquo a vulgo alienatio erat. Separationis vero modus non unus, sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant, tanq; Deo dicato: ab hoc autem decedebant, tanquam a Deo alienato, & ab Ecclesia abscondito. Hactenus Chrysostom. Et eadem post illum dicit Theophylactus, interpretans illud Pauli ex Epistola ad Romanos: Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis. Et hoc idem assertit quinta synodus, cuius testimonium citatur a Gratiano in cap. Certum. 24. q. 3. in quo hæc habentur verbis: Nihil enim aliud significat anathema, nisi a Deo separationem. Quod intelligendum est, secundum illam significacionem.

Rom. 9.

icationem, secundum quā anathema applicatur excommunicationi, & de illa sola loquebatur quinta synodus, ut patet ex literae circumstantiis, quae semper solent verū & gerinanum literę sensum aperiunt. Alias quidem iuxta plenariam illius vocis significationē, multò plura significat quam separationem à Deo, prout aperte constat ex testimoniorum sacræ scripturæ & sanctorum virorum, quae sunt praecitauimus. Iuxta hunc modum accipitur anathema, quoties in conciliorum definitionibus aut Pontificum decretis dicitur. Si quis hoc, aut illud dixerit, aut fecerit, anathema sit: hoc est maledictus, & ab Ecclesiæ consilio alienus. Nam anathematis vox, ut per similitudinem ad excommunicationem applicatur, non solam minorem excommunicationē exprimit, sed maiorem, per quam excommunicatus ab Ecclesia absconditur atque separatur. Sic enim docetur expresse in cap. Engertrudā, q. 4. Ab hoc nomine, anathema, deriuatur verbum anathematizo, quod significat maledicere, detestari, deuouere. In cuius rei testimonio (ut prophanos omittam autores) solum B. Augustinū profero, qui in quæstiōnib[us] super librum Numerorum quæstione quadragesimaprīma hæc ait: Hinc dictum est anathema quod detestabile aliquid, & abominabile videatur. Ut enim nihil inde vixit in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgo dicitur denotare. Origo autem huius verbū est in Græca lingua, ab his rebus, quæ votæ & persolutæ, hoc est, promissæ & redditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπό τῆς ἀνω τίθεσθαι: hoc est, sursum ponere, vel singendo vel suspectidendo. Hæc Augustinus. Anathema ergo iuxta Augustinū, est idem quod abominabile & detestabile. Anathematizare autem vel (ut ille ait) anathemare, est abominari, maledicere, detestari. Et iuxta hanc significationem capitur hæc vox, anathema, apud Marcum Euangeliastam loco superius citato, quum dixit, quod Petrus cœpit anathematizare & iurare, quia non noui hominem istum. Iuravit enim tunc Petrus iuramento per execrationem, quod (ut Augustinus super psalmo septimo docet) est omnium grauissimum iuramentum. Iurans Petrus maledicebat sibi ipsi, & maledictiones imprecabat

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tur, ut maior suo iuramento adhiberetur fides: ac si dixes-
isset: Maledictus ego sum à Deo, & talia aut talia addat
mihi Deus, hæc, aut illa super me veniat, si noui hominē
istū. Hoc certe est iurare & anathematizare. Et hoc aut
aliquid aliud simile credendum est Petrum negantem
dixisse, propter quod dictus est anathematizare & iura-
re. Nam iurans nō alium, sed seipsum anathematizauit.
Ex quibus omnibus iam apertissime constat, aliquā esse
differentiam inter anathematizare, & excōmunicare,
eam scilicet quæ est inter maledicere aut detestari, & ex-
cōmunicare. Habent enim illa duo talem ordinē inter
seipſa, q̄ nec semper ab inuicem separātur, nec semper se
necessario consequuntur, vt eidē semper cōueniāt. Nam
quāuis idem posſit excōmunicari & anathematizari, nō
tamen consequens est vt omnis quē anathematizamus
aut maledicimus, sit eo ipso excōmunicatus, neq; econ-
trario consequens est, vt omnis excōmunicatus, sit eo ip-
so anathematizatus, aut maledictus. Et propter hāc cau-
ſam Ecclesia postquā aliquem publice & nominatim ex-
communicauit, anathematizare consueuit. Tunc ana-
thematizat, quando maledictionis verba & imprecatio-
nes quasdā contra excōmunicatum profert, vtputa di-
cendo psalmū. 108. maledictionibus plenū, qui in aliqui-
bus ecclesiis tunc legi solet. In aliis ecclesiis quasdā cere-
moniē horroris plenæ, post datā excōmunicationē, fieri
solēt. Candelę accēſe, aqua desuper infusa, corā populo
à sacerdote extingūtur, qui tūc hēc dicit verba: Sicut hēc
cādela extinguitur in hāc aqua, ita aīa hūius excōmīcati
pereat in inferno. Deinde in signū tristitiae pro anima sic
pereunte, signū crucis eleuatū velamine nigro tegitur.
Cūm hāc aut alia similia Ecclesia contra excōmunicata
cum facit, tunc illum anathematizat. Et hoc aut aliud
simile quidquā fieri præcipit Pontifex cum clero incor-
rigibili, quem in cap. Cum ab homine, extra de iudiciis
supra citato postquam excōmunicatus fuerit, præcipit si
emendari noluerit anathematis mucrone feriri. Ex quib-
us omnibus apertissime constat, in conciliorū aut Ponti-
fīcum decretis nō fruſtra & sine causa post verbum ex-
communicationis, additum esse verbum anathematis.
Nam post excōmunicationem ad maiorem horrorem

& metum aliis incutiendum, placuit superaddere male-
dictionem, quæ anathematis nomine significatur. Vnde
patet misere errasse Siluestru de Prierio, qui in sua sum-
ma, titulo excōmunicatio primo, questione vltima, dicit
idem prorsus esse anathema, & maiorem excōmunicati-
onem, & idem anathematizare & excōmunicare maiorē
excōmunicatione. Ad cuius sententiæ persuasionē pro-
fert illud cap. Engertrudā. 3. q. 4. Sed revera (vt ingenue
loquar) ille non intellexit textum: quoniam si bene in-
tellexisset, nouisset optime nihil prorsus illius fuisse
sententia. Nam textus ille dicit φ anathema maiorē ex-
plicat excommunicationem: quod intelligendum est,
quando iuxta illam significationem capit, iuxta quā
applicatur excōmunicationi. Nunquam tamen textus
ille dicit φ anathema non significet aliud quam excom-
municationē, aut φ anathematizare nō significet aliud,
quam excōmunicare. Deinde, id quod textus ille ait, an
anathema significare excōmunicationem maiorem, sic intel-
ligendum est, φ maledictio quæ anathematis voce signi-
ficatur, non datur nisi maiore excommunicatione præce-
dente. Itaque anathema maiorem significat excom-
municationem, quia cum anathema dicitur, datur intel-
ligi maiorem iam præcessisse excōmunicationem, post
quam solam dici solet anathema, id est, maledictio.
Omitto quā bellam illius vocis anathema, Silvester red-
dat etymologiam. Non quidem miror φ hæc ille igno-
raverit, sed miror valde φ tanta cū autoritate docere nō
sit veritus quæ prorsus ignorabat. Et certe ista aduersus
illum non dixissem, si ille cum aliis fuisset vel patū mo-
destus. Nam Angelum de Clauasio auctorē summæ An-
gelicæ, virum quidem, præter doctrinam quam habuit
non modicam, multis miraculis clarissimum, sæpe iniu-
riose tractat, cum tamen multa frequenter nec uno mu-
tato verbo, ab illo furatus sit: prout facile poterit illius
tam multa furtæ deprehendere, quisquis illius summam
cum Angelica summa conferre voluerit, quāvis ille ad
hoc laborasse videtur, vt furtæ occultaret, quia quæ Ans-
gelus sub vna dictione posuerat, ille in aliā dictionem
trasferre curavit, ne forte qui vtramq; summā in eadē
materia legeret, furtum deprehendere posset. Fieri igitur

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

opoituit cū Siluestro, vt cū ille toties male loquutus fues-
ne, male etiam aliquando' audiret. Faremur itaq; defun-
ctos non solū hæreticos sed etiā Catholicos posse à viuen-
tibus ana hematizari, nec tamen excōmunicari. Nam sic
per numero videmus, vt filii viuētes parentibus suis defun-
ctis maledicant, & illos detestantur, & abominantur, ma-
le illis imp̄cates, quia fortè parentes dum viuerent, fue-
runt suarum rerum prodigi, aut quia male cum illis hære-
ditatē diuiserunt, aut propter alia similem causam. Quo
sic euéniente, filii parētes suos defunctos anathematizāt,
non tamen perinde eos excōmunicant, quia nō om̄nes id
facere possunt, cūm excōmunicare sit actus potestatis &
iurisdictionis, quā non om̄nes habere, apertissime cōstat.
Ecclesia tamē non consuevit anathematizare, hoc est, ma-
ledicere, nisi illū qui prius excōmunicatus fuisset. Quam-
uis igitur anathematis voce (vt diximus) ecclesia aliquan-
do vtatur pro excommunicatione, nō tamen hoc semper
facit. Concilium ergo Constantiense anathematizauit
Ioanneim Vuiclef defunctū: quinta synodus plurimos hæ-
reticas iam mortuos anathematizauit: sexta synodus
anathematizauit alios multos hæreticos, hoc est, maledi-
xit illis, & imprecatiōnes in illos dixit, nō tamen illos ex-
communicauit. Neq; vñquā Concilium in suis definitio-
nibus, aut Pontifex in suis decretis, vñs est verbo excom-
municationis cōtra illos hæreticos, sed solo verbo anathe-
matis. Intelligebāt siquidem optime tā concilia quā Sum-
mi Pontifices, se iam super illos potestatē aut iurisdictione
nem non habere, & sciabant non paruū esse discriminū in-
ter anathema & excōmunicationem. Illud etiā quod ex
concilio Africano citatur in cap. Si quis Episcopus, extra
de hæreticis ad eundem modum est interpretādum, ita vt
ibi anathema capiatur pro maledictione non pro excom-
municatione. Nam si pro excōmunicatione ponetur, dī-
xisset, sit anathema, hoc est, sit excommunicatus, & non
dixisset, dicatur illi anathema. Quoniam tale genus lo-
quutionis inusitatum est in ecclesia, vt pro eo quod est
excōmunicare, ponatur, dicere alicui excommunicatio-
nem. Iubet igitur concilium, vt Episcopo qui hæredes
instituerit hæreticos aut paganos, dicatur anathema, hoc
est, maledicatur ab omnibus, om̄nes illi imprecentur, om-
nesque

nesque illum maledictum appellant. Esto etiam illic ana-
theuma pro excommunicatione ponatur, nihil tamen no-
stræ obviabit sententia: quoniam (ut ex ipso verborum
contextu conuincitur) sententia illa quæ illic contra ta-
lem Episcopum profertur, est solum declaratoria pœnae
iam olim illatae, & non executio nouæ excommunicatio-
nis. Si dixisset concilium, sit anathema, videretur sensisse
tunc primum post mortem, excommunicationem esse infes-
tendam, quia præcipiens esse anathema aperte innuere vi-
deretur, ante non fuisse anathema. Cum vero concilium
præcipiat ut dicatur anathema, satis clare ostenditur senten-
tiam esse declaratoriam. Quia quod ait, dicatur anathe-
ma, tatum valet, ac si dixisset, appelletur excōmunicatus,
vocetur maledictus. Et hunc esse verū literæ sensum, ver-
ba quæ sequuntur apertissime declarant. Nam postquam
dixerat concilium, dicatur ei anathema, statim subdidit:
atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo reci-
tetur. Erat quidem olim consuetudo ut catalogus habe-
retur in ecclesia omnium Episcoporum defunctorum, qui
illius fuerant pastores, & talis catalogus publice ante al-
tare legebatur coram populo, ut populus illos Domino
commendaret. Præcipit igitur concilium Africanum ut
Episcopus qui hæredes instituit hæreticos aut paganos,
non scribatur in catalogo Episcoporum, nec nomē illius
recitetur inter nomina aliorum Episcoporum. Hanc fuis-
se olim ecclesiæ consuetudinem, & hanc esse conciliij Afri-
cani sententiam, apertissime conuincitur per id quod
beatus Leo Papa ait in quadam epistola ad Anatholium
Constantinopolitanum Episcopum, quæ est, 38. in ordine
epistolarum suarum. In illa enim epistola idem beatus
Leo Papa respondet ad quasdam quæstiones à præfato
Anatholio propositas, & ad tertiam quæstionem respon-
dens, sic ait. De nominibus autem Dioscori, Iuuenalis
& Eustachij, ad sacrum altare non recitandis, dilectio-
nem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem con-
stituti, faciendum esse dixerint: quodque honorandæ
sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua
Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum ni-
mis est atque incongruum, eos qui innocentes & Catho-
licos sua persecutione vexarunt, sanctorum nominibus

Leo Papa
primus,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sine discretione misceri . Hæc Leo Papa huius nominis primus. Et alius etiam beatus Leo tertius huius nominis Papa, in epistola pro confirmatione sextæ synodi generalis ad Constantimum Imperatorem missa, quæ habetur in ultima actione eiusdem synodi , eandem ostendit consuetudinem, & textum illius capituli, si quis Episcopus, aperte declarat, cum ait. Anathematizamus præterea

Leo Papa tertius. (inquit Leo tertius) proinde atq; execramur omnes hæretices, omnesq; earum autores, atque fautores, qui aduersus Apostolicam & orthodoxam fidem diabolicis decepti fallaciis falsitatis errores in ecclesiam conati sunt introducere, id est Arrium, Sabellium, Macedonium. Et multis hæreticorum nominibus recensitis, tandem subdit. Quos sancta Catholica atque Apostolica ecclesia de catalogo fidelium patrum, utpote Zizania de area Dominicæ ecclesiæ gehennæ supplicio abdicanda per ventilabrum diuinæ discretionis abiecit. Hæc Leo tertius. Ex quibus duobus tam fidelissimis testibus aperte constat verus atq; germanus sensus illius capituli , si quis Episcopus , præcipitanq; concilium, vt ille talis Episcopus qui hæreticos aut paganos hæredes instituit, post mortem non appelletur Episcopus aut Dei sacerdos , sed dicatur anathema, hoc est, maledictus, detestabilis, abominabilis, & nomen eius in catalogo Episcoporum defunctorum nō recitetur. Secundo potest mihi aliquis obiicere, illud secundū cap. q; incipit, à nobis, extra de sententia excommunicationis, vbi Papa Innocentius definit, post mortem posse dari absolutionē defunctō in excommunicatione decedenti, & deinde dicit ecclesiā in certis casib; posse ligare mortuos & soluere. Hic textus in superficie sola inspectus, nostram vide tur prorsus destruere sententiam, sed bene cōsideratus & acutius examinatus pro nobis sententiam dicet, tantum abest vt vel ex longinquo nos oppugnare velit. Pro eius clariori intelligentia admoneo lectorem, vt confidet, quod excommunicatio quæ in vnam aliquam personam fertur, ad plures personas suos extendit effectus. Nam excommunicatio non solum pertingit ad excommunicationem, sed etiam ad alios: quoniā cūm ecclesia aliquem excommunicat, eo ipso alios obligat, ne pro illo publicas & solēnes apud Deum effundere preces, aut eleemosynas publicas

publicas dare, aut sacrificia offerre, aut denique commer-
cium ullum cum illis habere audeant. Ipsummet excom-
municatum non vno tantum verbere percutit, sed mul-
tis: quorum aliqua ad corpus, aliqua ad animam pertinet
Excommunicatus siquidem tanquam membrum putri-
dum, est a corpore ecclesiæ abscisus & procul separatus:
ob quam causam communes Ecclesiæ orationes, & alia
illius bona opera, quæ sibi inuicem communicat reliqua
membra viua & capiti coniuncta, nullo modo prosunt
excommunicato. Ext hoc est vulnus aut flagellum quod
animæ per excommunicationem infigitur. Et circa hoc
nihil prorsus potest ecclesia circa defunctum efficere, quo
niam anima quæ hoc flagello percuti debet, iam post se-
parationem a corpore, est omnino a iudicio ecclesiæ sepa-
rata. Præter hoc animæ flagellum, sunt alia quæ ad cor-
pus pertinent, videlicet priuatio ecclesiastica sepulturæ:
non posse legitimam & validam in iudicio sententiam
dicere, & alia multa a iure contra excommunicatos de-
creta. De his corporalibus pœnis non dubito quin ecclæ-
sia illas possit inferre defuncto, quoniam corpus defuncti,
& quæ illud contingere possunt, adhuc sunt ecclesiæ po-
testati subiecta. Potest igitur ecclesia propter aliquam iu-
stam causam, non solum hæreticum, sed etiam quemlibet
alium sceleratum hominem defunctum, ad hunc finem
excommunicare, vt corpus illius extra ecclesiam iactetur
tanquam ecclesiastica sepultura indignum. Potest etiam
iusta causa vrgente, alium in excommunicatione defun-
ctum ad hunc finem absoluere, vt ecclesiastica illi conce-
datur sepultura, qua ob excommunicationem priuatus
fuerat. Detinde, quia ecclesia (vt diximus) cum aliquem
excommunicat, alios ligat ne pro illo Deum publicè orare
valeant, aut alia quæ diximus pietatis opera pro illo fa-
cere. Quo factō quasi indirecte etiam illum lædit, dum
illum priuat suffragiis tam corporis quā animæ quæ illi
ab aliis prouenire possint. Et hoc ecclesiam facere posse
circa defunctū ego non dubito, quia licet defunctus ille
sit extra ecclesiæ iudicium constitutus, tamen alii viuen-
tes, ad quos tale dirigitur ecclesiæ mandatum, ecclesiæ po-
testati subduntur. Sed quia ex tali mandato nocumētum
quoddam infertur defuncto, ideo tñc ecclesia defunctū

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

excommunicare dicitur : cum tamen re vera non defunctus sed viuentes tali excommunicatione ligetur. Et isto modo etiam fatendum est ecclesiam posse absoluere ab excommunicatione defunctum, qui in illa decesserat. Quia absolutione si res bene aduertatur, non tam defunctus, quam alij viuentes absoluuntur. Viuentes siquidem ligati erant, ne pro illo, qui fuerat in excommunicatione defunctus, possent orare. At cōcesso postmodum absolutionis beneficio, absoluuntur viuentes, ut libere possint orare pro defuncto, & alia pietatis opera pro illo exercere.

Quia tamen talis libertas viuentibus concessa, in utilitate cedit defuncti, ipse defunctus dicitur absolui. Et iuxta hunc modum ego intelligendum censeo secundum cap. quod incipit, à nobis, extra de sententia excommunicationis, vbi Papa decernit ecclesiam posse soluere & ligare defunctos. Nam (vt ex ipsius literæ contextu appetissime constat) Papa ibidem de solo illo absolutionis beneficio loquitur, quod dat viuentibus libertatem ut possint impunè pro defuncto Deū orare, & alia pietatis opera pro illo exercere. Et hoc ipsum apertius declarauit, cū dixit, aliquē esse apud Deum qui non fallitur absolutum qui tamen apud ecclesiam est excommunicatus. Quomodo possit esse apud ecclesiam ligatus, qui apud Deum est absolutus, nisi quia ille ob hoc solum ligatus dicitur, quia alij ab ecclesia ligati sunt ne pro illo orare possint, & ob hoc dicitur ille ligatus quia in illius vertitur datum talis aliorum ligatio. Nam alias illum defunctum qui apud Deum absolutus est, & per consequens illi coniunctus, non potest ecclesia illum excommunicare, vt à Deo separet & absindat. Tam longam traxi de hac re disputationem, quia noui optime, esse summe necessaria ea omnia quae dixi, vt hunc errorem radicitus euellere possem, & loco illius firmam plantare veritatem.

A N E P I S C O P V S A V T Q V I V I S
alius sacerdos factus haereticus amittat illam
ecclesiasticam potestatem quae à Theologis
dicitur potestas ordinis. Cap. XXI.

D Vas esse ecclesiasticas potestates, vnam quae dicitur
potestas ordinis sive sacramentalis alteram quae dicitur
potestas iurisdictionis, vniuersa Theologorum
schola

Schola docet, & multa sanctorum Patrum testimonia confirmant. Potestatē ordinis, siue potestatē sacramenta lem, quod idem est, diffinit Sanctus Thomas secunda se cundæ. qu. 3. q. art. 3. sic inquiens. Sacramentalis potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur. Dicitur autem sacramentalis à fine ad quem ordinatur: quia omnis talis potestas ordinatur ad concessionē & ordinatio nem sacramentorum. Posset etiā dici sacramentalis talis potestas, quia semper donatur alicui per collationē alicuius sacramenti, præsertim iuxta illorū opinionem, qui putant Episcopatum esse aliū ordinem à sacerdotio distinctum. Nam qui contrariam ruēt sententiā, dicent Episcopum multas habere sacramentales potestates post consecrationem suam, quæ tamen non sunt illi per collationem alicuius sacramenti collatæ. Hęc potestas dicitur etiā potestas ordinis, quia nemo potest illam habere, nisi sit in aliquo certo gradu & ordine constitutus. Potestatem iurisdictionis dicit Sanctus Thomas esse illam quæ ex simplici iniunctione aut cōmissione hominis confertur, ut est potestas excōmunicandi aut absoluendi ab excommunicatione, potestas definendi in causis forensibus. Ioānes de Turre Cremata lib. 1. de summa ecclesiæ. ca. 26. dicit hanc iurisdictionis potestatem esse duplē iuxta duplex forum, videlicet conscientiæ & causarū. Potestas in foro conscientiæ est illa quam habet omnis pastor animalium, per quā potest absoluere subditos a peccatis. Potestas in foro exteriori est potestas per quā aliquis in negotiis & causis quæ versantur inter homines habet ius definendi, & sententiam etiam contra inuitum dicendi. Potestates ordinis variæ sunt, sicut etiā variū sunt ordines quibus competunt. Quædam enim potestates ordinis siue sacramentales solis Episcopis conueniunt, ut sunt: posse ordines conferre, confirmare, consecrare ecclesiias, aut alaria, aut calices, benedicere sacramentalia reliqua, ut sunt vestes sacerdotiales, quæ omnia solus Episcopus potest facere. Aliæ sunt potestates ordinis, quæ omnibus sacerdotibus conueniunt. Potestas siquidem consecrandi corpus Christi, & potestas absoluendi a peccatis, sunt potestates ordinis, quarum quilibet traditur sacerdoti, in cōsecratione illius, quando illum ordinat Episcopus.

Pote-

S. Thomas.

Potestatem consecrandi confert Episcopus quando tradi-
 dito calice dicit. Accipe potestatem offerendi sacrificium
 Deo, missisq; celebrandi tam pro viuis quam pro defun-
 etis in nomine Domini. Potestatem absoluendi tradit
 Episcopus his verbis. Accipe Spiritum sanctum, quorum
 remiseris peccata remittuntur eis: quorum retinueris re-
 tenta sunt. Sed quia per hanc potestatem absoluendi, sa-
 cerdos non potest operari, nisi aliquā habeat iurisdictionem, ideo iuxta beati Thomę sententiam necessario con-
 sequens est, ut duæ simul potestates ordinis & iurisdictionis in peccatoris absolutione concurrant, quarum si ali:
 qua desit, nihil prorsus effici valet. Alij tamen has duas
 ecclesiasticas potestates aliter diuidunt, aliterq; diffiniunt.
 Nam Alfonius Abulensis in illo lib. quē appellavit defen-
 sorium, part. 2, cap. 62, distinguit has duas potestates, non
 per hoc, quod vna conferatur per consecrationem, & alia
 sine consecratione: neq; per hoc, quod vna donetur à Deo
 immediate, alia ab homine: sed per diuersitatem rerum,
 circa quas exercetur, quē sunt duæ, videlicet corpus Chri-
 sti verum, & corpus Christi mysticum. Potestatem ordi-
 nis dicit esse illam, quē est supra corpus Christum verum
 directe, aut indirecte. Ordinem sacerdotalem dicit direc-
 tè respicere corpus Christi verum: quia primū, ad quod
 dirigitur talis ordo, est Eucharistiae consecratio. Ordo dia-
 conatus, & subdiaconatus, & ceteri ordines minores etiā
 ordinantur ad Eucharistiam: quia omnes in aliqua re sub-
 minisstant, vel deseruiunt sacerdoti confidenti, ut mani-
 festum esse potest cuilibet consideranti singulorum ordinis
 actus, quos describit Isidorus, ut habetur in cap. cle-
 ros, & clericos. dist. 21. Quæ potestas à Christo concedi-
 tur sacerdoti per mynisterium Episcopi ordinantis. Pote-
 stas iurisdictionis secundū Abulensis sententiam respicit
 corpus Christi mysticum, quod iuxta Pauli doctrinā, est
 Catholica fidelium ecclesia. Et hanc potestatē Abulensis
 etiam duplē esse docet, alterā in foro contentioso, al-
 teram in foro conscientiæ, prout nūc proximè ex senten-
 tia Ioannis de Turre Cremata, eas diuisimus, atq; diffini-
 uimus. Hoc tamen est inter illos discriminis, quod Ioan-
 nes de Turre Cremata dicit potestatē iurisdictionis in
 foro conscientiæ non conferri sacerdoti per virtutem or-
 dinis

dinationis, quando ille ordinatur ab Episcopo : sed conserni postea ab homine, quando Papa, aut Episcopus dat illi curam animarum. Ex quo ille deducit simplices sacerdotes, qui nullam prorsus curam animarum tenet, non habere ullam iurisdictionis potestatem. Contraria huic sententiam tuetur Abulensis, qui docet potestatem iurisdictionis in foro conscientiae conferri cuilibet sacerdoti in ordinatione sua, quod ordinatus fuit ab Episcopo. Tunc enim dicit, quod ex conditione ordinis, & institutione Christi, competit cuilibet sacerdoti potestas iurisdictionis in foro conscientiae super omnes fideles totius orbis : ecclesia tamē ob iustam causam, ad tollendū schismata, & confusiones, quae inde oriri poterat, arctauit iurisdictionē istam, distinguendo subditos. Quapropter de simplici sacerdote, qui nullam habet animarum curam, dicit illū habere potestatem iurisdictionis super omnes fideles : esse tamē per ecclesiam talem potestatem, non quidē ablatā : sed ligaram. Quando igitur ordinator, vel ecclesia, aut quicunq; Praelatus, dat alicui ordinato iurisdictionē in foro conscientiae, aut in foro contentioso, dicit nihil tunc nouū illi concedi : sed tantū remouere ecclesiam impedimentū, aut tollere ligaturam, qua potestatē illius ligauerat. Sed re vera ego hanc Abulensis sententiā nequaquam probare possum : immo alii quibus virginissimis rationibus cogor ab illa discedere. Prima est : quia potestas iurisdictionis est quoddam correlatiuum nomine, quod nō ad se solū : sed ad alterū respicit, ad illos, videlicet, super quos est talis potestas. Sunt ergo correlativa ista duo, potestas iurisdictionis, & subditus, nec superior, & inferior. At correlatiuorū natura, iuxta Aristotele doctrinā, talis est, ut altero ex illis deficiēte, alterum necessario intereat. Ut, gratia exēpli, mortuo filio necessarium est, ut qui illius ante pater erat, iam nūc pater nō sit, quia non est ad quē iam possit referri. Ex quo apertissime conuincitur, ut simplex sacerdos, qui nullam habet animarum curā, nullam etiā habeat potestatem iurisdictionis : quia non habet subditū aliquem, in quem illam exercere possit. Secunda ratio est, quod ista potestas absoluendi a peccatis, nō cōfertur sacerdoti ab homine, sed a Deo principaliter, quanvis in tali collatione potestatis Episcopus sit Dei minister, per cuius manus Deus tradit illam potestatem.

statem sacerdoti. Et hoc ipsum sater Abulensis in ca. 43.
 Ex quo aperte sequitur ecclesiam nō posse tollere à sacer-
 dote hanc potestatem iurisdictionis in foro conscientiæ,
 nec arcta e, nec minuere, nec ligare. Quia quod à supe-
 riore concessum est, inferior nō potest tollere, aut minue-
 re. Ex quo ultra sequeretur simplicem sacerdoti è verè pos-
 se absoluere quemlibet. Qui licet peccaret absoluendo:
 alius tamē verè absolutus maneret. Hoc autem fateri, est
 contra omnī Theologorum doctrinā. Quod autem inde
 sequatur, probatur manifeste ex illius doctrina. Quia
 in cap. 62. simili arguento probat ecclesiā non posse tol-
 lere à sacerdote potestatem conficiendi Eucharistiā: quia
 videlicet talis potestas non est data sacerdoti ab ecclesia:
 sed à Deo, qui maior est ecclesia. At beatus Thomas, &
 qui illius sententiam sequuntur, facile ab his conuenien-
 tibus liberantur. Nam simplex sacerdos, qui curam ani-
 marum non habet, & si habeat potestatem illā absoluendi,
 quæ iuxta illorū sententiam, dicitur potestas ordinis;
 non tamen habet potestatem iurisdictionis, atq; ideo ne
 minem absoluere valet. Tertia ratio, quæ me nimium ur-
 get, est quia si cuilibet sacerdoti (vt Abulensis ait) ex in-
 stitutione Christi cōpetit potestas iurisdictionis in foro
 conscientiæ, & potestas iurisdictionis in foro contentio-
 so super omnes fideles totius orbis, sequuntur inde duo
 maxima, & prorsus intolerabilia inconvenientia. Primū
 est, quod ex institutione diuina omnes sacerdotes erūt pa-
 res in potestate iurisdictionis. & ita Papa nō esset cæteris
 omnibus ex iure diuino sed solū iure humano, superior.
 Hæc autē sententia tanquā erronea, & hæretica est multo
 sum conciliorū autoritate dānata. Alterum & nō minus
 inconveniens est: quia si ita res se haberet, cōinceretur in-
 de apertissimè Christū male, atq; pessimè ordinasse repu-
 Christianam, cūm in illa tot iudices, ex æquo potentes re-
 liquisset, quorū quilibet æquam super omnes fideles potes-
 tam habet. Nam tanta iudicij sine ullo ordine multi-
 tudo plus posset (vt re ipsa manifestissimum est), ecclesiæ
 obesse, quā prodesse. Hoc autem fateri esset hæretis mani-
 festa; quia scriptura sacra adeo ecclesiæ ordinē commen-
 dat, vt propter illius ordinem eximiū, dicat illā esse hosti-
 bus formidabile. Terribilis (inquit de ilal) vt castrorum

ecies ordinata. Quarta ratio est. Omnis potestas, quæ datur sacerdoti in sua ordinatione, est character sacerdotalis, aut illi characteri sic necessario cōnexa, vt separari ab illo non posse: sed character sacerdotalis nō est potestas iurisdictionis: sed potestas ordinis: ergo sacerdoti in sua ordinatione non confertur illa potestas iurisdictionis: sed solū potestas ordinis. Maiorem, & consequentiā non dōportet probare: quoniam notā sunt, minorem tamen ex qua tota argumentationis vis pendet, sic probo. Potestas iurisdictionis est limitabilis, quæ potest augeri, & minui, & prorsus tolli. Character autem nihil horū habere potest: vt manifestum est ex ipsa ratione characteris: ergo character nō est potestas iurisdictionis. Quinta ratio cōtra Abulensem est ista. Omnis potestas, quæ per aliquam ordinationem sacramentalem cōfertur est potestas ordinis: sed potestas absoluendi data sacerdoti in sua ordinatione est huiusmodi: ergo illa est potestas ordinis & non iurisdictionis. Consequentia, & minor sunt per se notā, maior autem probatur: quia nō ob aliud dicitur potestas ordinis: nisi quia per ordinis collationem confertur. Præterea, talis potestas absoluendi à peccatis, quæ traditur sacerdoti in sua consecratione, ordinatur ad sacramēti administrationem: ergo potius dicenda est potestas sacramentalis, quam potestas iurisdictionis. Ultima ratio, quæ (mea quidem sententia) vehementer Abulensem cōstrin git, est, quod omniū Theologorum consensu receptū est, ad absolutionem sacramentalem faciendā requiri potestatē ordinis ita quod sola potestas iurisdictionis sine potestate ordinis non sufficeret ad hoc, vt quis posset aliū à peccatis absoluere: sicut manifestum est in illo, qui habet curam animarum, & non est sacerdos. Ille enim, & si habeat potestatē iurisdictionis, quia tamen caret potestate ordinis, neminem absoluere potest. Nulla autem alia potestas ordinis requiritur: nisi potestas absoluendi: ergo illa non est dicenda potestas iurisdictionis: sed potestas ordinis. Et (ut hominem fortius constringamur) statuamus id evenisse, quod facilimē evenire potest, vt videlicet Episcopus ordinans in sacerdotem talem curam, aut Episcopum, postquam illi dedit potestatē supra corpus Christi verum statim moriatur, antequam tradat

idem

xidem sacerdoti potestatem super corpus Christi mysticū. In hoc eventu, nullus sanæ mentis dicet talem sacerdotem posse à peccatis absoluere. Quid igitur deest? Nō quidem potestas iurisdictionis: quia illam habet ratione curę sibi cominissę; deest ergo potestas ordinis: sed non deest potestas ordinis supra corpus Christi verum: quia illa iam data fuit ab Episcopo, antequam ille interiret. Ergo deest potestas ordinis supra corpus Christi mysticum, quæ non est alia nisi potestas absoluendi à peccatis. Ex quo apertissimè colligitur talem potestatem non esse potestatē iurisdictionis: sed ordinis: & inde per consequēs sequitur non omnem potestatem, quæ est supra corpus Christi mysticum, esse censendam potestatem iurisdictionis. Propter has rationes, quæ mihi urgentissimè videntur, censeo has duas ecclesiæ potestates, ordinis videlicet, & iurisdictionis, non esse eo modo distinguendas, neque diffiniendas, sicut Alfonsum Abulensem illas distinxisse diximus. Beatum igitur Thomā in hac parte imitatus, dico has duas potestates distinguiri per hoc, quod potestas ordinis, siue (ut sanctus Tho. ait) sacramentalis conferrut per collationem alicuius ordinis ecclesiastici, siue illa sit supra corpus Christi verū, siue supra corpus mysticum. Potestas iurisdictionis est illa, quæ supra alios datur per iniunctionem, aut cōmissionem alicuius hominis. De his igitur potestatibus disserere oportet, at qui illas habet: si fiat hæreticus, statim eas amittat. In hoc ca. de sola potestate ordinis disseremus: & proximo ca. de potestate iurisdictionis inquiremus. Potestates ordinis, iuxta ordinum varietatem, varias esse diximus: quarum aliquæ omnibus competunt sacerdotibus, aliquæ solis Episcopis conueniunt. Primo igitur de potestate sacerdotali, mox vero de Episcopali ordinis potestate disputabimus. De sacerdotali ordinis potestate Petrus Lombardus, qui magister sententiarum dicitur, lib. 4. dist. 1. docet illam potestatem, quæ est supra corpus Christi verum, non manere (in eo, qui factus est hæreticus, neque in eo, qui est excommunicatus). Et, ut illius mentem quisque facilius agnoscat, verba illius citabo, quæ loco præfato de hac re ait. Illi vero (inquit ille) qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentū posse

con-

confiscere licet sacerdotes sint: quia nemo dicit in ipsa cō: secratione, offero, sed, offerimus, quasi ex persona ecclesie. Et ideo cūm alia sacramenta extra ecclesiam possint cele brari, de hoc non videtur. Hæc Magister sententiarum. Idem etiam mihi videtur sensisse Gratianus. Nam. 24. qu. prima secunda parte quæstionis, quæ post ca. Audiuimus. incipit ibi: Si autem ex corde suo nouam hæresim &c.

Hæc verba dicit Gratianus. Quicunq; ergo ab vnitate ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur: fuerit alienus, ex ecrare potest, consecrare non valet: excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet. Hæc ille. Cuius errorem Glossa ibi aperte agnoscens, illum corrigere decreuit. Nam in verbo illo, non valet. Hæc ait Glossa. Conficit tamen etiā extra ecclesiam, si formam obseruet: quia hoc ordinis est, quem retinet recedens ab vnitate ecclæsiæ. i. quæst. i. quod quidam. Sed non potest excōmunicare: quia hoc iurisdictionis est quam amittit, qui recedit vt. i. qu. i. remissionem. Hæc in Glossa. Sed idem Glossator in cap. Accedens. dist. 50. de sacerdote degradato, sentit oppositum dicens, quod non credit illum conficeret: quia (vt ait) perdit omnem potestatem. Et certè miror, quod viri tam docti, & tam boni in tam manifestum in ciderint errorem. Falsitas huius doctrinæ inde apertissime conuincitur, quod potestas consecrandi nō est aliud nisi character sacerdotalis, qui imprimitur sacerdoti à Deo. quum illum ordinat Episcopus. & dicit: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo: Missasque celebrandæ tam pro viuis, quām pro defunctis, &c. Quibus verbis finitis, Deus in anima sacerdotis imprimit characterem, & sacerdos per illum characterem accipit à Deo potestatem consecrandi Eucharistiam. Quo fit, vt tandem dureat in sacerdote potestas conficiendi Eucharistiam, quandiu durauerit in eo sacerdotalis character. At talis character cūm à solo Deo imprimatur, solus Deus illum ab animæ delere potest. Consequens igitur est, vt etiam potestas consecrandi, non posset per quodvis crimen quantumlibet graue, tolli à sacerdote, etiam si ille sit degradatus. Nam per talem degradationem, licet ecclesia auferat à sacerdote ordinis executionem, ita vt non posset sine peccato Eucharistiam confiscere, non tamen ab illo aufert,

nec auferre potest ordinis potestatem, ut etiam attentans confidere non possit. Præterea ecclesia non dat sacerdoti potestatem consecrandi, sed solus Deus. Quoniam potestas illa cum sit tam magna, & tam excellens, ut omnium angelorum nedium hominum potestatem exuperet, non potest nisi a Deo cōserri, quanvis ad illius ordinis collationem Episcopus se habeat, ut minister, aliqua circa sacerdotem exercens, sine quibus Deus nunquam talem sacerdoti concedit potestatem. Necessarium igitur est, ut ecclesia non possit auferre a sacerdote potestatem consecrandi, quam constat solum Deum illi dedisse. Inferior siquidem non potest superioris donationem reuocare, aut irritum facere, quidquid superior fecerit. Rursum, si doctrina Magistri sententiarum vera esset, sequeretur inde sacerdotem, qui ab heresi, in quam lapsus fuerat resipiscit esse iterum ordinandum, ut corpus Christi in Eucharistia confidere posit. Hoc autem fateri esset nimis erro- neum, & contra vniuersalis ecclesiæ definitionem. Nam concilium Florentinum, tradens Armenis certissimam fidei regulam, quam tenere deberent, de sacramentis ecclie differens, haec ait: Inter haec sacramenta tria sunt baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctum, imprimunt in anima indeleibile. Vnde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Haec concilium Florentinum. In quibus verbis duo maximè aduertere oportet. Quæ duo proximè adducta argumenta fortissimè cōfirmant. Primum est, quod ait: Characterem esse indeleibilem, & hoc deseruit superiori arguento. Alterum est, quum ait: Sacramentum ordinis esse connumerandum inter illa sacramenta, quæ reiterationem non admittunt. Dicimus ergo iuxta totius Catholicæ ecclesiæ sententiam, sacerdotem omnem recte ordinatum, etiam si hæreticus fiat, & digradatus sit, posse Eucharistiam confidere, quanvis hoc faciendo peccet. Vnde Augustinus

August. lib. 2. contra Parmenianum ait: Illi qui intra ecclesiam constituti, receperunt potestatem cōsecrandi Eucharistiā in ordinatione sacerdotis, recte quidem habent potesta- tem; sed non recte ea utuntur, si postmodum per heresim, auf

aut schisma, vel excommunicationem ab ecclesia separantur. Hæc Augustinus. Fortè contra ista, quis nobis obicit illud cap. Degradatio quod habetur in titulo; de patris libro sexto. In illo enim cap. decernitur, ut Episcopus sacerdotem degradans, vratur hac forma. Autoritate dei omnipotentis Patris, ac Filii, & Spiritus sancti, ac nostra, tribi auferimus habitum clericalem & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuiimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali. Ex quibus verbis videtur colligi, degradatum nullam habere ordinis potestatem, & per consequens priuarum esse charactere sacerdotali. Alioqui forma degradationis falsitatem continet, cum dicat: Exuiimus te omni ordine. Et Glossa in illo cap. dicit inde sumi argumentum contra eos, qui dicunt degradatum posse confidere. Sed re vera Glosator ille decepsus est, nec vim illorum verborum plenè intellexit. Nam per illa verba intelligit Papa degradatum esse priuatum, & spoliatum executione ordinis, non autem potestate ordinis. Quoniam hac priuari non posset, cum sit character indelebilis. Et huic nostræ expositioni fauet Cardinalis, qui in cap. Accedens dist. 50. dicit, quod ubiunque in iure habetur, quod depositus, seu degradatus amittit, vel non habet ordinem, intelligendum est de executione, & priuilegio ordinis. Eandem sententiam docet dominus Adrianus Papa in. 4. sentent. in questione de confirmatione, art. 1. Et sic est necessario dicendum, ne dicamus Papæ definiendo errasse. De potestate autem absoluendi à peccatis, non potest certa aliqua sine distinctione dari sententia; sed iuxta varietatem potestatis, varia etiam dabitur definitio. Nam (ut in principio huius capituli diximus) duplex est potestas absoluendi à peccatis. Una dicitur potestas ordinis, & hæc est character sacerdotalis, siue alius à priori, siue ille idem maior effectus, parum refert ad presentem disputationem. Et hæc potestas traditur à Deo sacerdoti. quando Episcopus consecrâns illum, dicit: Accipe spiritum sanctum, quotum remiseris peccata, remittuntur eis, quorum retinueris retentæ sunt. Altera est potestas absoluendi à peccatis, quæ dicitur potestas iurisdictionis in foro conscientiæ. Hæc non traditur in consecratione sacerdotis: sed postea quando

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

illi datur cura animarum, neque traditur à Deo immediatè: sed ab homine, qui illi committit animarum curam. Harum duarum nulla sine altera potest (vt ante diximus) exercere actum absolutionis peccatorum: sed ambae sunt necessario requisitæ. Nam facerdos, qui nullam habet animarum curam, neque ordinariam, neque legatum (extremæ necessitatis casu excepto) neminem absoluere potest. Econtrario qui curam animarum habet, & facerdos non est, neminem etiam absoluere potest. Sacerdos igitur, qui hæreticus effectus est: potestatem iurisdictionis amittere potest: quoniā, cùm illam (vt diximus) ab homine accipiat, etiam homo, qui dedit, aut alius superior illam tollere poterit. At potestatem absoluendi, quæ dicitur ordinis, aut sacramentalis, sicut non dedit sacerdoti homo, ita nec potest ab illo tollere aliquis homo. Est enim hæc potestas etiam indelebilis ab anima, quemadmodum potestas cōficiendi Eucharistiam: quia vtraque illarum nihil aliud esse censetur, quam character sacerdotalis à Deo in anima sacerdotis impressus. Ex quo aperi-
tissimè colligitur sacerdotem hæreticum: si curam animarum, quā ante habebat, ecclesia illi non subtraheret, posse subditos suos à peccatis eorum absoluere: quia ad id faciendum, vtrquam retineret potestatem ordinis, & iurisdictionis. Nunc autem quia ecclesia hæreticos omni beneficio priuat: ideo licet illi habeant potestatem ordinis, postquam tamen sunt priuati, absoluere non possunt: quia carent potestate iurisdictionis. Tota igitur hæc nostra disputatio duabus certissimis regulis potest comprehendendi. Prima regula. Sacerdos hæreticus effectus non amittit, neque amittere potest ullam ordinis potestatem: quia illa est indelebilis, & à solo Deo datur. Secunda regula. Sacerdos hæreticus effectus amittere potest iurisdictionis potestatem: quia illam non accepit in consecratione: sed postea ex hominis commissione. Et quia istarum duarum potestatum differentiam, non bene considerarunt Magister sententiarum, & Gratianus, decepti sunt putantes idem profsus de vtraque illarum esse dicendum, quod tamen nō ita dicendum esse facillimè agnoscerent: si bene considerassent, latum esse inter illas duas potestates discrimen, variasq; esse illarum duarum potestatum

statum conditiones. Sed opus est iam, ut videamus quid Magister sententiarum pro suæ sententiæ confirmatione afferat. Non enim gratis, & sine vlla ratione, quanvis falsaci: id tantus vir vnquam dixisse putandus est. Sacerdos consecrans (inquit ille) in persona ecclesiæ hoc agit, & non sua: quia cùm hostiam offert non dicit, offero: sed dicit, offerimus. At qui extra ecclesiam est, non potest aliquid nomine ecclesiæ facere. Hæreticus igitur, aut excommunicatus cùm sit ab ecclesia separatus non poterit nomine ecclesiæ consecrare. Hæc ratio certè debilissima est, & quam facillimè quiuis homo vel mediocriter doctus, nedium magister sententiarum reiicere posset: si bene considerasset latam esse differentiam inter consecrationem Eucharistiæ, & orationes, quæ illam in canone missæ precedunt, aut sequuntur. Orationes illas sacerdos dicit in nomine ecclesiæ, in cuius unitate consistit, tanquam mem brum illius. In consecratione autem, quando conficit Euc haristiam, non in persona ecclesiæ: sed in persona Christi loquitur: Cuius vicem gerit per ordinis potestatem. Quod autem in persona Christi loquatur, ipse verborum contextus, qui proximè verba consecrationis præcedit, apertissimè ostendit. Nam sacerdos iam consecrare paratus, de Christo salvatore nostro loquens hæc, quæ sequuntur, ait: Qui pridie quam pateretur accipiens panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in celum ad te Deum patrem omnipotentem tibi gratias ages, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & comedite ex eo omnes. Hoc est enim corpus meum. Ex quo verborum contextu apertissimè constat, sacerdotem in sola Christi persona verba consecrationis proferre, & non in persona propria. Sacerdos igitur excommunicatus, aut hæreticus, aut alias quo modolibet ab ecclesiæ unitate præcisus, si Missam celebret: quia potestatem ordinis indeleibilem tenet, verè conficit corpus, & sanguinem Domini: quia tamen est ab ecclesiæ unitate separatus, orationes eius, quas nomine ecclesiæ offert, nullam prorsus habent virtutem, nullumque meritum, ita ut nec ipsi hæretico, nec illis, pro quibus dicuntur, proficere possint.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

AN EPISCOPVS FACTVS HÆ-
reticus, eo ipso amittat potestatem
ordinis Episcopalis.

Cap. XXII.

Diximus in præcedenti capite varias esse ordinis po-
testates, quarum aliquæ omnibus competunt sacer-
dotibus; & de istis tunc differuimus, an propter hæresim
mitterentur. Aliæ solis Episcopis conueniunt, & de istis
nunc inquirendum est, an Episcopus effectus hæreticus,
eo ipso oinnes illas amittat, vel amittere possit. Ut autem
huius quæstionis difficultatem plenè absoluamus. Opus
est primo aliam quæstionem discutere, ex qua (vt opinor)
tota huius quæstionis difficultas pendet. Quærendum
igitur est: an Papa, aut generale cōcilium possit ab Epis-
copo auferre eam ordinis potestatem, quæ illi per ordina-
tionem concessa est. Nam si ecclesia hoc facere potest, cre-
dendum est illam, iam talem potestatem hæreticis abstu-
lis : quia cum illos summo, & iustissimo persecutur
odio, piè credendum est abstrulisse ab illis quidquid potuit
auferre. Si autem ecclesia non potest hanc ordinis po-
testatem auferre ab Episcopo, inde luce clarius constare po-
terit, Episcopum non amittere talem potestatem, etiam si
hæreticus fiat, præsertim cum constet illam non esse iure
diuino propter hæresim ab Episcopo ablataam. Dominus
Innocentius in cap. Quanto de cōsuetudine, dicit fuisse
quorundam opinionem dicētum Papam posse hoc Epis-
copis prohibere, ut nō administrent sacramentū ordinis,
aut confirmationis: qua prohibitione facta, si Episcopus
talia sacramenta conficeret, nihili illum facere di-
cunt. Quia licet Papa non possit tollere sacramentū ba-
ptismi, vel alia necessaria, potest tamen (vt isti dicunt) cir-
ca illa disponere, vel dando formam, vel disponendo de
personis, à quibus, & quibus sint conferenda, vt notatur
in cap. i de baptismo. Nam Papæ secundum istos est obe-
diendum in omnibus spiritualibus, in cōcernentibus pe-
riculum anime: nisi illa reperiantur expresse interdicta,
vel sint contra fidem. Postquam istorum opinionem re-
tulit Innocentius neq; illam absoluē probat, neq; etiam
in uniuersum reprehēdit: sed quadam distinctione prius
data, dicit quod aut Papa facit legem, per quā tollit hanc

potestatem Episcopis, & tunc dicit Episcopum nihil pro
sus agere conferendo tale sacramentum contra prohibi-
tionem: aut simpliciter Papa prohibet Episcopis ne fa-
ciant, & talis simplex prohibitio (ut ait) non impediret
impressionem characteris. Panormitanus in eodem cap.
Quanto refert hanc Innocençij opinionem, & dicit op-
timam esse illius sententiam, tantum abest, ut illam tene-
hendat. Alexander de Ales in quarta parte, quæst. 35. mem-
bro. 6. dicit etiā hanc fuisse aliquorum sententiam, illam
tamen alia longe diuersissima nota signavit, assertens il-
lam esse falsam, & erroneam. Nec solus Alexander Alen-
sis: sed omnes Scholastici theologi, qui de hac re tractarū,
illam apertissimè damnant. Quorum sententiæ ego sub-
scribens illam Innocentij, & Panormitani opinionem
non solum falsam: sed hereticam esse censeo. Nec tamen
ob hoc existimo illos esse hereticos dicendos: quia non
puto eos tam pertinaci animositate ita sensisse, ut contra
Catholicę ecclesiæ doctrinam suam opinionem tueri vo-
luissent: Imò contra firmissimè credo illos, si fuissent de
hac re (ut decebat) admoniti, statim suam sententiam re-
uocasse. Deinde res ipsa non est de illis primis fidei prin-
cipiis, in quibus fas non est Christiano viro aliud ig-
norare: neque res est per se tam aperta, ut non possit per
ignoratiā excusa i, præsertim cum illa magis ad Theo-
logorum, quam ad Canonistarum examen pertineat.
Ut autem nos certam, & indubitatam de hac re ostenda-
mus sententiam, aliqua prius admonere oportet, quæ ad
rei claritatem ostendendam multum iuvare possunt. Pri-
mū quidem consyderare oportet, quod (vt Augusti-
nus lib. 2. contra Parmenianum ait) aliud est aliud om-
nino non habere: aliud autem non rectè habere: & simi-
liter etiam aliud est non dare, & aliud non rectè dare.
Consyderare etiā oportet varias esse in Episcopo sui or-
dinis potestates, quæ omnes non sunt æqua lance pensan-
dæ. Habet siquidem Episcopus potestatem circa aliquo-
rum sacramentorum collationem, ut sunt ordo, & con-
firmatio, quæ à solis Episcopis conferri possunt. Habet
etiam potestatem ex ordine suo ad benedicēdum, & con-
secrandum alia quæ non sacramenta: sed sacramentalia
dicuntur, ut sunt ecclesiæ, calices, vestimenta, & cætera,

que à solis Episcopis consecrantur, & benedicuntur. Hæc omnia, & alia similia dicuntur sacramentalia: quia omnia illa ordinantur ad alicuius sacramenti consecrationē vel illius administrationem. Nam consecratio, aut benedictio ecclesiæ, consecratio calicis, benedictio vestimentorum, aliaque id genus multa, ad consecrationem Eucharistiae cum debita deuotione, & reuerentia faciendam, ordinantur. Chrismatis consecratio, ad sacramentorum baptismi, & confirmationis, & extremæ unctionis collationem diriguntur. Possunt etiam hæc omnia, & alia huiusmodi ob aliam rationem dici sacramentalia: quia videlicet aliquā habent cum sacramentis similitudinem. Nam sacramentis omnibus Deus hanc contulit potestatem, ut gratiā dignè recipientibus conferant. Et omnia illa, quæ sacramentalia dicuntur, & si non tanta sine potestate à Deo donata, ut sumentibus illa gratiā conferre valeant, est tamen omnibus illis postquam sunt ab ecclesia consecrata, aut benedicta, particularis quædam à Deo virtus concessa, ad aliquid in deuote recipiente effundum, quod seclusa benedictione non efficerent: ut aqua benedicta, aut cineres benedicti, aut candelæ, aut rami, aut campanæ. Quorum omnium benedictio non est (ut impij Waldenses censuerunt) inanis putanda, & velut tabula ridenda: sed iuxta totius Catholicæ ecclesiæ doctrinam, aliquam rebus illis omnibus Deus propter ecclesiæ benedictiones, particularem concedit virtutem, quam ille seclusa benedictione non haberent. De qua re olim medixisse recolo in opere illo, quod aduersus omnes hæreses ædidi, in titulo, aqua, hæresi secunda, & in titulo, Exorcismus. His igitur habitis considerationibus, aliquas suo ordine proponam conclusiones, ex quibus quidquid ad hanc rem attinet, facillimè intelligi potest. Prima conclusio. Papa non potest tollere ab Episcopo potestatem conferendi illa sacramenta, que sunt Episcopis reservata, ut sunt confirmatio, & ordo, ita ut illorum sacramentorum collationem irritam & inanem Papa facere possit. Hanc conclusionem plurimis evidētissimisq; rationibus probare oportet, ut inde aperiissimè constet falsam & hereticam esse Innocentij & Panormitani opinionem. Primo quidem hæc nostra conclusio inde conuincitur esse vera,

vera, quod potestas quam circa confirmationis & ordinis
 sacramentorum collationem, Episcopus habet, est illi iu-
 re diuino, & a Deo concessa; ex quo euidentissime colli-
 gitur, Papam non posse illam ab Episcopo auferre: quo-
 niam inferior non potest ab aliquo tollere, quod illi fue-
 rit a superiori concessum. Assumptum huius argumenta-
 tionis, ex quo tota illius vis pedit, multiplici ratione pro-
 bare volo. Nam si semel ostenderim potestatem illam esse
 a Deo Episcopo concessam, non est quod quis deinceps
 putare posfit, Papam posse illam ab Episcopo auferre.
 Haec enim vna est ex præcipuis rationibus quibus Theo-
 logi conuincunt potestatem consecrandi non posse a sa-
 cerdote quanvis degradato, auferri: quia cum illa a Deo
 & non ab hominibus acceperit, consequens est, ut nullus
 homo illam a sacerdote tollere possit. Quod autem talis
 potestas præsertim circa ordinis collationem sit a solo
 Deo Episcopis concessa, inde primo probatur, quod pote-
 stas conficiendi Eucharistiam etiam ministerialiter supe-
 rat totius Ecclesiæ propriam atque natuam virtutem, quia
 nisi Deus hanc dedisset sacerdotibus potestatem, vt tan-
 quam ministri possent Eucharistiam confidere, tota Eccle-
 sia non posset illam alicui tradere sacerdoti. Ex quo aper-
 te conuincitur, vt potestas quam habet Episcopus ad con-
 ferendum sacerdotibus hanc in illorum ordinationibus
 potestatem, superet etiam totam ecclesiæ virtutem & po-
 testatem. Vnde necessario consequitur, vt talem potes-
 tam Episcopus non ab homine, qui dare non potuit, sed
 a solo Deo acceperit. Nam alioqui si potestas consecran-
 di sacerdotem posset ab homine iure diuino secluso, alicui
 dari, inde apertissime sequeretur, vt potestas conficiendi
 Eucharistiam, que per illam priorem potestatem sacerdo-
 ti confertur, posset etiam secluso iure diuino alicui dari.
 Certum enim est, quod si ego virtute humana (non seclu-
 do generalem Dei concursum) possum Petrum in aliquo
 ordine & dignitate constituere, quidquid per illum ordi-
 nem & dignitatem Petrus fecerit, erit humana virtute fa-
 citibile. Vulgata siquidem est Philosophorum regula, quæ
 ait: Quidquid est causa causæ, est causa causati. Si vero
 Petrus per talem ordinem, & dignitatem aliquid fecerit
 quod humana virtute effici non potest, euidentissime inde

sequitur ut nullus humana virtute possit Petrum in talis
 ordine & dignitate consuovere. Cum ergo potestas sacer-
 dotis superet omnem humanam virtutem, necessario con-
 sequens est, ut potestas efficiendi sacerdotes quam habet
 Episcopus, superet etiam omnem humanam virtutem.
 Quod ergo homo non potest Episcopo dare, non potest
 etiam ab Episcopo auferre. Et sicut Papa non potest a sacer-
 dote tollere potestatem consecrati, ita nec ab Episcopo po-
 testatem ordinandi; quia utrumque humanam superat virtutem.
 Secundo probatur illud superius assumptum, videlicet, quod
 potestas ordinis circa collationem sacramentorum, que est
 in Episcopis, competit illis iure diuino. Quoniam nisi hoc
 ita esset, sequeretur inde Episcopos solo iure humano esse
 aliis sacerdotibus superiores, quo fieret, ut ex diuina sola
 institutione, Episcopi nullam maiorem potestatem ha-
 berent quam alii sacerdotes. Nihil enim aliud habet Epi-
 scopus quod non possit habere aliis sacerdos, nisi ordi-
 nis & confirmationis sacramentorum collationem. Sed
 si haec potestas solo iure humano & non diuino competit
 Episcopis, evidentissime sequitur inde, nihil competere
 ex iure diuino Episcopis, quod aliis sacerdotibus non con-
 ueniat. Hoc autem fateri est hæresis Aërii, quam Augusti-
 nus in libro de hæresibus, Cap. 53, nomine hæresis con-
 demnat. Et beatus Epiphanius in libro octoginta hære-
 sum, hæresi septuagesimaquinta de Aërio differens, hanc
 inter illius hæreses cōnumerat. Et nos in illo opere quod
 aduersus omnes hæreses ædidimus, in titu. Episcopus,
 multis, evidentissimisque rationibus probauimus talem
 sententiam esse hæreticam. Tertiè adhuc probatur an-
 tecedens illud superius in prima argumentatione assu-
 ptum. Si potestas quam Episcopus habet circa ordinis &
 confirmationis collationem, non est ex iure diuino, sed
 ex solo iure humano illi concessa, sequitur quod etiam
 Papa poterit talem potestatem aliis sacerdotibus confer-
 re. Quoniam si solo iure humano illi concessum est, sicut
 de Episcopis statuit ecclesia, ita de sacerdotibus statuere
 posset, ut illi etiam alios in sacerdotes ordinare possent.
 Verum hoc fateri Panormitanus nullum putat esse incon-
 veniens, quoniam in loco præsato sponte & nullo argu-
 mento coactus, dicit Papam posse delegare hanc potesta.

tem cuiuslibet sacerdoti, ut ordinis conserat. Si de minoribus ordinibus qui facili non censentur, ille loqueretur, ego illi non contra dicere, ut posse aperius declarabo. sed quia de omni ordine absolute loquitur, ideo non possum ab illo non discere cum illius sententia sit manifeste error. Nam si hoc ecclesia potest, sequitur inde Ecclesiam posse sacerdotes omnes pares facere Episcopis, quia poterit sacerdotibus dare ordinandi, & per consequens confirmandi potestatem, qua data erunt per omnia pares. Nam beatus Hieronymus in epistola ad Euagrium, ait: Quid facit, excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat? Hac ille. Si hoc solo Episcopus reliquos sacerdotes excedit, consequens est, ut data sacerdotibus illa potestate, sint illi Episcopis pares. At sicut nunc proxime dicimus, ex Catholica fide docemur, Episcopos ex iure divino esse reliquis sacerdotibus superiores: ergo ex Catholica fide credere tenemur Papam non posse sacerdotibus delegare potestatem, ordines, praesertim sacerdotium conferendi. Præterea, Paulus in ea quæ ad Hebreos est epistola, ait: Sine villa contradictione: quod minus est, a meliore benedicitur. Maior ergo est Episcopus qui sacerdotem benedic & consecrat, quam sacerdos qui ab illo consecratur. Quo fit, ut sacerdos a solo sacerdote effici non possit, quia illi sunt inter se pares. Rursum concilium Florentinum reddens Armenis certissimam fideli regulam, quam illos sequi oportebat, quum de sacramento ordinis disserit, dicit verum illius ministram esse Episcopum, ergo Ecclesia non potest alium ministram instituere, & per consequens non poterit Papa hoc alij sacerdoti delegare. Quia sicut non potest aliam materiam aut formam ab illa quam Christus instituit in sacramentis instituere, ita nec potest alium ministram instituere quam Christus instituit. Potestias ergo quam Episcopus circa sacramentorum collationem habet, est illi & non alteri iure divino concessa, & ita nec ab illo per ecclesiam auferibilis nec alicui alteri donabilis. Ex quo deducitur aperta responsio ad id, quod fuerat in hoc cap. primo questionum, videlicet, an Episcopus haereticus effectus amittat potestatem ordinis Episcopalis. Cui questioni nos respondemus, Episcopum, quem haereticus sit, aut degradatus, nunquam

Hieron.

Hebr. 7.

nunquam talem amittere potestatem. Quoniam talis potestas datur illi a Deo & non ab homine: datur etiam per suam consecrationem, quando ille consecratur. Omnis autem potestas ordinis sive sacramentalis (ut supra ex B. Thoma docuimus) quoniam datur per consecrationem, est indelebilis sicut & ipsa consecratio est indelebilis. Præterea, ecclesia non consuevit Episcopos hæreticos si resipiscant, iterum consecrare: sed semper illos in sua dignitate recepit, ut patet ex actis septimæ synodi, quæ fuit secunda Nicæna. in qua multi Episcopi, qui ab ecclesia propter hæretism decesserant posuimus resipuerunt, misericordiam petentes fuerunt in suis gradibus & honoribus sine noua ordinatione recepti, sicut habetur in Cap. conuenientibus. 1. q. 7. Si tamen Episcopalem ordinem per hæretism amitterent, oporteret eos quum ad ecclesiam redirent, iterum consecrare. Rursum, ordinatos ab Episcopis hæreticis qui veram ecclesiæ formam in ordinatione servauerant, ecclesia præcepit ut non iterum ordinarentur, sed in suis persisterent gradibus: ut clarissime habetur in Cap. ordinationes. 9. q. 1. Et expressius hoc definitum fuit in septima generali synodo, cuius definitio habetur in Cap. conuenientibus. 9. q. 7. Non enim hoc censeret ecclesia, nisi illa sensisset Episcopum quamvis obstinatissimum fiat hæreticus, suam semper retinere ordinis potestatem. Quia licet ritus ille consecrationis quo Episcopus consecratur, sit iure humano institutus, tamen potestas quæ Episcopo in illa consecratione datur, a Deo solo & non ab homine illi donatur. Demum, hoc probatur testimonio beati Augustini, qui libr. 2. contra Parmenianum de hac re disputas, sic ait. Nam si ex ipsa parte venientes, etiam Præpositi qui pro bono pacis, correcto schismaticorum errore, suscepti sunt, & si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt tamen rursus ordinandi: sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integræ: quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitate pacis est correctum: non in sacramentis quæ vbi cuncti sunt, vera sunt: & cum ipsi expedire videtur ecclesiæ, ut præpositi earum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinatio sacramenta detrahuntur, sed inanent etiam super eos.

August. Ideoq;

Ideoq; non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniurit. Hæc Augustinus. Et citantur à Gratiano in Cap. Quod quidam. i.q. 1. Foite contra ista quis mihi obiiciet capitulū illud. Daibertum, quod habetur. i.q. 7. in quo Urbanus Papa dicit, Daibertum à Nezelone hæretico Episcopo ordinatum, nihil recepisse, sed esse iterum ordinatum. Et rationem reddens idem Papa ait: Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Hæc Urbanus. Vnde aperte sequitur quod Episcopus ille Nezelo factus hæreticus, amiserat Episcopalis ordinis potestatem. Huic argumento respondet ibi glosa in principio capituli, hoc ideo Papam decreuisse, quia Daibertus ille non fuerat in forma ecclesiae baptizatus, & ideo meritò cœsuerit illum nihil recepisse, elseque iterum ordinandum. Per hanc responsionem licet glosa satisfacere videatur pro reiteratione ordinationis, non tamen satisfacit verbis illis, in quibus Papa reddit rationem illius reiterationis, sic inquiens. Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Ex quibus verbis constat Papam sentire Nezelonem Episcopum hæreticum non habere potestatem conferendi ordines. Quapropter dico Nezelonē illum hæreticum nunquam fuisse Episcopum, quia ab alio Episcopo hæretico extra formam ecclesiæ fuerat consecratus. Et ita rem contigisse, narrat quisquis ille fuit, qui casum illius capituli ante verba glosatoris descripsit. Quo euētu, constat Nezelonem illum nihil ab alio Episcopo recepisse: ac proinde nihil habere quod Daiberto conferre potuisset. Secunda conclusio. Papa potest prohibere Episcopis executionem ordinis Episcopalis circa sacramenta: siue faciat particulari prohibitione, siue generali lege omnibus Episcopis prohibens, ne ordines faciant aut confirmationis sacramentum administrent. Quia facta prohibitione Episcopus contra illam probationē ordinans aut confirmans, peccaret sic faciendo, quanvis ea quæ fecerit, sint proportionis habenda, nec oporteat illa iterum facere. Ad huius conclusionis probationē valere potest ratio illa, quam supra ex Innocentio & Panormitano adduximus pro suæ opinionis confirmatione, quæ huic proposito valde seruite potest, cum tamen pro alio nihil efficiat. Papæ obediendum

dicendum est in omnibus quæ non sunt contra fidem &
 legem Dei: Episcopo esse interdictam excommunicem ordi-
 nis Episcopalis, non est contra fidem, neq; contra Dei le-
 ges. Quia licet de iure diuino sit (ut diximus) q; Episco-
 pus recte ordinatus, habeat semper illam ordinis Episco-
 pais potestatē, non tamen est de iure diuino quod illam
 potestatem semper exerceat. Quo sit, vt possit illi per supe-
 riorem prohiberi, ne illam exequatur. Ad probationē opī
 nionis Innocentij & Panormitani, non potest hæc argu-
 mentalio ullo inodo iuuare. Quia Episcopum conserua-
 re potestatē ordinis semel accepta, est fide Catholica te-
 nendum, cum sit illi à Deo concessum: quapropter præce-
 ptum Papæ nihil in ea re efficere valet. Exercere autē sem-
 per potestatē illam, non est diuino iure mandatum, &
 ideo circa illud, quidquid voluerit Papa efficere poterit.
 Deinde, non est in potestate Episcopi sitū, habere vel non
 habere, potestatē ordinis Episcopalis: quia hoc à volun-
 tate Dei pendet, qui sicut ille solus hæc potestatē dedit,
 ita solus auferre potest. Nihil ergo agit ad hanc rem Epi-
 scopi obedientia: quia sicut Papa nō potest Episcopo pre-
 cipere quod non est in illius arbitrio situm, ita nec Episco-
 pus tenetur obedire in his quæ suæ voluntatis Imperio
 non subsunt. At Episcopalem ordinis potestatē exerce-
 re vel non exercere in voluntate Episcopi situm est: quiz
 cum vult potest exercere, & cum vult potest omittēre. Et
 inde consequens est, vt Papa possit hoc prohibere Episco-
 po, & Episcopus teneatur Papæ prohibenti obedire. In
 hoc tamen laudandus est Innocentius quod (vt de illo
 Panormitanus in præfato capitulo refert) dicit non esse
 tolerandam talēm prohibitiōnē, si Papa sine magna cau-
 sa legem vniuersalem facere veller, qua omnibus Episco-
 pis prohiberet sacramētorum ordinis & confirmationis
 executionem. Quia talis prohibitiō esset incommoda to-
 ti Christianę reipublicā, & totum illius statum turbaret,
 & in talibus quæ vniuersalem ecclesiā statum pertur-
 bant, dicit Innocentius Papam non esse audiendum, sed
 resistendum esse illi per vniuersalem ecclesiam. Ex hac se-
 cunda conclusione deducitur, hæreticum Episcopum non
 posse recte exequi Episcopalis ordinis potestatē circa
 administrationem ordinis aut confirmationis, quia est illi
 per

p̄ eccl̄iam interdictum vt patet in capite. Dicimus, & cap. Pudena. 24. q. 1. Si autem contra eccl̄iae prohibi-
tionem, seruata tamen debita forma & recta adhibita
intentione aliquem aut confimaret , aut sacerdotio
consecraret, quamvis rata esset ordinario aut confirmata
per illum facta , ipse tamen peccaret & quidem gra-
uissime talia sacramenta ministrando . Tertia princi-
palis conclusio . Papa potest tollere ab Episcopis eam po-
testatem ordinis quam habent circa sacramentalia, vt pu-
ta, consecrationes altarium, consecrationes calicum, be-
nedictiones vestimentorum necessariorum ad missā celeb-
rationem. Hęc omnia facere quamvis omnibus & solis
Episcopis sit concessum , non tamen hoc illis iure diuino
competit, sed humano. Nihil enim horum Christus in-
stituit, sed successu temporis sunt paulatim ab ecclesia in-
stituta . Quod autem solo iure humano solidatur, ab
hominibus qui ius ipsum considerunt, aut ab illis qui
in illorum locum & potestate in successerunt, poterit tol-
li Constat autem Papam, qui nunc est non minorem in
Ecclesia habere potestatem, quam alij Sumimi Pontifices
qui illum præcesserunt . Ergo sicut Pontifices præde-
cessores , illa omnia ab Episcopis facienda esse decreue-
runt, ita posteriores Pontifices poterunt decerne ut ni-
hil illorum Episcopi facere possint. Præterea, sicut eccl̄ie
sia illas omnes consecrationes & benedictiones olim sta-
tuit, ita etiam nunc illas omnes posset in yniuersum ab-
rogare, ita vt sine omnibus illis missa celebraretur Qui-
bus abrogatis, constat simul esse Episcoporum potestatem
hac in re prorsus abrogatam . Quoniam tunc nihil ma-
gis efficeret Episcopus, quā quiuis alius sacerdos, si uterq;
eadem super alta'e, aut calicē, ficeret & diceret. Nam Epi-
scopus nūc consecrando aut benedicendo illa, hoc solū ef-
ficit circa illa, q; facit illa esse apta instrumenta ad aliquid
opus efficiendum per illa, sine qua consecratione aut be-
nedictione non illa essent apta ad illud. Sed abrogatis il-
lis consecrationibus & benedictionibus per ecclesiam, il-
la instrumenta seclusis omnibus illis, essent ad illud opus
efficiendum apta . Non plus ergo tunc ficeret Episcopus
illa consecrando aut benedicendo quā quiuis alius sacer-
dos. Ex hac eadem ratione cōuincitur Papam posse hanc
potesta-

potesiatem circa sacramentalia quæ nunc solis Episcopis
referuatur, omnibus aliis sacerdotibus concedere: ita ut
ex concessione Papæ possint consecrare ecclesias, altaria,
aras, calices, patenas, & reliqua huiusmodi quæ sunt so-
lis Episcopis reseruata. Quia cum omnia illa ex solo iure
humano pendeat, Papa qui supra totum ecclesiæ ius ple-
nam habet potestatem, poterit illud pro libito cui placue-
rit dispensare, quamvis male ageret, si tam inueteratam
ecclesiæ consuetudinem prorsus tollere vellet. Ex eadem
ratione etiam deducitur, ut (iuxta opinionem eorum qui
dicunt minores ordines non esse sacramenta nec diuino
iure instituta) Papa possit illorum ordinum collationem
& ab Episcopis auferre, & aliis sacerdotibus concedere.
De hæreticis Episcopis quid sit in hac parte sentiendum
ex dictis facillime constare potest. Certum quidem est
ecclesiam posse ab illis hanc potestatem auferre: & iuxta
potestatem quam habet, illam fecisse constat ex cap. Ec-
clesiis, & duobus sequentibus capitulis, de consec. dist. I.
Ibi enim præcipitur, ab Arrianis consecratas ecclesias ite-
rum consecrari. Attamen glosa ibi in cap. Ecclesiis, dicit
hoc esse intelligendum, si formam ecclesiæ non seruassent,
quoniā si illam seruassent, dicit non esse iterum cōsecra-
das. Sed re vera fallitur glosa quia in cap. Ecclesiis, aperte
dicit textus esse iterum consecrandam ecclesiam, quæ con-
secrata esset ab eo qui non habet fidem Trinitatis. Credo
certè Glossam inde fuisse deceptam, quod putauit idem
prorsus censendum esse de sacramentalibus, quod de sa-
cramentis, cum tamen lata sit inter illa differentia. Quia
consecrationes sacramentorum pendent ex iure diuino:
& inde euenit ut potestas quam sacerdotes aut Episcopi
super illas habent, non possit ab illis auferri. Potestas au-
tem super sacramentalia ex solo pendet humano iure, &
ideo ecclesia quæ hoc ius statuit, poterit illam potesta-
tem ab Episcopis auferre, ita ut cōsecrātes nihil efficiant:
præsertim ob tam graue crimen quale est hæresis. Et idem
mihi videtur de aliis consecrationibus & benedictioni-
bus aliorum sacramentalium esse dicendum, ut sunt con-
secratio calicis, benedictiones ornamentorum & vesti-
mentorum. Nam de similibus idem est iudicium. Neque
huic sententiae obstat quod dicitur in cap. A nobis, de
sacramen-

sacramentis non iterandis. Illic enim Papa ideo decernit altaria non esse iterum consecranda, aut vestimenta iterū benedicenda, in quibus aut cum quibus presbyteri degrādati celebrarunt, quia omnia illa verē cōsecrata aut bene dicta erant, & ideo noluit vt iterū cōsecrearentur aut bene dicerētur. At q̄ ab hæreticis circa illa sacramentalia factū est, ecclesia censet nullius esse roboris & monenti: & ideo necessarium est vt siant ab eo, qui illa omnia exercere valeat. Sed tunc meritō inquirere quis posset quo nomine sit censenda hæc Episcoporum potestas, quā Episcopi habent circa sacramentalium consecrationem aut benedictionem. Non est certè dicenda potestas iurisdictionis: quia per illā nec aliquem punire, nec sententiam aliquam dicere potest. Si potestas ordinis dicitur, erit necessario tandem, esse aliquam ordinis potestatem, quę sit auferibilis per ecclesiam. Quod ergo beatus Thomas dicit in secunda secundæ. q. 39. art. 3. Potestatem ordinis esse indelebilis, est interpretandum de sola potestate ordinis quę est circa sacramenta, de qua solum in illa quæstione tractabat.

A N E P I S C O P V S E F F E C T V S H A E R E.
ticus sit eo ipso priuatus omni potestate iurisdictionis, etiam si sit Papa.

Cap. XXXIII.

DE P O T E S T A T E ecclesiastica inquirere & disputare cōpimus, an omnis talis sit per hæresim eo ipso ab hæretico ablata, & de potestate ordinis iam satis per duo capitula disservimus. Nunc supereft de potestate iurisdictionis pertractare, an illam ipso iure amittat Episcopus aut Papa si fuerit hæreticus. Quę quidem quæstio, vnum presupponit & aliud quærit. Presupponit quidem Episcopum & Papam posse effici hæreticum. De Episcopo nullus vñquam dubitauit, quoniam multa & certissima experientia compertum est, plurimos Episcopos fuisse hærefiarchas, nedum hæreticos. De Papa vero an posit esse hæreticus, quæstio est inter Theologos controuersa, & pars quæc Catholicos & doctissimos habet patronos. Quā quæstionē ego nunc pertractare nolo,

KK

neque

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

neq; volo, de illa aliquid definire, præter id quod supra lib. i. cap. 6. dixi, Papam videlicet ut publica & cōmunitas est persona in dandis toti populo Christiano fidei decretis nō posse errare, vt tamen singularis & priuata est persona, posse in fide errare & effici hæreticum. Nam (vt cæteros omittamus) de Honorio huius nominis primo nō potest ambigi illum fuisse hæreticum, cum fuerit in sexta generali synodo de hæresi manifesta damnatus, & hæreticus proclamatus. Ob quā causam eadem sexta synodus in qua Legati summi Pontificis aderat Theodorus & Georgius presbyteri, & Ioannes Diaconus, pluries dixit illi anathema, vt constat ex ultima actione eiusdem sextæ synodi. Quam quidem sententiam Leo tertius Iesus nominis Pontifex ratam habuit, vt apertissime constat per epistolam eius quam de hac re rescripsit ad Constantinum Imperatorem, in qua nō semel appellat eum hæreticum. Hanc qui legere volet, reperi et in secundo Tomo conciliorum generalium, statim post ultimā sextæ synodi actionem. Scio tamen esse aliquos, qui Honori causam suscipientes illum excusare nituntur. Inter quos unus, & præcipuus est Albertus Piglius Campensis, in suo illo magno prolixissimoq; opere, de Ecclesiastica Hierarchia, & in quadam disputatione quā fecit de actis sextæ synodi. Doctus certe vir, verum (vt ingenue loquar) nihil aliud in defensionem Honori agit, quam littus arare, aut laterem lauare. Nam vt Honorium defendat, dicit acta sextæ synodi depravata esse & corrupta à Græcis, in quorum lingua primū acta illius synodi scripta fuerunt. Causam autem huius depravationis dicit fuisse, q; Græci semper inuidenterunt Romano Pontifici, & ob hanc causam dicit multa in actis illius synodi permixta fuisse ab illis mendacia contra Honorium Papam, vt hac via Honori & autoritati Romanæ sedis detraherent. Sed revera nō magis per has fictiones & somnia suffragatur Honorio, quam si tacuisset. Primo quidē q; ait acta sextæ synodi esse à Græcis depravata, est mere voluntariē dictum, imo temerariē, quia nulla verisimilitudine fundatum. Nam si Græci ob inuidiam Romanæ sedis voluissent detrahere Honorio, verisimile est quoddam idem tentassent contra alios Romanos Pontifices, quā alias

illas Græcorum hæreses damnauerunt, prout fuit Leo
 primus qui damnauit Eutycetem & Dioscorum, & mul-
 tas contra illos scripsit ad diuersos doctissimas epistolas
 Si verisimile est quod propter inuidiam Romanæ sedis
 Græci voluerint deprauare acta sextæ synodi, multo ve-
 risimilius est, q̄ propter eandem inuidiam deprauassent
 acta concilii Calcedonensis, in quo damnati sunt Dio-
 scorus & Eutices, præsertim quum propter hanc damna-
 tionem, Armeni & magna Græcorum pars cœpit defi-
 cere ab obedientia Romani Pontificis. Nolo amplius
 pro veritate actorum sextæ synodi contendere, quia vic
 doctus Franciscus Torrensis natione Hispanus librum
 redidit, in quo pro hac re cōtra Albertum Pighium pug-
 nat, & mea quidem sententia de illo in hac parte trium-
 phat. Præterea, & si demus gratis Alberto Pighio acta
 sextæ synodi in aliis rebus fuisse deprauata, non tamen
 idēo saluus ab infamia erit Honorius : quia est adhuc
 unus alius testis legitimus, & ab omnibus probatus, qui
 illum de hoc criminе accusat. Beda enim vir sanctus &
 vere doctus quasi oculatus testis, quoniam fuit synchro-
 nus Honorio, in lib. de ratione temporum, de Constanti-
 no Imperatore huius nominis quarto disserens, hęc ait
 Agatho papa ex rogatu Constantini, Heraclii, & Tibe-
 rii principum piissimorum, misit in regiam urbem Le-
 gatos suos, in quibus erat Ioannes Romanus ecclesiæ tunc
 Diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione
 facienda sanctorum Dei ecclesiarum. Qui benignissime
 suscepit à reuerendissimo fidei Catholicę defensore Cō-
 stantino, iussi sunt, remissis disputationibus philosophi-
 cis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis
 de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorū
 patrum, quos petebant libellis. Adfuerunt autem & Epis-
 scopi, i.e. præsidente Georgio patriarcha regiæ urbis, &
 Antiochia Macario. Et conuicti sunt, qui vnam volun-
 tam & operationem aſtruebant in Christo, falsasse Pa-
 trum catholicorum dicta perplurima. Finito autem cou-
 nictu, Georgius correctus est, Macarius vero cum suis
 sequacibus, simul & præcessoribus Cyro, Sergio, Hono-
 rio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus. Hactenus
 Beda. In quibus verbis duo potissimum annotare oportet,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

ter. Primum est id quod ait, hæreticos illos fuisse conule
etos deprauasse Catholicorum patrum sc. scripturas. Nam
hic fuit semper & nunc est perpetuus & inuiolatus hære-
tiorum mos, mendacia fingere, & scripturas falsificare,
vt suas apud populum, quem summopere fallere cupiunt,
hæreses tueri possint. Alterum est quod præsentí propo-
sito seruit, vbi Honorium recenset inter illos qui propter
Monothelitarum hæresim anathemate percussi sunt.

Supponamus igitur Papam posse in hæresim labi & hæ-
reticum esse. Tunc iam meritò quæstio se offert diligentia
examinatione digna. An papa aut quiuis alius episcopus
effectus hæreticus, amittat omnem potestatem iurisdictio-
nis, ita vt iam non sit Papa nec Episcopus censendus.

Quæ quidem quæstio aliter definienda est secundum ius
diuinum & aliter secundum ius humanum. Si iuxta hu-
manum ius, quæstio hæc est pertractanda, aliter de Papa,
& aliter de aliis Episcopis respondendum erit. Nam Pa-
pa non est eadem lege & mensura, qua cæteri Episcopi,
metiendus. Quoniam cæteri omnes Episcopi iuri huma-
no subduntur, & poenas ab humano iure ob crimina ali-
qua decretas, si in illa inciderint crimina, perferre cogun-
tur. Ex quo apertissime colligitur, omnem Episcopū post:
quam effectus fuerit hæreticus, esse excommunicatum. Et
inde etiam colligeretur illum priuatum esse eo ipso suo
Episcopatu, si ecclesia hanc poenā hæretico Episcopo, de-
creto perpetuo irrogasset. Hoc tamē decretum nunquam
(quod sciām) ecclesia hucusque statuit. Nam licet multi
sint sancti viri, quorum testimonia inferius citabo, qui
dicant nihil honoris aut dignitatis hæreticos habere,
hoc tamen non dixerunt, tanquam legem statuentes.

Quoniam cùm illi non fuerint Summi Pontifices, cere-
tum est eos non potuisse leges præfigere, quæ vniuersos
ligarent Episcopos. At, Papa cum sit totius ecclesiae ca-
put, quod in reliqua omnia membra influit, illis omni-
bus sensum ministrans, sicut omnes iudicare potest, ita à
nemine iudicari valet, vt habetur in cap. Si Papa, dist.
40. & in cap. Nemo. 9. q. 3. & in cap. Oues. 2. q. 7. Ex
qua ratione deducitur Papam non esse præceptis aliquis
bus humanis ligatum, quia non habet superiorem in-
terrī quo ligari possit, Ab inferiori autem aut à pari cære-
tum

tum est neminem ligari posse: quia (vt commune est iu-
risperitorum prouerbum) par in parem non habet
Imperium. Et hinc nostri Theologi colligunt Papam
non esse obligatum ad suorum peccatorum auricularem
confessionem annuatim faciendam. Quoniam cum talis
confessio annua solo fit iure humano precepta, per illud
videlicet cap. Omnis utriusque sexus, de penit. & remissi.
Conuincitur apertissime Papam qui supra omne ius Ca-
nonicum habet plenam potestatem, non esse ad illam ob-
ligatum. Ex eadē radice oritur, vt Papa non posset incide-
re in alicuius ecclesiastici canonis censuram, aut penit. vt
sunt excommunicatio, interdictum, suspensio, irregulari-
tas. Nam omnes istae censuræ, cum sint solo humano iure
decretæ, non possunt Papam ligare, quem certum est vel
parem esse his a quibus fuerunt illi canones statuti. Ex
quibus omnibus necessario sequitur vt Papa effectus ha-
reticus non sit ipso iure excommunicatus, ea excommuni-
cationis specie, quæ dicitur censura ecclesiastica. Dixi
ex industria, de excommunicatione quæ est ecclesiastica
censura, quoniam est quedam alia latior & benignior ex-
communicatione contra haereticos, quæ iuxta multorum
opinionem (vt supra cap. 18. huius secundi libri dixi-
mus) est iure diuino inficta. Verum haec non est nisi que-
dam separatio ab exteriori fidelium conuersatione: ita
vt fidelibus omnibus sit diuino iure interdictum, ne cum
haereticis conuersentur, iuxta illud Pauli. Haereticum ho-
minem post unam & secundam correptionem deuita. Cui
consonat Ioannes in sua secunda canonica epistola, sic in
quiens. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affere,
nolite recipere eum in domum, nec, Ave, ei dixeritis. Et
hac excommunicatione Papa sicut quilibet alias Christia-
nus, si haeticus fiat, erit statim eo ipso excommunicatus.
Quia postquam de illius haeresi constiterit, omnes Chri-
stiani tenebuntur ab illius conuersatione abstinere. Est ta-
men alia multo acerbior excommunicatione, quæ non so-
lum ab exteriori separat conuersatione, sed etiam a spiritua-
lium honorum participatione sequestrat, & multa alia inco-
moda infert, quæ nunc non est animus recensere. De hac igi-
tur excommunicatione, quæ est ecclesiastica censura, & ab
ecclesia inficta, censeo Summū Pontificē, etiam si fiat haere-

Tit. 4.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

ticus, non esse hac excommunicatione ipso iure excommunicatum, nisi aliunde quam ex iure humano constaret illum eo ipso quod factus est hæreticus, esse dignitatē Papali depositum. Quoniam talis excommunicatione cum sit iure humano inficta, non potest ligare Papam, qui citra omnem controuersiam est supra omne ius humanū. Quæ quidem sententia usq; adeò videtur vera S. Thomæ ut in, 4. senten. dist. 19. art. 3. dicat, Papā non posse hanc potestatem alicui delegare, vt ipsum papā possit excommunicarre. Et idem docet S. Bonaventura, & Albertus Magnus, vt de illis referat Ioannes de Turre cremata, qui istorū omnium sententiam cōprobat. Male ergo opinantur illi qui docent, omnia iura quæ de hæreticis aliquid decernunt, etiā Papam ligare si ille fiat hæreticus. Nā dum Papa est, subiicitur depositioni, vt videlicet propter heresim deponi possit, non tamen alicui alteri iuris cēsurę. Postquam vero depositus fuerit, tunc iā erit omnibus ecclesiasticis pœnis, sicut reliqui omnes, subiectus. Et hinc est qd Papa effectus hæreticus, nisi ex iure diuino impediatur, adhuc antequam deponatur, omnem suā dignitatem & iurisdictionem conservare poterit. Quia cū ille ligatus excommunicatione nō sit, illum aliud ius humanum obstat quo minus ille alios ligare & soluere possit Contra ea quæ diximus fortè quis mihi obiiciet quandā Glossam super cap. Achatius. 24. q. 1. quæ talia refert. Hic est casus in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa in canonem latę sententię incidit. Neque huic obuiat regula : par parem soluere, vel ligare non potest: quia si Papa hæreticus est, in eo, quod hæreticus est, minor est quolibet Catholico. Hæc in illo capite, Glossa. Hanc obiectionem ego facilissime reiicio, ingenue dicens non esse tantæ authoritatis Glossatorem illum, vt me sua authoritate premere valeat, præsertim cum alias tam multa doceat evidentissime falsa, & erronea: vt omnem meritò propter illa amiserit authoritatem. Deinde verba ipsa, quæ nunc refert, si diligenter discutiamus, apertissime ostendent, quam parum solidae doctrinæ in se contineant. Dicit enim, quod si Papa hæreticus est, minor est quilibet Catholico. Si Papa hæreticus minor est quilibet Catholico: ergo quilibet Catholicus maior est Papa hæretico. Collectio ista

ex eis

ex eo redditur manifesta, quod maior, & minor sunt eos
relativa. Videamus ergo quomodo hic maior, & ille mi-
nor censendi sunt. Et certum est eodem modo alterum
dicendum esse maiorem, quo aliter diceretur minor : quia
alia non erunt comparativa, nec relative opposita. Si de
meioritate, & minoritate iurisdictionis loquatur Glossa,
constat verba illius esse falsa. Nam apertissime constat
esse falso, omnem Catholicum esse maiorem in iurisdi-
ctione Papa heretico. Quia multi sunt Catholici, qui
nullam prorsus iurisdictionem habent supra Papam her-
eticum, prout sunt omnes fere laici, ad quos non spectat
Papa heresim examinare, neque de illa censere, neque
illum ob hoc punire. Si vero de maioritate, & minorita-
te in meritis, aut in gratia, aut charitate loquatur, & si ita,
ut ille ait, sit nihil tamen inde colligere valebit, quod suum
proposito sauere possit. Nam iuxta illum sensum mino-
ris, & maioris, etiam dicetur, Papam peccatorem in pecca-
to mortali existentem esse minorem quolibet viro Catho-
lico, & iusto. Sed nunquid ideo sequitur, ut propterea par-
parem ligare, aut soluere possit, aut quod Papa in canonice la-
tæ sententiae incidere debeat. Quia ut quis ligare, aut sol-
uere possit, non maioritas sanctitatis requiritur ; sed iuri-
isdictionis. Male ergo respondetur ad obiectiōnē re-
gulae, quæ ait: Par parem soluere, aut ligare non potest, di-
cendo, quod papa hereticus minor est quolibet Catholicō.
Dico ergo quod omni iure diuino de hac re secluso, si secun-
dum solum ius humanum hęc questio definienda est, Papa
effectus hereticus licet sit merito ob hoc deponēdus, non
tamen est eo ipso depositus, nec eo ipso excommunicatus.
Quia quādiu est Papa, excommunicari non potest, neque
alii quavis censura ecclesiastica ligari: cum sit supra om-
ne ius humanum, à quo censuræ illae suam habent firmis-
tatem suumq; vigorem. Erit autem ille (ex solo iure hu-
mano loquendo) randiu Papa, quandiu fuerit ab ecclesia
toleratus. Ecclesia vero haud dubie illū tolerabit, quousq;
sibi constet illum iure diuino esse depositum, aut meritō
deponendum. Quoniam Paulus tertius, qui nunc est, li-
cet ab hominum electione habeat, quod sit Papa, post
quam tamen electus est, non ab hominibus : sed à Deo
habet plenam supra totam ecclesiam potestatem. Et inde

evidentissime colligitur illum non posse ob quæcunque crimen ab ecclesia deponi nisi continet ex eodem iure diuino, ecclesiam propter tale crimen Papam deponere posse. Dismisso ergo iure humano, à quo nihil certum in hac quæstione dicere possumus, ad ius diuinitum, tanquam ad totius veritatis fontem recurramus, vt inde vberim doceri valeamus. Perscrutemur igitur diuinæ scripturas, & per illas inquiramus ea, quæ ad esse Papam sunt necessaria, & inde facilè intelligemus, an Papa, si hæreticus fiat, sit statim dignitate Papali priuatus, an non. Nam certissima ratione Philosophica scimus, tunc aliquid necessario perire, quando illi desunt ea, quæ ad suum esse sunt necessaria. Si autem omnia, quæ ad alicuius rei existentiam sunt necessaria, adsunt, si res naturaliter, & nō libere causatur, illa deesse non est possibile. Quia enim sanguis est necessarius ad hominis vitam: ideo sanguine deficiente homo viuere non potest. Alioqui si sanguine secluso viueret homo, hoc uno argumento evidentissime probaretur sanguinē ad illius vitam nō esse necessarium. Calor est necessarius ad esse ignem, & inde consequens est, vt calore prorsus destruncto, pereat etiam ignis. Hoc igitur semel præfixo fundamento, opus est, vt ex ipsis scripturis diuinis diligenter inquiramus ea, quæ ad esse Papam sunt necessaria. Omitto hic alia quæ extra ipsum Papam sunt, vt puta, voluntaria electio ipsorum electorum, & habilitas in ipsis eligentibus, vt videlicet illi habiles sint ad elegendum. Iстis & aliis huiusmodi omissis: si de illis, quæ in ipso eligendo, aut electo sunt, loquamur, distinguere oportet. Quoniam quædam sunt necessaria ad simpliciter esse, alia sunt necessaria solum ad bene esse. Quæ soluta ad bene esse exiguntur, talia sunt, vt illis seclusis Papa esse possit: sed non bonus Papa: & hæc sunt scientia rerum diuinarum, prudentia rerum gerendarum, charitas feruentissima, & alia id genus aliqua, sine quibus, & si aliquis Papa esse possit, non tamen bonus erit Papa. Quæ autem sunt necessaria ad simpliciter esse Papam, sunt duo. Quorum alterum est solum necessarium ad fieri, & nō post factum esse: & hoc est voluntas ipsius electi, per quam consentit electioni de se factæ. Hæc enim est necessaria ad hoc, vt quis fiat Papa: quia ipso inuito non potest fieri Papa.

Postquam

Postquam tamen iam semel consentit electioni, & factus est Papa, iam illius voluntas non est necessaria ad esse Papam: quia & si illum pœnitentia voluntatis præteritæ, & nolit esse Papa, & renunciet Papatui, nihilominus adhuc est Papa, quousq; ab his, quibus competit, sit eius renunciatio acceptata, ut patet in cap. i. De renunciatione, libro .6. Rationem horum si quis requirat, eam nunc libenter offerimus, quæ talis est. Quilibet potest renuntiare iuri suo, non tamen iuri alterius. Ecclesia eligens Paulum in Papam, nullum adhuc ius propter hoc habet in Paulo quo usque consentiat. Postquam autem consenserit electioni de se factæ, sicut ipse acquisiuit ius supra ecclesiæ ad regendum eam, ita illa acquisiuit ius supra ipsum, ut ab illo petere posse doctrinam, & reliqua, quæ ille ex officio Papali tenetur tribuere ecclesiæ. Est enim mutuus quidam contractus inter electores, & electum initus, quo mutuo se inuicem obligarunt. Electus quidem ad reddendum ecclesiæ debitum pastoris officium ad quod solum ecclesia illum elegit. Ecclesia verò, quæ illum in p̄ceptum elegit, hoc ipso se ad debitam obedientiam illi exhibendam obligauit. Et hinc evenit, ut cum primo electus est possit renuntiare electioni de se factæ: quia tunc solum renuntiare iuri suo. Cum autem iam semel consenserit electioni, & effectus est Papa, tunc iam non potest sine consensu ecclesiæ renuntiare Papatui: quia si hoc faceret, non solum iuri suo: sed iuri ecclesiæ renuntiare, quod facere non potest. Ex quibus apertissime constat, quod voluntas electi in Papam licet sit necessaria ad fieri Papam, non tamen est necessaria ad conseruationem Papatus: quia (ut dixi) iniuitus potest esse Papa. Alterum est necessarium ad esse Papam in fieri, & in facto esse, & hoc est fides. Neque hic loquor de fide formata, de qua dicit Cal. 5, Paulus, quod per dilectionem operatur. Quoniam haec non est necessaria ad esse Papam, cum posse Papa in peccato mortali existens, in Papam eligi, & in Papatu perseverare. Alioqui esset incidere in errorem Valdensium, & Ioannis Hus dicentium omnem ecclesiasticam dignitatem amitti per quodlibet peccatum mortale. Qui error damnatus est in concilio Constantiensi, sessione decimaquinta. Fides ergo, quam dico esse necessariam ad

esse Papam, est fides habitualis à spe, & charitate distin-
cta, qua datur in baptismo, & de qua Paulus dicit, quod
sine illa impossibile est placere Deo. Hæc, inquam, fides
est necessaria ad esse Papam, ita quod sine illa non potest
sieri Papa, nec in Papatu conseruari. Et quia hoc est præ-
cipuum fundamentum, super quod serè tota huius no-
stræ doctrinæ fabrica consistit, ideo pro illius firma stabili-
tate elaborandum est, & multis rationibus illud pro-
bandum. Pro qua re maximè conductit diligenter per-
scrutari totum processum, quo Christus peruenit ad dan-
dum Papatum Petro. Non enim statim, & sine ullis me-
diis illi hanc concescit potestatem: sed primò illam pro-
misit, ad aliud tempus hanc differens donationem. Dein-
de, antequam daret, monuit de dignitate sibi promissa,
ut intelligeret, quid sibi per illam iniungebatur. Demum,
cum promissam potestatem Christus Petro concessit, tunc
vix dignitatis, & quæ ad illam necessario exigeabantur
apertius expressit. Quæ oratione si quis diligenter consy-
de rare velit, vel ex eo clarissime disceret, quam necessariam
ad Papatum voluit esse fidem Christus saluator noster.
Singula igitur studiose perscrutemur. Primò quidem

Mat. 16. Christus saluator noster promisit hanc potestatem Pe-
tro, sic dicens: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quod-
cunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, &
quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.
Quo in loco Origenes moe suo philosophatus, dicit:
Christum his verbis maiorem Petro promisisse ligandi,
& soluendi potestatem, quam postea reliquis Apostolis,
aut dedit, aut promiserit. Nam quum aliis omnibus Apo-
stolis ligandi, & soluendi potestatem tribuit, in cœlo tan-
tum singulari numero explicans, dixit fore soluta, aut li-
gata, quæ illi soluerent, aut ligarent. Sic enim dixit:

Mat. 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata &
in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta
& in cœlo. At quum Petro claves commisit, non usus est
singulari numero cœli: sed plurali numero significauit
in cœlis fore soluta, aut ligata, quæ ille in terris solueret,
aut ligaret, ut vel hoc verborum discrimine nos doceret,
aliquid maius Petro, quam reliquis Apostolis fore conce-
dendum. Sed iam videamus quid illam promissionem

præcesserit. Antequam Christus hoc Petro promitteret, interrogavit omnes Apostolos, quid de illo sentirent, & quam de illo haberent existimationem. Cui interrogatio: ni (ut Matthæus refert) Petrus solus respondens, dixit: Tu es Christus filius dei viui. Quo loco Theophylactus annotat verba illa ad maiorem Petri fidem exprimendam cum articulo emphasis quandam significante, esse pro-nuntianda, sic enim ait Theophylactus. Non dixit: Tu es Christus filius Dei viuentis, absq; articulo: sed cum articulo, ille filius, hoc est, ille ipse, qui solus, & unicus, non gratia filius: sed qui ex ipsa patris substantia genitus. Quia & multi Christi erant sacerdotes, & Reges omnes sed Christus cum articulo, unus est. Hęc Theophylactus. Hac confessione fidei per Petrum facta, statim Christus dixit illi: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædifica: bo ecclesiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, &c. Quæ verba remunerationem quandam Petro pro suæ fidei con-fessione exhibitam, aperte ostendunt. Quod clarissime docet Theophylactus sic inquiens: Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod super eum ædificabit ecclesiam. Quia enim confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quod haec confessio, quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium, ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus sit funda-mentum. Nam licet innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter ædificamus. Hęc ille. Eandem sententiam do-
çet Cyrilus, qui libro quarto Dialogorum de Trinitate interpretans prædicta Matthei verba ait. Petram opinor per agnominationē, aliud nihil quā inconcussam & fir-missimam discipuli fidem vocavit, in qua ecclesia Christi ita fundata & firmata esset ut nō laberetur, & esset inex-pugnabilis inferorum portis in perpetuum manens. Hęc Cyrilus. In verbis istorum duorum Doctorum id pot-tissimum annotandum est, quod per verba Christi, & non ex suo cerebro, nos docent, fidem esse fundamen-tum totius ecclesiasticæ structuræ.

At,

At, vbi fundatum deest, nihil superædificari potest,
& si quid ædificatum super illud fuerat, necesse erit, ut illo
fundamento sublato, ruat. Consequens igitur est, ut
deficiente in aliquo fidei Catholica, quæ est totius ecclæ-
siasticæ structuræ fundamentum, non possit in eo Papa-
lis dignitas fundari, quæ p[ro]iimus est in illa structura lapis,
post fidem. Imò nulla alia ecclesiastica dignitas à Christo
instituta, qualis est Episcopalis potestas poterit in illo
qui fidem Catholicam non habet, fundari. Quoniā hæc
cūm sit à Christo instituta, & in structura ecclæ ab eodem
collocata, non poterit aliud fundamentum habere,
quā illud, quod ab ipso Christo positū est, videlicet fides.
Et inde etiam sequitur, ut hoc fidei fundamento sublato,
ab eo, qui Papa, aut Episcopus erat, eo ipso Papalis, aut
Episcopalis dignitas, quæ ante in illo erat, cadat ab illo.
Fortè aliquis huius argumentationis potētiā effugere
volens, dicet characterem baptismalem, qui dicitur sacra-
mentum fidei, satis esse, ut in aliquo, qui fidem nō teneret,
possit Papalis dignitas collocari, & conseruari: sed hæc
meræ nugæ sunt, ut facile patere potest, vel mediocriter
rem consideranti. Nam Theophy. verba Christi decla-
rans, non dicit characterem baptismalem esse fundamen-
tum: sed solam fidei confessionem. Quod & si Theophy-
laetus non interpretaretur, ex ipsis Christi verbis, & illo-
rum circumstantiis apertissimè constare poterat. Nulla
enim ibi erat mentio de baptismate, nec de baptismali
charactere, nec in illo poterat esse meritum, ut propter il-
lud tanta mercede Petrum Christus donaret. At in con-
fessione fidei, quam Petrus fecit, multum adfuit meriti,
atque ideo illa digna habita est à Christo, cui tātam pro-
mitteret mercedem, quātam nulli alteri, nisi Petro, quem
totius ecclæ caput instituit, donare decreuit. Et quod
fides sit fundamentum totius religionis, & totius ecclæ-
siasticæ structuræ, ex aliis adhuc sacrae scripturæ locis,
aperte conuinci potest.

t. Cor. 3. Nam Paulus Corinthiis scribens, ait: Fundamentum
aliud nemo potest ponere: præter id, quod positum est,
quod est Christus Iesus. Quæ verba interpretans Augu-
stinus in libro de fide, & operibus, cap. 16. ait: Si Christus
est fundamētum, procul dubio, & fides Christi. Per fidem
quippe

quippè habitat in cordibus nostris, sicut idem Paulus dicit. Hæc Augustinus. Et ad Colossenses Paulus scribens, Colos. 2. iterum ait: Reconciliauit vos Christus in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles corā ipso, si tamen permanetis in fide fundati. In quibus verbis Paulus apertissimè dixit fidem esse fundamentum, & inde colligitur, ut fide sublata reliquum totum corruat ædificium. Et certè (ut aperte loquar) hæc argumentatio, quæ nunc ex ratione fundamenti facta est, me multum vrget, ut existimem Papam, si hæreticus fiat, eo ipso esse iure diuino priuatum dignitate Papali. Nam alia, quæ aliqui faciunt ex ratione membrorum, quæ inuicem per fidem connectuntur, non est adeò efficax, ut per illam rationem quis conuincere possit Papam, si fiat hæreticus, iam non esse totius ecclesiæ caput: quia videlicet iam non est ecclesiæ membrum, cum careat fide. Hanc enim argumentationem facile soluit Thomas de Vio Caietanus Cardinalis in opusculo de autoritate Papæ, & conciliū, ca. 22. dicens quod Papa etiā si hæreticus fiat adhuc est membrum ecclesiæ. Quia licet careat fide, habet tamen characterem baptismalem, per quem etiā sicut per fidem, quisq; effici potest membrum Christi, ut expresse docet Innocentius tertius in capite, Veniens. De presbytero non baptizato, cuius hæc sunt verba. Non solum per sacramentum fidei: sed per fidem etiam sacramenti quis efficitur proculdubio membrum Christi. Hæc Innocentius, Fortè quis mihi etiam ex verbis eiusdem capituli respondebit, dicens ite eodem capitulo, baptismum etiam dici fundamentum. Fateor quidem in illo loco baptismum appellari fundamentum: sed diligenter inspiciendum est, respectu cuius dicatur fundamentum, & inuenietur dici fundamentum respectu aliorum sacramentorum. Nam quæstio illius capituli erat de presbytero non baptizato an suscepisset ordinem sacerdotiū, & ut persuaderet illum non suscepisse sacerdotium, dicit quod deficiente baptismo, qui est fundamentum, aliorum vtique sacramentorum, nullum aliud sacramentum superædificari poterat. Quanquam hæc non definito: sed disputando Pontifex dixit, ut literā inspicienti facile constare potest. At quod baptismus sit fundamen-
tum

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

rum Papalis dignitatis, Pontifex ibi non dixit, nec de illa erat tunc sermo. Esto, etiam hoc dixisset, non tamen dicceret baptismum esse sufficiens fundamētum, ita ut fides non esset etiam fundamentum necessarium. Quia hoc esset aperte repugnare Christo, qui dixit se super fidēi cōfessionem fundaturum ecclesiam suam, & qui propter illum fidei cōfessionem promisit se daturum Petro in p̄mūm claves regni cōlorū. Et hoc est alterū, quod in verbis Theophylacti vltimo citatis annotādum erat, quum dixit, Christum remunerasse confessionem Petri, quando promisit illi se super illam confessionem ædificatum ecclesiam suam, & propter illam eandem daturum illi claves regni cōlorum. Nam quia aliis omnibus Apostolis tacentibus solus Petrus confessus est Christum esse filium Dei, ideo illi soli claves regni cōlorum, & ligandi, atque soluendi potestatem supra omnes promisit. Si propter fidei confessionem tanquam propter quodam meritum, Christus Pontificiam super omnes dignitatem Petro promisit, hoc ipso declarauit eum, qui fidem non haberet, indignum esse, qui cæteris præmiseret. Quis ergo tam demens erit, ut alicui fine fidei merito Papatum tribuere velit, quem Christus Petro sine fidei confessione nec promittere voluit, ac proinde multo minus daret. Nec placet mihi illorum sententia, qui dicunt Petrum tunc pro omnibus respondisse, & sic suam, aliorumq; fidem expresseisse. Non enim alij Apostoli Petru hanc prouinciam delegauerunt, ut pro omnibus responderet. Neque Petrus tam arrogans erat, ut pro omnibus, non mandatus responderet, præsertim quod tunc non solum data non erat super cæteros Apostolos potestas: sed nec erat adhuc promissa. Si quis autem dicat hoc Petrum facere potuisse: quia cæteris Apostolis senior erat, is attendat, obsecro, Andream in apostolatu seniorem esse Petro, quod multo magis æstimandum erat, quam quilibet ætatis excessus. Deinde suis ipsis verbis Petrus testatur se non pro omnibus: sed pro se solo respondere. Non enim plurali numero (ut oportebat) sed singulari numero loquutus est, sic inquiens: Ego dico, quia tu es Christus, &c. Si pro omnibus loqui voluisset, plurali numero loqui debuisset his verbis: Nos dicimus, &cæt.

Nam

Nam alias postquam iam supra omnes illum Christus
 instituerat prælatum, quum in die Pentecostes omnes
 Apostoli, eò quod recepto iam coelitus spiritu omnibus
 loquerentur linguis, de ebrietate falso apud populum ac-
 cusarentur. Petrus se omnium curam habere intelligens,
 ac proinde omnium causam suscipere volens, non singu-
 lari: sed plurali numero loquutus est, sic dicens: Viri Iu:
 dei, & qui habitatis Ierusalem inuenisti, hoc vobis notum
 sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos
 estimatis, hi ebri sunt, cum sit hora diei tertia. Si pro se
 solo respondere voluisset, dixisset: Ego ebrius non sum.
 Sed quia tunc iam omnium curam gerebat, pro omnibus
 respondere decreuit, dicens: Hi ebri non sunt. Non
 ergo pro omnibus: sed pro se solo respondit, quum dixit:
 Ego dico, quia tu es Christus filius Dei viui. Ille solus Mat. 15.
 respondit quanvis omnes fuissent interrogati: quia fer-
 ventior, quam in corde retinebat fides, non potuit se ita
 tra cordis latebras retinere, quemadmodum cæterorum
 Apostolorum fides, que quoniam tepidior erat non pro-
 rupit in publicam confessionem. Sed de hoc, quia forte
 iam plus satis diximus, opus est, ut ad reliquum Petri
 processum inuestigandum pergamus. Christus salua-
 tor noster iam passioni proximus, præuidens Apostolo-
 rum animos post suum discensum fore turbanos, Pe-
 tro intungit, ut illos in fide confirmet, sic dicens: Simon
 ecce Sathanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum:
 ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu
 aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ecce pri-
 mum Pape officium, quod Deus tunc Petro commisit,
 hoc est, confirmare reliquos omnes in fide. At qui infir-
 mus est in fide, non est possibile, ut reliquos in eadem
 fide confirmet. Quo fit, ut Papa si haereticus fiat, Papa
 amplius esse non posse: quia ad id, quod sibi primo ex
 officio suo competit, videlicet reliquos in fide confir-
 mate, est prorsus ineptus. Demum, quando Christus di-
 gnitatem Papalem iam ante promissam, Petro conces-
 fit, sic dixit: Pasce oves meas. Quibus verbis concordi
 omnium Catholicorum Doctorum sententia, omnes
 Christianos oves, & Petrum illarum omnium dixit esse
 postorem, ut ipso officij nomine apertissime declararet,
 quid

Luc. 22.

Ioan. 21.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

quid Petro, & cui libet summo Pontifici Petri successori facere ex officio incumbit, nempe pascere gregem sibi commissum spirituali quodam pabulo, doctrina videlicet Catholicæ fidei. Qui fidem Catholicam tenet, si est idiota, aut malis moribus vitiatus, quamvis non suum bene exercet officium, adhuc tamen Papa est: quia nihil habet Papatui repugnans. At qui hæreticus est, habet hæresim, quæ prorsus Papatui repugnat. Non enim potest, qui hæreticus est, veram aliis praestare fidei doctrinam: & inde consequens est, ut qui hæreticus est, ecclesiæ pastor esse non possit. In eius confirmationem est, quod Augustinus ait in sermone de pastoribus, ubi exponit illud *Can-*

Cant. 1. *Pasce hædos tuos, sic inquiens: Iam non oues;*
August. *Manenti Petro dicitur: Pasce oues meas, ex eūti hæretico dicitur: Pasce hædos tuos. Et iterum in Epistola ad Vincen-*

tium Donatistam, pertractans eadem verba ait: Pasce hædos tuos, nō sicut Petrus, cui dicitur: Pasce oues meas. In tabernaculis Pastorum, non in tabernaculis pastoris, ubi est unus rex, & unus pastor. Hęc Augustinus. In quibus verbis apertissimè docet Augustinus eum, qui pastor est oviū Christi, si fiat hæreticus, iam non esse pastorem oviū Christi: sed suorum hædorum. Sunt adhuc aliae multæ argumentationes procedentes ab his conditionibus, & qualitatibus, quæ necessario competunt hæreticis, ex quibus non minus evidenter concordatur Papam, si hæreticus fiat, esse statim iure diuino priuatum dignitate Pauli. Nam omnis hæreticus est ab ecclesiæ corpore separatus, atq; præscitus: quoniam à fide, quam tota tenet ecclesia se diuidit, mallens suæ inniti prudentiæ, quam totius Catholicæ ecclesiæ subesse iudicio. Qui autem à fide ecclesiæ separatur, consequens est, ut etiam à corpore ipsius ecclesiæ sit separatus, quoniam sicut iuxta dictum Pauli,

Ephe. 4. *vna est fides: ita vna est ecclesia, & unitas ecclesiæ ex unitate fidei pendet, dicente Hugo de Sancto Victore.*

Per fidem accipimus unionem, per charitatem vivificationem. At quicunque est ab ecclesiæ corpore separatus iam non est caput eiusdem corporis, quia repugnat, ut quod à corpore separatum est, sit caput illius. Ex quibus necessario infertur, ut Papa si fiat hæreticus, iam non sit Papa: cùm per hæresim sit à corpore ecclesiæ iure diuino

separatus. Alia quæcunque peccata quantumlibet grauiæ
inficiunt Papam, & illum tanquam caput languidum
reddunt. Solum autem peccatum hæresis caput a corpo-
re abscindit, & per consequens solum illud Papam iure
diuino sua Papali dignitate priuat. Præterea, hæretici
vocantur lupi à Saluatore nostro, qui monens nos, ut ab
hæreticis caueremus, dicit illos tanquam lupos esse fu-
giendos, sic inquiens: Attendite a falsis Prophetis, qui
veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem
sunt lupi rapaces. Ecce vides hæreticos, qui falsi sunt pro-
phetæ, non a quo quis alio: sed a Christo ipso veritatis ma-
gistro, appellari lupos. Ne igitur lupus sit ouium pastor
necessarius est, ut Papa, & qui quis alias Episcopus factus hæ-
reticus, statim desinat esse pastor: unde necessario sequi-
tur, ut nec sit Papa, nec Episcopus. Nec credibile est, ut
Christus hæreticum hominem, quem certius certo scie-
bat esse lupum, suarum ouium voluerit esse pastorem, ne
oues lupo (quod extremæ deinætae reputatur indicium)
commisssie dicatur. Prælatus igitur si ex pastore fiat
lupus, necessarius est etiam, ut eo ipso desinat esse præla-
tus, & pastor, ne vel in paruo temporis momento, oues
lupo commissas esse dicatur. Rursum, Omnis hæreticus
iure diuino est ab hominibus vitandus, prout iam su-
pra, quum de excommunicatione disseruimus, multis sa-
cræ scripturæ testimoniis probauimus. Non est autem
possibile, ut quis sit prælatus illorum, qui iure diuino
tenantur se ab illo separare, illum fugere, cum illo mi-
nimè cōuersari, illum in domum suam non recipere, ne-
que illum salutare. Quoniam vero prælato, etiam alio:
qui malo, omnia istorum contraria tenentur subditæ
etiam cum reverentia impendere. Nam Paulus docet
obedientiam esse exhibendam præpositis, non tantum
modestis: sed etiam discolis. Demum plurima sunt san-
ctorum Doctorum testimonia, quæ asserunt hominem
hæreticum nullam prorsus habere in ecclesia potestatem
iurisdictionis. Primum quidem beatum Thomam offe-
ro, tanquam recentiorem, qui in sua Secunda Secundæ
quæst.³⁰, articulo tertio dicit potestatem iurisdictionis
non esse in hæreticis, & inde deducit, quod non possunt
a peccatis absoluere, nec alios excommunicare, nec in-

Mat. 27.

Heb. 11.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

dulgentias dare. Hæc ille. Et Gratianus huic astipula:
tur tentiæ, qui vigesima quarta quæstione prima, par:
te secunda, quæ incipit in paragrapho: Sin autem ex
corde suo, & ponitur statim post capitulum. Audiuimus,
sic in fine capitulo ait: Quia sicut ille, qui benedicit, ma:
ior est eo, qui benedicitur: ita qui ex officio maledicit
maior est eo, cui maledicitur: Liquido constat eum, qui
ab integritate Catholicæ fidei recedit, maledicendi, vel
benedicendi potestate minime habere. Catholicum
nanque, utpote se superiorem maledicere non valet, in
alicum à fide, tanquam in sibi æqualem, sententiam da:
re non potest. Hæc Gratianus. Et Beda super Matthæum

Beda. ait: Quicunque ab unitate fidei, vel societatis Petri
apostoli quomodolibet se ipsos segregant, tales nec à
vinculis peccatorum absoluunt, nec ianuam possunt re-

Ambro. gni cœlestis ingredi. Beatus Ambrosius ait: Dominus
par ius, & soluendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque
pari conditione permisit: ergo qui soluendi ius non ha:
bet, nec ligandi habet. Et infra. Certum est, quod eccles:
iae utrumque licet, hæresis utrumque non habet. Hæc
Ambrosius. Et habentur in capitulo: Verbum Dei. de
penitentia, distinctione prima. Et beatus Augustinus

August. super Ioannem dicit, quod claves ligandi, atque soluen:
di sunt datæ ecclesiæ in Petro, sic dicens: Petrus quan:
du claves accepit, ecclesiam significauit. Ex quibus aper:
tissimè colligitur eum qui extra ecclesiam est, nullam ha:
bere ligandi aut soluendi potestatem. Cyprianus in

Cyprian. quadam epistola ait: Qui nec unitatem spiritus, nec
coniunctionem pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo,
& sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem
potest habere, nec honorem, qui Episcopatus, nec uni:
tatem voluit hacere, nec pacem. Hæc ille. Et habentur
in capitulo. Nouatianus. sexta. quæstione prima. Et in
alia Epistola, quæ est ad Magnum iterum sic ait: Dicte
mus omnes omnino hæreticos, & schismaticos nil has:
bere potestatis & iuris. Hæc ille. Et habentur in capite:
Didicimus. vigesimaquarta. quæstione prima. Accedit
ad hæc omnia, quod nullum hucusque ecclesia condidit
decreta, per quod expresse statuerit Papam hæreticum
esse ipso iure depositum, aut per quod præceperit esse de:
ponens

ponendum. Quod certè non euenisset; nisi quia Papam: qui hæreticus fieret, iure diuino priuatum esse intellexit: & ideo noluit actum agere. Non est certè credendum ecclesiam, quæ tam sollicita semper fuit de separatione hæreticorum facienda, ne sua communione aliis nocere possint, nihil hucusque de Papa hæretico faciendum dei creuisse: cum ille tanto plus quam cæteri omnes hæretici ecclesiæ nocere potest, quanto ille maiorem haberet potentiam ad nocendum, & quanto cæteri Catholicini: nus illum reformidarent quippe quem debent habare sacerdoti magistrum. Si quis inhi obiiciat capitulum illud.

Si Papa distinctione quadragesima. facillimè respondebo, quod textus illius capitulo & si sit sancti viri & martyris, non est tamen hominis, qui leges toti ecclesiæ prescribere potuisset. Quo sit, ut verba illius licet sint velut quoddam hominis sancti consilium accipienda, non sunt tamen pro decreto obligatorio tenenda. Nec verba illa obligationem aliquam habere, putandum est quia sunt in corpore decreti inserta: nisi forte quis ostendat totum Gratiani decretum esse per sedem Apostolicam approbatum, & omnia quæ in illo continentur, sint observari mandata. Quod tamen nunquam factum est.

Cum ergo ex his omnibus tam evidentissimis rationibus consuet Papam effectum hæreticum esse iure diuino priuatum dignitate Papali, inde etiam constat illum, qui depositus est, esse subiectum omni ecclesiasticae censuræ quæ contra hæreticos est à iure lata, sicut quilibet alias hæreticus. Non tamen ob hoc fallit regula juris quæ dicit: Pater parem ligare non potest. Non quidem propteræ quod Papa hæreticus sit minor quolibet Catholicus, ut supra retulimus glossam dicere, in capitulo.

Achatius. vigesimaquarta quæstione prima. Sed inde hoc euenit quia effectus hæreticus iam definit esse Papa, ac proinde excommunicari potest, & alias penas subire cogetur, quæ sunt à iure hæreticis decretæ. Si tamen Papa manerer, illis non esset subiectus. Propter quod meritò suprà diximus huins causæ definitionem esse à iure diuino, & non ab humano petendam.

RESPONDET VR RATIONIBVS
quæ obiciuntur ab his qui contrariam
tuentur opinionem.

Cap. XXIII.

Quoniam evidenteribus (ut existimo) argumentis probauerim in precedenti capitulo, Papam si hereticus fiat, eo ipso esse dignitate Papali iure diuino priuatum, necessarium tamen existimauit, respondere argumentis eorum qui contrariam tuentur sententiam, ut illorum debilitate clarissime ostensa, vel inde nostra sententia veritas firmius roboretur, clariusque intelligatur. Et primum omnium argumentorum, velut totius acies Antesignanum proponam, illud quod aduersarij putant esse tam validum atque forte, ut nemo illi obsistere valat. Sic enim argumentantur. Episcopus si hereticus fiat, non est eo ipso ex iure diuino sua dignitate priuatus, ergo Papa quoniam hereticus sit, non est eo ipso ex iure diuino dignitate Papali priuatus. Consequentiam dicunt esse notam, quia (ut dicunt) Papa non est peioris conditionis quam quivis alius Episcopus. Antecedens probant de Episcopo qui in mente sua habet heresim cum pertinaciter adheret, & nunquam illam exterius manifestauit. Hic enim (ut asserunt) vere & propriè est hereticus, & tamen non est eo ipso priuatus Episcopatu. Quia illam Episcopalem potestatem (ut inquiunt) Episcopus habet ex sola humana aut ecclesiastica commissione.

Et hoc dicunt esse certissimum ex consensu omnium Catholicorum doctorum, iuxta illud beatissimi Leonis Papæ, in cap. Ita Dominus, decimanona distinctione. Ita Dominus huius muneris sacramentum, ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hæc ille. Et inde quasi ex certissimo quodam assumpto colligunt Episcopum qui in heresim mentalem pertinaciter lapsus est, non esse præuatum Episcopatu: quia ecclesia non potest auctibus animæ interioribus penam aliquam infligere. Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis in suo illo opusculo de autoritate

Leo Papa
primus.

ritate Papæ & conciliij cap. 19, multis prolixisque verbis
 hanc facit argumentationem, quam ille ianti facit, ut dicat intellectum suum per illam fuisse victum ad censem.
 dum Papam si labatur pertinaciter in haeresim non esse
 ipso iure diuino priuatum dignitate Papali. Sed miror
 certè quod homo tantus, & qui multò fortioribus argu-
 mentis alioqui cedere non soleat, nunc à tam debili argu-
 mento cuius multa refellere posset, fateatur se victum.
 Crederem ego potius intellectum suum ab affectu ma-
 gis quam ab hac argumentatione fuisse deuictum. Nam
 consequentia illa est mala qua probat Papam hereticum
 non esse iure diuino priuatum dignitate Papali, per hoc
 quod Episcopus hereticus non est iure diuino priuatus
 Episcopatu. Potuit quidem fieri ut Deus de Papa hoc sta-
 tueret, & non de ceteris Episcopis, præsertim quod causa
 tanti discriminis est notissima : quia videlicet Papa plus
 roti reipublicæ Christianæ nocere poterat, quam qui quis
 alius Episcopus, si vterque illorum esset hereticus. Ob
 quam causam recte potuisset Deus Papam hereticum pri-
 uare, alio quo quis Episcopo heretico non priuato Neque
 ob hoc censenda esset Papalis dignitas peioris condicio-
 nis, imò multò melioris, quoniam non permitteret se-
 cum haeresim sicut dignitas Episcopalis. Deinde assu-
 ptum in illa consequentia falsum est, videlicet quod Epis-
 copus hereticus non sit iure diuino priuatus dignitate
 Episcopali : quoniam idem de Episcopo censeo dicen-
 dum esse quod de Papa. Ut autem hoc suum assumptum
 probet, aliud assumit, quod certum esse putat, & ex om-
 nium sacerdotum Doctorum sententia procedere dicit,
 Episcopalem videlicet potestatem aut iurisdictionem esse
 ex hominis aut ecclesiæ commissione, & non à Deo:
 sed hoc antecedens ab illo assumptum falsum est, & ipsa-
 met falsitate falsius, & contra omnium Doctorum sacro-
 rum sententiam, & contra verba illa Leonis quæ ex di-
 stinctione 19. citat. Quoniam & si ritus consecrationis
 Episcopi sit ab ecclesia statutus, potestas tamen Episcopa-
 lis iurisdictionis non ab homine sed à Deo est illis con-
 cassa. Omnes enim sacri Doctores docent Episcopos suc-
 cedere Apostolis, pro qua re plurima potuissem afferre
 testimonia, quæ prudēs omitto, ne prolixitate nimia gra-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

uarem lectorem. Si quis tamen ea videre desiderat, reperi-
et in opere illo quod aduersus omnes hæreses ædidi, in
titulo, Episcopus quo loco multa pro hac re sanctoru[m] do-
ctorum testimonia coaceruauit, & ideo nolui hic repetere
ne actum agerem. Vnum tamen ex concilio Florentino
hic citare non prætermittam, quod illic nescio quo casu fuit
a me relatum. Concilium Florentinum certa fidei regu-
lam Armenis describens, quoniam de sacramento confirmatio-
Concilium nis differit, hæc verba ait. Ordinarius minister est Epis-
Florentinū, copus. Et cum ceteras vñctiones simplex sacerdos valeat
exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia
de solis Apostolis legitur (quiū vicem tenent Episcopi)
quod per manus impositionem Spiritum sanctū dabant.
Hæc concilium Florentinum. Apostoli autem (vt aper-
tissimum est) a Deo. & non ab homine vlo, fuerunt ordi-
nati Apostoli & Episcopi, ut ex multis scripturæ sacre lo-

Ioan.20. cis constat. Sicut misit me Pater (inquit Christus) & ego
mitto vos. Et Mat.1. & Marc.3. & Luc.6. Expressè docetur
Christum illis tribuisse apostolatus officium. Et hoc ip-
sum post mortem iterum confirmavit, quando illis prece-
pit ut euntes in mundum vniuersum prædicarent euangeli-
gium omni creaturæ. Deinde potestatem iurisdictionis
omnibus Apostolis concescit, quādo omnibus illis simul

Mat.18. iunctis dixit. Quaecunque alligaueritis super terrā, erunt
ligata & in celo, & quæcunque solueritis super terram, erūt
soluta & in celo. Nam per illa verba (ut omnes sacri Do-
ctores farentur) Christus concessit Apostolis potestatem
excommunicandi, quæ sine aliqua iurisdictione esse non
potest. Si Christus Apostolis dedit potestatem prædican-
di Euangeliū, & potestatem ligandi & soluendi, & Epis-
copi successerunt in locu[m] apostolorum, consequens est ut
Episcopi etiā haberant a Deo & non ab homine has om-
nes potestates. Nam hac sola, & efficacissima ratione pro-
bamus contra hæreticos Episcopum Romanum esse ceteris
omnibus Episcopis superiorē, quia Petrus apostolus fuit
reliquis Apostolis superior, cuius Romanus Episcopus
successor esse comprobatur. Quo sit, ut necessariū sit Ro-
manum Pontificem eadē autoritate super ceteros Episco-
pos pollere, qua Petrus supra reliquos polluit apostolos.
Eadem igitur consequentia colligere oportet eadē po-
testatem,

testatem, quanvis, non tam latam, ex iure diuino com-
petere Episcopis, quæ fuit Apostolis data : quia illi sunt
istorum successores. Præterea Episcopis iure diuino com-
petit ecclesiæ regimen. Nam Paulus Mileti existens, con-
uocatis ad se ex Epheso Episcopis, dixit: Attendite vobis Act. 20.
& vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Epis-
copos regere ecclesiam Dei, quā acquisiuit sanguine suo.
Ecce vides Episcopos ad regimen ecclesiæ datos, non ab
homine sed à Spiritu sancto. At regere non valet qui nul-
lam habet potestatem iurisdictionis. Ergo Episcopi qui
à Deo ad regimen ecclesiæ sunt instituti, ab illo etiam ha-
bent iurisdictionis potestatem. Fateor quidem hæc Epis-
copatum diuisionē, qua quisq; Episcopus suos habet pe-
culiares subditos, iure humano introductam esse : & me-
ritò ad euitandam confusionem, & euitadas etiam dislen-
siones, quæ facile oriri poterant nisi talis diuisione facta fu-
isset, qua suas quisque posset agnoscere oues, & ab alienis
abstinere. At quod Episcopus potestatem iurisdictionis
habeat, ex solo diuino pendet iure, non humano. Ex iure
diuino hanc habet potestatem factus Episcopus, sed iure
humano fit illi hæc potestas determinata circa has aut il-
las oues commissas, quæ aliquando est latior aliquando
breuior, penes hoc solum quod plures aut pauciores sub-
ditii illi tribuuntur. Et si contingat ob aliquod crimen
Episcopum à Papa priuari Episcopatu suo, quod ille ob
multa crimina rectè facere posset tunc Episcopus erit pri-
uatus subditis, in quos iurisdictionis potestatem exerceat
possit, sed non erit priuatus ea iurisdictionis potestate
quam in sua consecratione accepit. Quemadmodum di-
ceremus de sacerdote habente beneficium, si priuetur be-
neficio, qui absoluere non potest, non propter defectum
potestatis, sed quia non habet subditum, supra quem illa-
lam exerceat. Accedit ad hæc omnia, quod quando Epis-
copi eliguntur & confirmantur, nulla fit illis ab eccles-
ia commissio iurisdictionis : quod quidem non omis-
set ecclesia facere, si hæc ab illa iurisdictionem Episcopos
habere putaret. Verum quia pro constante habet ecclesia
Episcopos postquam electi & confirmati fuerint, ex iure
diuino habere iurisdictionem super populum illis com-
missum, ideo nunquam hoc illis committere curauit.

Demum, verba Leonis Papæ quæ pro se Caietanus citavit, discutiamus; & ex illis patebit clare, beatum Leonem nostrum confirmare sententiam, tantum abest ut Caietano illius verba fauere possint. Sed ut clarus verus illorum verborum sensus pateat, capituli illius initium acepere oportet, cuius hæc sunt verba. Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, ut veritas quæ antea legis & Prophetarum preconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramentum, ita Dominus, ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocret, ut ab ipso quasi à quodā capite dona sua velut in corpus omne diffunderet ut exortē intelligeret se diuini ministerij esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

Hæc Leo Papa. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod ait dominum voluisse, ut illa dona ad omnium Apostolorum officium pertinerent. Si ex domini voluntate habent, non ergo ex sola Petri commissione, Deinde ait dominum Iesum Christum, & non Petrum, hæc ministerij dona in totum ecclesiæ corpus diffundere; sed ordine quodā, ita ut ab ipso Petro quasi à quodam capite faceret initium. Quod ideo beatus Leo dixit, quia prius Christus saluator noster hæc dona Petro, & postea aliis Apostolis concessit. Nam Petro facta concessio describitur Mat. 16. cap. quæ autē aliis Apostolis data est, ab eodem Euangelista refertur. 18. cap. Ex quo ordine colligere vult beatus Leo aliorū Apostolorum autoritatem quanuis datam à Christo, esse tamen subiectam Petro, & tanti illos habere autoritatem illam, quā diu vniuntur illi capiti suo, & quādiu illi ecclesiastici edificij fundamento innituntur, à quo si separantur, sicut non pertinent ad Christi ecclesiam quæ super illud fundamentū edificata est, ita eo ipso amittunt omnem quā habebant ecclesiasticam iurisdictionē. Ioānes de Turre cremata licet in principali huius disputationis capite nobiscū sentiat dicens Papam effectū hæreticum esse ipso iure diuino proutū dignitate Papali, tamen in hac disputatione præsenti nobis

repu-

repugnat dicens Apostolos non à Christo : sed à Petro esse Episcopos ordinatos. Pro qua re in libro secundo sue summæ de ecclesia, capite. 32. multo citat ex iure canonico textus , qui nec tantillum suam possunt confirmare sententiam, ideo prolixitatem vitare cupiens illos omittere decreui, præse tim quod res hæc non est hic à nobis primo intenta, sed obiter oblata . Sed opus est iam ut aliis partes illius primæ & præcipuæ argumentationis à Caietano factæ, discutiamus & examinemus quid veritatis ille contineant. Dicin eum qui hæresim mente concepit & illi pertinaciter adhæsit, quam nullo actu exteriori manifestauit, esse verum hæreticum. Hoc illi negare contendit Albertus Pighius lib. 6. Ecclesiastice Hierarchiæ ca. 16. In iustè tamē id facit quoniā & si hæresis ad electione voluntatis (ut ille dicit) procedat, non est ideo necessario consequens ut exterior oris prolatio requiratur ad perfectū hæreticum efficiendum. Nam in aliis peccatis quæ magis à voluntate pendent quam hæresis, quæ in intellectu collocatur, sola voluntatis electio sine villa exteriori operatione sufficit ad perfectā peccati rationem efficiendā. Quo sit, ut idem prorsus de hæresi & hæretico sit necessario dicendum : quia non constat quod hoc potius ad hæresim quam ad alia peccata requiratur. Propter quod illi qui dicunt Papam si in hæresim labatur, esse iure diuino priuatū dignitate Papali, hoc idē dicendum putant, si in hæresim mentalē labatur, quia illum non minus hæreticum esse putant quam alium. Nec ideo nos dubios futuros esse dicunt & incertos circa ea quæ à Papa sunt, quoniā & si illius fides interior nō sit nobis nota, tamen quandiu illius infidelitas nobis non patet, semper illum tenemur reputare fidelem. Quia (ut ait regula iuris) quilibet presumēdus est bonus, donec probetur contrarium. Negant etiā confusionē totius ecclesiæ inde gigni turbādo totum ordinem ecclesiasticum, reputando Episcopos aut presbyteros qui non essent: quoniam Deus qui ecclesiæ velut sponsæ suæ curam habet, illi prouideret de remedio . Sicut si aliquis non baptizatus ordinaretur presbyter, sicut aliquando contigisse constat ex titulo , qui de hac re inscribitur in decreta libis, & ille postea efficeretur Episcopus, & tandem Papa, & multos consecraret Episcopos, & ordinaret sa-

cerdotes, tunc ille sicut non esset sacerdos, ita nec Episcopus, nec Papa, quamvis ut talis reputaretur. Quo euentus necessaria est et confusio ordinum ecclesiasticorum. Crendum tamen est (ut beatus Thomas in. 4. sent. dist. 24. docet) Deum tunc subuenturum ecclesiae, daturumque illi conueniens remedium. Sicut olim quando mulier sexum mentitur masculinum, in Papam electa & pro tali per aliquot annos reputata est. Ita etiam nihil obstat, ut putant, ut Papa in hæresim mentalem lapsus, sit dignitate Papali priuatus, quamvis oportet illum tunc velut Papam venerari. Quoniam ne ecclesia in huiusmodi Lazarynthos incideret, Deus illi de remedio prouidebat. Ita respondet Turre cremata libr. 4. sua summa parte 2. cap. 20. Posset tamen dici, & forte melius satendo illum, qui in hæresim mentalem lapsus est, esse hæreticum, sed non tam, ut propterea iure diuino sit eo ipso priuatus dignitate Papali. Dicitur enim fidem interiorem non esse necessario requisitam ad dignitatem Papalem, sed satis esse exteriorem fidei confessionem: quam qui habuerit, quamvis fide interiori careat, poterit dignitatem Pontificiam quam habebat conseruare. Et huic sententiæ fauere videtur Glossa super illa verba, super hanc petram & dislocabo ecclesiam meam, quæ illam vocem petram, exponit non per fidem, sed per fidei confessionem. Quibus verbis innuere videtur Pontificia Petri & successorum eius dignitatem, super solam fidei confessionem fundaram esse. Et si res ita se habet, oportebit necessario dicere, solum hæreticum exteriori siue manifestum esse ex iure diuino priuatum Pontificia dignitate, & non hæreticum occultum qui intra cordis sui latebras hæresim suam recludit. Et huius dis criminis posset dari causa: quia hæc Pontificiam dignitatem, non ad ipsorum Pontificum honorē, sed ad plebis utilitatem Deus instituit. Et inde euenire necesse est, ut quanto quisque magis reipublicæ Christianæ nocere potest, tanto magis sit ille censendus indignus: & eo magis contrario sit tollerandus, quo minus poterit ecclesiæ incommodare. Cum igitur ille qui hæresim in corde suo retinet, & nullo exteriori signo manifestauit, nihil per illam solam possit ecclesiæ nocere, Deus illum sua dignitate non priuat. Illum vero qui publice suam hæresim loquitur, qui est

per illam multū Catholicæ ecclesiæ nocere posset , Deus
 voluit vt eo ipso esset sua dignitate priuatus , ne sermo il-
 lius , qui teste Paulo , vt cancer serpit , à dignitate robur ac-
 cipiens potentius grassaretur . Sed pergamus adhuc vltra ,
 & alia in partē illius argumentationis à Caietano factæ
 examinemus . Dicit enim quod propter actum pure inter-
 iorem animæ , nunquā homo potest humanæ iurisdictio-
 ni subesse : quia Deus solus est qui intuetur cor , homines
 autem ea sola quæ foris patent , atq; ideo de solis illis iudic-
 are illi possunt , & per consequens illa sola punire . Hanc
 propositionem assumptam etiam illi negat Albertus Pi-
 ghius , qui cum Adriano docet & pro cōfianti tenet actus
 animæ interiores subesse iudicio humano . Ego tamen Al-
 berti aut Adriani opinionem amplecti nolo , sed hoc mihi
 cum Caietano conuenit , vt supra quin de excommu-
 nicatione differerem , aperte expressi . Ex his igitur om-
 nibus partibus iam examinatis & plene discussis , pessimam
 concinnauit Caietanus argumentationem . Nam
 & si omnes illas propositiones , quarum aliquas negauis-
 mus , illi gravis donemus , solum ex eis colligere licet , cæ-
 teros Episcopos propter solam mentalem hæresim , non
 esse eo ipso priuatos iurisdictionis potestate . Sed inde
 non sequitur Romanum Pontificem etiam non esse eo
 ipso priuatum sua dignitate Papali . Nam de cæteris Epi-
 scopis , etiam si omnia in argumentatione assumptra da-
 rentur , nihil probatum esset , nisi quod illi ex iure huma-
 no ob solam hæresim mentalem non sunt priuati digni-
 tate sua . Ut autem inde colligere valeret , Romanum Pon-
 tificem etiam propter solam hæresim mentalem non esse
 priuatum potestate Papali , oporteret probare , Romanum
 Pontificem etiam habere suā potestatem ex commissio-
 ne humana & non à Deo . Tunc enim bene colligeretur
 vt idem de illo esset censendum quod de aliis , quia illius
 actus interior etiam non subiiceretur iudicio humano , à
 quo potestatē accenerat . Aut oporteret addere in argumen-
 tatione Romanū Pontificem non esse subiectum iudicio
 diuino secundum actus interiores , quemadmodum alijs
 Episcopi non subduntur iudicio humano penes eosdem .
 Tunc etiā collectio illa esset bona . Quia sicut ceteri Epi-
 scopi per solam hæresim mentalē iure humano nō priuantur
 iurisdi-
 z. Ti. 2.

tur iurisdictionis potestate, et quod per illam non subdatur iuri humano: ita etiam oporteret Romanum Pontificem per solam hæresim mentalem non esse iure diuino priuatum potestate Papali, si ille per talem hæresim non esset subiectus iudicio diuino. Alioqui si haec duo subtrahantur ex illa argumentatione, sicut necessario sunt subtrahenda: quoniam iam fide credere tenemur Romani Pontificis potestatem esse non ab hominibus, sed a Deo, & illum per actus interiores diuino iudicio subditum esse, argumentatio illa nullius proorsus erit roboris aut momenti. Nam ex hoc quod ceteri Episcopi ob solam hæresim mentalem non sunt priuati ex iure humano cui subesse non possunt, inferre quod Romanus Pontifex ob solam etiam hæresim mentalē non sit priuatus ex iure diuino, cui est verè subiectus, tā mala est collectio, ut nemo sit qui non intelligat. Tam exactam feci de Caietani argumentatione examinationem, ut plane ostenderem quam debilis fuerit argumentatio, a qua intellectum suum deuictum fuisse fatetur. Hac igitur argumentatione, quam aduersarij p̄ omnibus estimant proorsus eneruata reliqua: quoniam debiliores sunt facile proster nemus. Secundo sic argumentantur, Rex aut Imperator si fiat hæreticus non est eo ipso ex iure diuino priuatus regno aut Imperio: quia constat multos in lege veteri fuisse Reges idolatrias & multos etiam fidelibus imperasse Reges infideles, de quibus ipsemet Deus ait. Ipsi regnauerunt & non ex me. Et iterum, dabo tibi Regem in furore meo. Ergo eodem modo Papa aut quivis alius Episcopus, quamvis hæreticus fiat, poterit fidelibus Catholicis praefesse. Respondeo, non esse eandem omnium illorum rationem, neque Imperatores aut Reges aut alios dominos seculares esse eadem lege qua prælati ecclesiastici, regendos. Quoniam tempore dominiū aut secularis potestas non habet profundamento suo cui innititur fidem: & ob hanc causam etiam si fides desit, possunt illorum dominia & potestates subsistere, siue fidelibus siue infidelibus dominentur. Nihil enim obstat, ut infidelis homo in rebus pure seculari bus possit fidelibus praefesse & illis dominari. Et idem dicendum puto de sacerdotio veteris legis, quod licet circa spiritualia versaretur, quia tamen non erat illi data fides.

des pro fundamento, illa seclusa consistere illud valebat, ita ut quainuis hæreticus fieret, non esset eo ipso sacerdo-
tio priuatus. At longe aliter se habet potestas ecclesiastica
in lege Euāgelica. Quoniā hæc fundata est super firmam
petram, hoc est, Catholicam fidem. Hac igitur euersa, ne-
cessitatem est, ut tota ecclesiastica potestas, quæ i. li innitebatur,
corruat. Quo fit, ut, licet in temporalibus & corporalibus
infidelis fidelibus præesse possit & dominari, in spirituali-
bus tamen infidelis supra fidelem nullā potest habere iu-
risdictionis potestatē. Tertio contra nos argumentantur
ex facto Marcellini, qui in horribili illa sub Diocletiano
feruente persequitione, carnificum violentia ad impia sa-
crificia pertractus succubuit, & Thura idolis adoleuit,
arisoq; iniecit: nec tamen ob hoc à Papatu deiectus est, sed
in eo usq; ad mortem perseuerauit. Huic argumentatio-
ni facilissime respondetur, negando Marcellinum Papam
fuisse hæreticum, quia licet in confessione fidei aduersus
parata & iam intentata tormenta satis constans non fuit,
tamen fidem quam mente tenebat, non amisit. At opus
exterius (ut supra capi. i. huius operis diximus) non est
hæresis: sed solus mentis assensus vel dissensus, quamuis
ex ipso opere vehemens aliquando oriatur hæresis suspi-
cio, ut ita illū mente credidisse meritò putetur, sicut suum
opus exterius demonstrat. Verum hæ suspitiones homi-
num sunt, qui de occultis certam non possunt dicere sen-
tentiam. Quod vero Marcellinus veram non amiserit fi-
dem, satis aperte conuincitur per id quod habetur in ca-
pite. Nunc autem dist. 21. Ibi enim dicitur, quod compul-
sus à paganis grana thuris super prunas imposuit. Si com-
pulsus, ergo non ex libera hoc fecit voluntate, sed ut tor-
menta vitaret. Tormenta autem faris vitabat per so-
lum opus exterius, sine errore intellectus: quia gentiles
quibus solis tunc placere curauit, non interiorem mētis
fidem, sed opus exterius cernere poterant. Deinde, & si
gratis daremus illum tunc perdidisse fidem, non tamen
ideo censendus est hæreticus: quoniam defuit illi pertina-
cia, quæ summe necessaria est, ut quis meritò dicatur hæ-
reticus, ut habetur ex capi. Dixit Apostolus. 24. q.: Mar-
cellinus siquidē ad cor reuersus, & sui delicti acerbissime
penitens, in publico Episcoporum concilio suam incon-
stantiam

stantiam confessus est, & libens iudicio se subdidit facer-
 dotum, qui humilem illius aspicientes confessionem, nul-
 lam in illum autem sunt dicere sententia. Quarto loco com-
 tra nostram sententiam argumentantur aduersarij, per il-
 lum quod dicitur in cap. Cum ex iniuncto, de hereticis, ad
 quæ pertinet institutio alicuius, ad eundem spectat destitu-
 tio eiusdem. Ex quibus verbis colligere volunt Papam, si haec
 hereticus, esse ab hominibus deponendum, & non esse ex
 iure divino depositum: quia cum ab hominibus eligatur,
 oportet ut etiam ab illis deponatur. Hoc argumentum est
 tam debile, ut indignum sit cui debeat dari illa responsio.
 Nam regulam illam, quæ ad coercendos temerarios ho-
 minum ausus à iure statuta est, ad diuinam potentiam
 accommodare volunt, tanquam si illa aliquid quod non li-
 ceret, intertaret, & ob id certis limitibus ab humano iudi-
 cito statutis, esset cohibenda. Quis quæso homo Cat-
 holicus est, qui hanc non irrideat consequentiam? Papa
 eligitur ab homine, ergo non potest deponi à Deo. Et
 multò magis ridendus erit qui illam probare perget per
 illam regulam iuris, ad quem pertinet institutio, pertinet
 destitutio. Deinde, & si gratis illis demus regulam esse
 ubique veram, non tamen eo sensu quo ab illis accipitur.
 Nam regula illa (ut ex decursu illius Capituli facile con-
 stare potest) in hunc sensum data est, quod nullus inferior
 potest destituere illum qui à superiore institutus est, & in-
 de argumētatur Papa quod presbyter si malus fuerit, non
 est à plebe quæ supra illum nihil penitus habet potestatis,
 sed ab Episcopo qui illum instituit, deponēdus. Et ita con-
 cederem ego Papam, qui à Cardinalibus electus est, non pos-
 se ab alia potestate ipsis Cardinalibus inferiore, deponi.
 Sed nunquid ex illa regula colligere licet, ut institutus
 ab aliquo non possit à superiore destitui? Minime. Nam
 sacerdos ab Episcopo ad curam animarum institutus, potest
 per Papam ab eadē cura deponi: immo etiam ab Archiepisco-
 po Metropolitano, si causa propter quam merito deponen-
 dus est, sit ad Archiepiscopum devoluta. Cum igitur re-
 gula illa concedat institutori alicuius, potestatem depo-
 nendi illum, eo ipso eandem potestatem concessisse videtur
 cuicunq; habenti plenā super institutorem potestatem. Et
 inde sequitur (volo quidem iuxta præfata regulam loqui)

vt Deus

vt Deus qui Cardinalibus & tota ecclesia superior est, posuit voluntate sua & iure a se edito destituere Papam qui a Cardinalibus fuerit electus. Destituit autem ille haereticum a Papatu, quando firmissimo de creto statuit ecclesiam suam fundari supra fidem, aut supra apertam fidei confessionem. Quinto argumentantur aduersarij contra nos, per hoc quod Episcopi in haeresim pertinaciter lapsi, si ad fidem redeunt, ad suas restituuntur dignitates. Igitur enim est ergo quod non fuerant illis priuati, alioqui oportet nos uam facere electionem. Antecedens probat per cap. Maximum. i. q. 7. Et inde arguunt ut idem de Papa haeretico dicendum sit, quia si ille ad fidem rediret, non reelegretur, sed in pristina dignitate conseruaretur. Et hanc etiam argumentationem magni aestimat Caietanus, quae tamen (ut verum loquar) nihil me mouet. Fateor quidem haereticos Episcopos quando ad ecclesiæ unitatem redeunt, solere recipi ad sedes suas: quanquam hoc male probat Caietanus per illud cap. Maximum. i. q. 7. Quoniam Maximus sile, de quo ibi est sermo, posquam ab heresi Donatistarum ad ecclesiam redierat, ordinatus fuit Episcopus: in quo gradu existens non fuit lapsus in haeresim. Sed quia male, & contra ecclesiasticos canones, ex laico sine ullo tempore interuello in minoribus ordinibus seruato, ordinatus fuerat Episcopus: ideo dubium erat, an in Episcopali dignitate manere deberet. Cui questioni Papa Leo respondet, quod licet reprehensibiliter ordinatus, ab Episcopali tamē dignitate non repellatur, dummodo libellum ad Papam mittat, quo Catholicum esse testetur. Itaque cap. illud nullo pacto nostro seruit proposito. Quod facile constare poterit legenti epistolâ Leonis 8, cuius cap. 3, sumptum est illud cap. Maximum & cap. Donatum. Multum certè interest an ipsas origines legas, an centones illarum male dilaceratos. Hoc, quod Caietanus probare vult, multò melius probabaset per cap. conuenientibus. I. q. 7. quod ex actis septimæ synodi, quæ fuit secunda Nicæna, sumptum est. Illic enim decretum est, ut Episcopi, qui à fide Catholicâ defecerant, resipiscentes in suis sedibus tunc recuperentur. Sed hoc non ex necessitate iuris: sed ex quadam misericordiæ dispensatione, factum est, ut apertissime constat per cap. si quis haereticæ. i. q. 1. Nam & si Episcopi haeretici sint iure

iure diuino sua Episcopali dignitate priuati, ecclesia tamen ex rationabili causa disp̄sat aliquādo, vt reuersis ad fidē dignitates prīi inā restituātur. Et talis restitutio pro noua electione, aut noua prouisione habēda est. Nec mirari quisquā de hoc debet; quoniā idein in aliis multis necessario dicendū est. Clericus enim homicida eo ipso, q̄ cōmisit homicidii, incurrit irregularitatē, & est priuatus beneficio, quod habebat, si tamen ex quadā misericordia per Papā cum illo dispensetur, & beneficium illi restituatur, talis restitutio prō noua collatione æstimāda est. Sexto nobis obiiciūt cap. Audiuimus. 24. q. 1. vbi de Episcopo hæc dicuntur. Si autē in corde nouā hæresim cōfinxit, ex quo talia prēdicare cōp̄it, neminē dānare potuit. Ex quibus verbis inferre volūt, quod antequā Episcopus hæreticus prædicet, aut doceat, excommunicare, & dānare potest, & inde euidentissime colligitur, vt nō eo ipso quo fatus est hæreticus, sit sua dignitate priuatus. Hic argumētandi modus est debilissimus: quia per hoc, q̄ vnum negatur, non est necessarium, vt dicamus aliud concedi. Deinde verba illa modo citata non sunt Alexandri secundi, cuius est illius ca. initium. Nam ab illo loco: Sin autem ex corde suo &c. verba sunt Gratiani, & inde exorditur secundā partē illius questionis. Autoritas Gratiani non est tāti ponderis, vt me premere valeat, & à sententia mea discedere me cogat: præsertim cūm tā multa ille alibi doceat, in quibus est ille ab omnibus necessario deserendus. Si tamē præfata Gratiani verba gratis recipere volumus, superiori illi sententiæ fauere poterunt, qua probabilit̄ diximus mentalem hæreticum non esse iure diuino depo situm: quia (vt in responsione primæ argumētationis probabile esse diximus) fundamentū super quod ecclesiastica potestas fundatur, nō est sola fides interior; sed exterior fidei confessio. Sed quia per hoc oporteret dicere, illum, qui exteriori fidei confessione caret, esse ipso iure priuatum, quod nos aperte negauimus cū de facto Marcellini Papæ disseruimus. Ideo melior mihi videtur sententia, mētalem hæreticum esse etiam ipso iure priuatum. Si cui tamen magis probetur alia sententia, dicere poterit Marcellinum quāuis fidem mēte retinuerit, propter exteriorem infidelitatem eo ipso fuisse ex iure diuino sua dignitate priuata.

priuatum: cum tamen à toto concilio, coram quo suam culpam confessus est, toleratus fuit, eo ipso tacitis suffragiis fuit iterum in Pontificem summū electus. Hæc sunt omnia, quæ ab aduersariis contra præfaram nostrā opinionem obici solent: sunt tamen quædam alia per me excogitata, quæ paulò magis vrgere mihi videntur, quibus respondere etiā decreui, ut inde nostræ sententie veritas clarius omnibus innotescat. Prima, quæ mihi se offert argumentatio, oritur ab estimatione duarum potestatum ordinis, & iurisdictionis inter se comparatarū. Multò enim præstantior, atq; nobilior est potestas ordinis, quam potestas iurisdictionis: sed potestas ordinis non habet fidem pro fundamento, nec illam exigit ad sui consistentiam: ergo potestas iurisdictionis, quæ minor est, non habet etiam fidem pro fundamento, neque illam ad sui consistentiam necessariō requirit. Et inde euidenter colligitur illā per hæresim minimē perdi. Ex quo aperte sequitur nec Papam, nec Episcopum, eo ipso, q̄ factus sit hæreticus, suam amittere dignitatem. Consequentia huius argumentationis videtur nota per locū à maiori ad minus negatiue. Minor etiam est manifesta ex his, quæ supra diximus cap. 21. huius lib. quia potestas ordinis non fundatur, nisi in charactere sacerdotali, & inde deducitur, q̄ sacerdos etiam si fiat hæreticus, nunq̄ potest illam amittere. Maiorem istius argumentationis, quæ fortè alicui magis neganda videbitur, probo: quia potestas ordinis est supra corpus Christi verum, potestas autem iurisdictionis nō est nisi supra corpus Christi mysticum. Præterea potestas ordinis: quia tanta est non nisi à Deo dari potest, cum tamen potestas iurisdictionis sæpe ex hominum pendeat voluntate. Et hinc alia oritur excellētia in potestate ordinis supra potestatem iurisdictionis: quia potestas ordinis est indelebilis, & minime amisibilis, potestas verò iurisdictionis sæpe deperditur. Accedit ad hæc, q̄ si quis non sacerdos habeat beneficium, cui est annexa animarum cura, eo ipso habet potestatē iurisdictionis, qua tamen non obstante, ille dignitate minor censendus est, quam quiuis alius sacerdos curam animarum non habens. Quod non aliunde euenire potest, nisi quia ordinis potestas præstantior est, quam iuris-

ditionis. Respondeo fatendo potestatem ordinis absolute nobiliorem, & digniorem esse potestate iurisdictionis, quia circa multò præstantius obiectū versatur, quam illa, quia (ut recte dictum est in argumentatione) hęc circa corpus Christi verum : illa vero circa solum corpus Christi mysticum versatur. Si tamen duæ illæ potestates ad populum, propter quem solum à Deo instituta sunt, referantur, multò maior cognoscetur esse potestas iurisdictionis, quam ordinis: quia per illam multis de causis magis prouidetur populo, quam per aliam. Nam per illā docetur populus in fide, & moribus. Ab illa, qui ignoras est doctrinam petere debet : prout Dominus per Malachiam prophetam testatur, sic inquiēs : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requiriunt de ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Per potestatē iurisdictionis conseruatur pax in populo, iustitia retinetur, suum cuiq; ius datur, vitia coercentur, mali populi mores corrigitur: quidquid deniq; boni in ecclesiastica repu. est, sine hac potestate facilē laberetur, & si quid mali est, sine illa facilius augeretur. Nihil horum ad ordinis potestatē spectat. Quò sit, vt per potestatem iurisdictionis magis prodesse posit, qui illam habet, si sit bonus: & magis obesse si sit malus. Ob hanc igitur causam Christus Salvator noster potestarem iurisdictionis statuit supra fundatum fidei, ne fide careret, cui ex officio incumbere debet, alios fidem docere, & errantes ad fidem reuocare. Potestatem vero ordinis : quia nulla illi ex necessitate iniungitur populi doctrina, aut disciplina, noluit idem Salvator noster supra fidem fundare, neq; fidem ad illius consistentiam exigere. Quia quod per istam faciendū est, etiam fide seclusa, citra vnum aliorum incōmodum fieri potest. Secunda argumentatio, quæ mihi (ut ingenuo loquar) non paruum facescit negotium, est, quia hæreticus & si per hæresim perdat fidem, nō tamen eo ipso est prorsus ab ecclesia separatus: sed adhuc est pars illius corporis, & membrum eius: ergo adhuc stante hæresi poterit in se dignitatem Papalem conseruare. Quia quum non sit eo ipso ab ecclesia pr̄c̄sus, videtur, q; non sit etiā eo ipso potestate iurisdictionis priuatus, siue Episcopalis illa sit, siue Papalis. Quod autem hæreticus non sit eo ipso

Ipsò prorsus ab Ecclesia præcisus : sed sit adhuc pars, & membrum illius, inde apertissime conuincitur, qd adhuc subest iudicio ecclesie : quia ab illa punitur, & variis ab illa affigitur poenit. Hoc autem Ecclesia non faceret, nisi intelligerer hæreticum esse intra illius gremium, esseque aliquā illius quāuis puttidam, partem. Nam Paulus ait: x. Cor. 5.
Quid mihi de his, quæ foris sunt iudicare. Et iterū alibi:
Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Fateor quidem
 & (meo quidem iudicio) negari non potest hæreticum
 esse partem Ecclesiæ, & membrum illius, & non esse om-
 nino ab illa separatum: quia & si fidem non habeat, ha-
 bet tamen characterem baptismalem per quē primo fa-
 ctus est membrū Ecclesiæ, quo durante semper erit mem-
 brum illius, vt habetur in ca. veniens. De presbytero nō
 baptizato. Sed licet sit membrum ecclesiæ, non tamē pos-
 test esse caput: quia quū caput sit principalius totius cor-
 poris membrum, multo plura ad caput, quam ad cetera
 membra requiruntur. Papa igitur si hæreticus fiat, iam
 non (vt ante) caput erit, sed pes, aut si quod est aliud in-
 ferius aut vilius membrum. Cæterum de punitione, quæ
 ecclesia hæreticum punit, paululum discernere oportet,
 & causam illius inuestigare. Et certe oportet fateri hære-
 ticum intra ecclesiam esse, ne dicamus illam de his, quæ
 foris sunt, iudicare. Nec tamen ob id solum illam hæreti-
 cos punire, dicendum est : quia illi characterem baptis-
 malem retinent. Nam hac ratione oporteret dicere hæ-
 reticum non posse, vita durante, esse extra iudicium Ece-
 clesiæ, quum semper habeat in se characterem baptismal-
 em. Quo concessu, necessario etiam fatendum erit, vt
 postquam Ecclesia hominem hæreticum tradidit secula-
 ri potestati ab illa puniendum, si potestas seculatis illum
 punire nolit, & illum liberum dimitrat, Ecclesia nihil o-
 minus adhuc illum hæreticum punire possit, & idē esse
 dicendum de presbytero degradato. Hoc tamen non est
 dicendum: quia Ecclesia per talēm hæretici traditionem
 & per degradationem, videtur luri suo renuntiare, vt ex
 verbis ipsius degradationis colligi potest, quæ habentur
Rom. 2.
In capite, Degradatio de poenis lib. 6. Ut autem causam
 huius punitionis ego aperte explicem, admoneo lectorē
 vt consyderet, qd cūm aliquis baptizatur tunc intrat Ec-

clesiam, sicut nouus aliquis colonus, qui recipitur in ciuitate. Quando autem aliquis sic in aliqua republica admittitur, ex ipsa natura receptionis initur quidam contractus inter ipsum colonum admissum, & re publica, ita ut colonus obligetur seruare leges, & statuta re publica, illi obedire, illi periclitanti subuenire, illius iudiciorum stare, & res publica tenetur illum in ea illæsum seruare, & a calumniatoribus protegere. Ut autem hic contractus rescindatur, non satis est alterius illorum voluntas, sed vtracq; requiritur: quia licet quilibet possit iuri suo renuntiare, non tamen iuri alterius, præsertim iuri iam acquisito. Si tamen respub. & colonus concordi voluntate postea conuenirent, posset colonus intra ciuitatem manere sine aliqua mutua inter illos obligatione, ita ut nec colonus obligaretur reipu. nec respu. colono. Inter baptizatum, & ecclesiam, a die baptismi est initus talis contractus: quia baptizatus ab illo die tenetur mores, leges & statuta Ecclesiae seruare, illi obedire, illius si deliquerit subire iudicium: & Ecclesia tenetur illum docere, sacramentis pascere, illum pro sua potentia protegere. Hæreticus se ab ecclesiae vniione segregans, licet hoc ipso visus sit iuri suo renuntiare: non tamen potest ecclesiam cui in baptismo se subdidit, iure suo priuare. Et ob hanc causam illum punire potest, quia obtinet ius quod super illum per illius baptismū suscepit. Cum Ecclesia aliquem degradat, aut hæreticum potestati seculari tradit, tunc iuri suo renuntiat. Quo sit, vt si potestas secularis illum non puniret, Ecclesia iam illum amplius punire non possit, quanvis sit intra ecclesiam & membrum illius ratione baptismalis characteris. Et si ille auxilium Ecclesiae post hoc imploraret, Ecclesia hoc illi dare non teneretur: quia ille suo iuri renuntiavit, & quanvis non renuntiasset, potest Ecclesia illum propter peccatum suo iure priuare.

AN TESTIS, QVI NOVIT ALIQUEM
esse in hæresim lapsum teneatur, quanvis non sit
requisitus, illum iudici manifestare, etiam ante
fraternam illius correptionem. Cap. XXV.

DE pœnis, que contra hæreticos iure canonico, & ciuili decretæ sunt, per multa cap. hucvsq; disserui-
sus. Sed quia illarum aliquas iudex licet id anxie opere
non

non potest hæretico infligere, propterea, quod illum esse hæreticum nescit: ideo opus est, ut testis, qui hæretici crimen nouit, illud iudici prodat, ut ille de crimine ceutor factus, posuit malum de medio tollere. & sic totā tempū seruare illæsam. Alioqui peccatum semper maneret impunitum: nisi esset testis, qui illud iudici reuelaret. Nam licet iudex per seipsum optime sciat alterius delictum, ut puta, quia ipso vidente ille commisit, non potest tamen iustè illum punire: nisi testis adfert, cuius testimonio illius peccatum constare possit. Quoniam iudex ipse non potest duarum diuersarum personarū officio fungi, ita ut simul sit iudex, & testis. Verum licet iudex peccatum, quod solus vidit, punire non possit, potest tamen inquirere an alius forte hoc idem sciat, quod ipse vidit: ut si alios esse, qui illud optime sciat inuenierit tunc illorum testimonio adiutus poterit illum punire. Sunt igitur ad iustitię executio- neum testes necessarii. Nam de ordine iudicij Deus loquens ait: Nō stabit testis unus contra aliquem quidquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore duorum, aut triū testimoniū stabit omne verbum. Quam legem Saluator noster apud Ioan. approbasse videtur. Ex quibus verbis aperte colligi tur verbum illud firmum in iudicio stare nō posse, quod & si verissimum sit: duorum tamē testimonio caret. Cum igitur testes ad iudicium recte ferendum sint non minus necessarii, quā iudices: sequitur inde testes pari necessitate teneri ad testimonium præbendum, ut iudices ad iudicium ferēdum. Peccaret quidē iudex, si requisitus in aliqua causa iudicium, & iustitiam facere contemneret, & peccaret etiam testis qui requisitus, aut à iudice, aut à quovis alio, cui suo testimonio prodesse posset, testimoniuū dicere recusaret: præsertim de re minime occulta, & quam non ille solo nouit. Nec solum peccat: sed si sua taciturnitate proximo nocet, tenetur ad recōpenſationem damni, quod suo silentio intulit, proximo faciendam. Nam eum, qui per taciturnitatem latronē occultat, Salomon in prouer. reum furti esse censet, sic inquiēs. Qui cum fure participat, odit animam suam, adiurantē audit, & non indicat. Quæ verba interpretans B. Hieron. in cōmentariis super prouerbia ait: Non fur solum: sed ille reus furti tenetur, qui furti conscius quærente posseſſore non indicat. Hæc ille. Sed

Deut. 19,

Ioan. 8,

Prou. 29,

Hieron.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

dubium est an testis non requisitus ab aliquo teneatus peccatum alterius, quod nouit, iudici reuelare, aut testificando, aut denuntiando ? De hac re non potest certa aliqua, & vniuersalis dari sententia: sed consideranda prius est criminis qualitas. Nam si crimen tale est, quod reipublica facilè nocere potest, tenetur illud vel per se, vel per alium iudici reuelare, siue illud publice nouerit, siue in secreto fuerit illi commissum. Bonum enim commune preferendum est bono particulari, & inde evenit, ut potius quisque prospicere debeat populi incolumenti, quam vnius hominis famam. Et de huiusmodi crimen intelligendum est id, quod

August.

Augu. ait: Qui veritatem occultat, & qui prodit menda: ciui. uterque reus est, ille quia prodebet non vult, iste quia nocere desyderat. Haec ille. Et hanc meam sententiam confirmo

S. Tho.

testimonio beati Tho. qui in Secunda Secundæ. q. 70. art. 1. in responsione ad secundum principale argu. sic ait: Circa ea, quæ aliter quam per confessionem homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quodque enim sunt talia, quod statim cum ad notitiæ venerint, homo ea manifestare tenetur, puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualis, vel corporalem, vel in graue danum alii cuius personæ, vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando, & contra hoc debitus obligari non potest per secreti commissum. Haec sanctus Tho. Alia autem crimina, quæ nec multitudo nocent, nec graue incommodum particulari personæ inferunt, non tenetur aliquis reuelare, presertim si illa in secreto fuerat illi commissa. Ex his omnibus apertissime colligitur eum, qui nouit aliquem esse hereticum, teneri ad revealandum illius crimen iudici competenti, etiam si de hoc non sit specialiter requisitus, & quamvis in secreto fuerit sibi anterior hæresis reuelata. Nam hæresis pestilentissimum est venenum, quod cito, & facilè maximam quamque potest inficere multitudinem. Propter hanc enim causam

a. Tim. 2.

Paulus de hereticis loquens dixit: Sermo illorum, ut cancer serpit. Potest etiam ad huius sententiae confirmationem non incongrue adduci id, quod Dominus olim de homine seductore, & ad idolatriam persuadente fieri præcepit sic inquiens: Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue

Deut. 15.

vxor,

VXOR, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, & seruiamus diis aliis nisi, quos ignoras tu, & patres tui cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul sunt ab initio usque ad finem terræ, non acquiescas ei, neque audias, neque parcas ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum. In quibus verbis id maximè annotandum est, quod si talia seductionis verba clam, & secreto dicerentur à seductore, Dominus tamen præcepit non esse illi seruandum secretum, sed illius crimen esse reuelandum, vt postea à populo lapidibus obrueretur. Cum igitur tanta necessitate, & obligatione constringatur testis ad reuelandum hæreticum, quāvis in secreto tibi notis, si illum quis magis filētio suo tegere, quā reuelare voluerit, præsertim si de testimonio dicendo fuerat, aut per singulare mandatum, aut per generale edictum requisitus, meritò erit ob hoc solum de hæresi adeò suspectus, vt iure illi possit canonica purgatio indicari, in qua & si bene se gerat punietur quidem, non vt hæreticus: sed vt negligens in reuelando id, quod reuelare tenebatur. Si vero in purgatione defecerit: ego censes illum tanquam hæreticum puniendum, quēadmodum si ob aliquā aliā causam fuisse violēta suspitione de hæresi notatus, & in purgatione illi à iudice, & iure indicta defecisset. Nā si is, qui latronem filētio occultat censetur furti reus, multo iustius est, vt qui hæreticū filētio regit, censetur de hæresi violenter suspectus. Error enim (vt B. Leo Papa ait) cui non contradicitur, approbatur. Et B. Paulus ait non solum eos dignos esse morte, qui malum faciunt: sed qui faciētibus cōsentient. Quē locū Glossa, quē dicitur ordinaria, interpretans dicit: Consentire est tacere, cū possis arguere. Et super illa verba L. euit. 20. Succidā omnes qui consenserunt ei, vt fornicaretur, ait Glossa. Consentientes, qui possunt accusare, arguere, vel monere, & non faciunt, non effugiunt iudicium. Hęc Glos. Vna tamen non parui momenti quæstio de hac re superest discutienda, quæ talis est. An testis, qui nouit aliquem hæreticum teneatur illum fraterna, & secreta correptione admonere, ante quam illius criminē iudici manifestet. Aliqua enim sunt, quē virge videtur, vt dicamus testē sub præcepto obligari ad hæreticum adinonēdum, antequā illius criminē iudici denunciet.

Mat. 18. Primo quidem: quia Saluator noster talem ordinem circa omnes sine ullo discrimine seruandum esse præcepit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripi eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testimoniū sit omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ.

Tit. 3. Præterea Paulus iubet hæreticum hominem post unam & secundam correptionem esse devitandum. Quibus verbis aperte docuit hæreticum hominem esse bis admonendum. & inde colligitur, ut ante talem admonitionem nemini liceat illum iudici reuelare. Rursum, talis admonitio hæretici est opus charitatis, & misericordiae: ergo testis cognoscens miseriā hæretici errantis tenetur illius miseriæ per suam correptionem subuenire. Collectio ista inde constat esse bona, quia (ut ait Sapiens) cuilibet mandauit Deus de proximo suo. Et certè, qui contrarium licere putat, præsertim in casu magnæ necessitatis, similis est Caim, qui interrogatus à Domino ubi eset frater eius Abel, respondit:

Eccle. 17. Nunquid custos ego sum fratris meis? Antecedens autem illius consequentiae probatur testimonio beati Iacobi dicentis: Fratres mei si quis errauerit à veritate, & cōuertere, quis eum scire debet, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suæ, saluabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum. Et inter tria eleemosynarum magna, quæ numerantur in cap. Tria. 45. dist. unum est delinquentes corrigere, & errantes in viam veritatis reducere, Sunt etiam ex opposito rationes aliquot non minus urgentes, quæ contrariae fauunt sententiae. Et primo quidem probatur non esse necessarium testi, qui optime nouit aliquem esse hæreticum, illum secreto ante denuntiationem admonere. Quia inter alia, quæ sacri doctores docent esse necessaria, ut quis teneatur fratrem peccantem corripere unum est spes emendæ ipsius peccatoris. Nam ad hunc finem dirigitur totus ille ordo correctionis fraternali à Christo Salvatore nostro in Euāgelio assignatus, ut scilicet per illum ordinem fratrem per peccatum perditum lucrari possumus. Si te auidierit (inquit ille) lucratus eris fratrem tuum. Ob hanc igitur causam ille corripi præcipitur, ut per correptionem ille

Gen. 4.

Iacob. 5.

Ille emendetur. Et inde sequitur, vt cum aliquis meritò desperat de emendatione peccatoris, non teneatur illum secreto corripere, aut fraternè admonere. Vana enim, & inutilis est correptio, & admonitio, de qua nullus merito potest sperari fructus. Ad vana autem, & inutilia nullus obligatur: quoniam qui arat (vt ait Paulus) debet in spe arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi. De nullius autem peccatoris hominis emendatione, iustius desperare licet, quam de emendatione hæretici: quoniam hæreticus habet pertinaciam criminis adiunctam, sine qua nullus dici potest hæreticus. Qui autem pertinax est, non est corrigi paratus: imò potius est paratus contradicere argenti, & corripieni. Eum igitur, quem apertè quis noscit esse hæreticum, non tenetur secreto corripere, aut fraternè admonere: quia hic talis (vt ait Paulus) subversus est, & suo ipsius iudicio damnatus. Tanta siquidem est multorum hæreticorum pertinacia, vt quo magis corripiuntur, eo peiores fiant: & quo magis de suo errore admonentur, eo tenacius suum errorem tueri procurant. Quo fit, vt propter ipsius hæretici comodum, etiam si nulla esset alia ratio, sit ab illius correptione, & admonitione cessandum, ne videlicet corruptus & admonitus deterior fiat. Et hanc sententiam confirmo testimonio Augustini, qui lib. 1. de ciuit. Dei cap. 9. sic ait: Si propterea quis obiurgandis, & increpandis male agentibus parcit: quia eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, confilium est charitatis. Hæc ille. Et iuxta hunc sensum intelligenda sunt verba illa Salomonis cum ait: Noli arguere derisorem, ne oderit te. Nam Glossa, quæ dicitur ordinaria verba illa exponens ait: Non est timendum, ne tibi derisor cum arguitur, contumelias inferat: sed hoc potius prouidendum, ne tractus ad odium inde peior fiat. Hæc in Glossa. Præterea ordo ille correctoris, aut fraternæ admonitionis à saluatore nostro præfixus (vt omnes Theologi simul & Canonistæ concorditer docent) non est seruandus circa peccatores illos, qui in perniciem reipub peccant. Quorum omnium sententia inde apertè constabit esse vera, si consideretur causa propter quam ille correptionis ordo seruari præcipitur. Causa enim propter quam illum correptionis ordinem

1. Cor. 9.

Tit. 3.

Prou. 9.

seruare oportet, est ut primo fama proximi, si possibile
 est, seruetur. Deinde si illa seruata, illius cœscientia sanari
 nō potest, præstat illius famam minui, quā conscientiam
 illius manere lassam, aut æ grām: quia bonum spirituale
 præferendum est bono corporali. Sed tunc quādo illius
 famam propter illius conscientiam minuere est necesse,
 paulatim procedere oportet, & tentare, vt si fieri possit,
 cum pauua famæ diminutione illius conscientiae consula-
 tur. Et ideo in secundō gradu vnum vel duo iubentur tes-
 stes adhiberi, vt coram illis, qui peccatum ignorabāt pec-
 cator contipiatur, & sic illorum præsentia confusus, sortē
 ad resipiscientiam redeat. Si vero nec sic emendetur, tunc
 iam nulla est famæ habenda ratio, vt conscientiae succur-
 ratur, quæ multò præstantior est, quam fama. Et ob hauc
 causam in tertio gradu, fama proximi posthabita, pecca-
 tum illius iubetur ecclesiæ, hoc est prelato reuelari. Cum
 igitur bonum reipub. sit maius, & p̄fstantius, quam fa-
 ma vnius hominis particularis, sequitur inde fama pro-
 ximi esse postponendam propter bonum commune ser-
 uandum, & inde conuincitur peccatorem, qui in reipub.
 pernititem peccat non esse ante denuntiationē corripien-
 dum, aut fraternè admonēdum. Nam (vt supra diximus)
 etiam si illud esset alicui sub obligatione secreti commis-
 sum, teneretur illud iudici reuelare, vt sic damnum reip.
 euitaret. Nullum autem est crimē, quod grauius, & citius
 respūblicæ nocere possit, quam hæresis: quia nocet in re-
 ligione, quæ cunctis rebus corporalibus est multò præsta-
 tor. Et quia operationes animæ multò velocius, & citius
 fiunt, quam quævis corporis actiones, ideo celerius etiam
 hoc crimen, quam quodvis aliud corporale malum nocere
 potest. Ex quibus omnibus apertissimè constat eum, quā
 secreto nouit aliquem hæreticum, non teneri ad seruan-
 dum ordinem illum correptionis fraterræ à Christo sal-
 vatore nostro præfixum. De hac quaſtione, vt certā pro-
 feramus ſententiam, oportet prius eōsyderare latum esse
 diſcriſmen inter hæc duo, videlicet, hominem labi in hæ-
 resim, & hominem esse hæreticum. Non enim omnis, qui
 labitur in hæresim eo ipso eſt hæreticus: sed oportet, vt
 habeat adiūctam pertinaciam, quæ ſi defit (vt ſupra lib. I.
 cap. 7. docuimus) hæreticus dici non potest. Hoc igitur
 diſcriſis

discrimine bene considerato, iuxta illorum duorum diuersitatem, duas ponam diuersas, certas tamen conclusiones, per quas integre respondetur ad quæstionein propositam. Prima conclusio. Testis, qui nouit secreto aliquem esse perfectè hæreticum, utputa quia scit illius pertinaciā, & scit illum non ex ignorantia Catholicæ fidei: sed ex propria malitia errare: quia videlicet scit illum suam sententiam præferre totius ecclesiæ sententiæ: tenetur illius crimen denuntiare antequam illū corripiat, aut fraternè admoneat. Hæc conclusio probatur per illa duo argumenta, quæ nūc proxime proposuimus, quorum primum est de spe emendationis necessario requisita, vt quis sit necessario admonendus. Alterum est de bono communi, quod est necessario præferendum bono particulari. Hoc tamen, quod diximus de damno communi vitando per denuntiationem criminis particularis, beatus Thomas temperat in secunda secundæ. qu. 37. art. 7. per hæc verba sic dicens: Nisi forte quis firmiter æstimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impeditre. Quæ quidem limitatio prudentissimè est addita, & oportet vt lector ne ex illa decipiatur, singulas illius partes diligenter circunspectiat. Nam quia rarissimè cōtingere potest, vt priuatus homo possit huiusmodi malis mederi: ideo non assertiuē: sed sub conditione dixit: Nisi forte. Et quia non sufficit levius estimatio, quod illum corrigerere possit: ideo dixit, firmiter æstimaret. Et quia non sufficit firma estimatio, quod longo temporis progressu illum ad resipiscientiam adducet: quia in illa longa expectatione possit illum à malo auertere. Et ideo nullus debet soli correptioni fraternæ secrete, & priuatæ fidere, vt propter illam definat hæreticū reuelare: nisi forte certo sciret se tantæ autoritatis, & potentiae esse apud hæreticū illum vt per solam suam monitionem possit illum ab errore reuocare. Sed quia hæc rarissimè hæreticis cōtingunt, ideo securius esse censeo, vt in crimen hæresis statim sine villa admonitione procedatur ad denuntiationem. præsentim si hæreticus non est quiuis homo plebeius, & idiota: sed docttor, qui ea, quæ sentit, alios docere procurat.

Nam

Nam is nisi statim per publicam denuntiationem repræmatur, citissimè hæresis suæ veneno multos clanculo, & latenter inficiet. Sunt enim multi, qui quoniā reprehēdi, & de sua doctrina accusari timent, in publicū prodire nō audent, & quoniā malè agunt, lucem oderunt, & nolunt super tecta iuxta præceptū saluatoris: sed in angulis p̄dicare. Ne igitur tam potētes in tenebris sint, opus est, vt statim illorū crimen publicè denuntietur & sic respub. ilæsa seruetur. Potest adhuc hæc nostra prima conclusio aliter probari ex ipsis verbis Saluatoris nostri, quibus nobis ordinem correptionis fraternæ p̄ficit. Nam fratre peccantem, qui ecclesiā nō audierit, Saluator noster non iubet amplius corripi, aut admoneri: sed haberi illum tāquam Ethnicum, & Publicanum. Hæreticus autem ecclesiam non audit: quia illius sententiam recipere contemnit, & suo tātum vult inniti iudicio. Alioqui si ecclesiam audiret, nequaquam hæreticus esset. Ex quo apertissimè conuincitur hæreticū hominem nō esse necessario secretè admonendum antequā publicè denuntietur. Nam quum primum ille factus est hæreticus, transiliit totū ordinem correptionis fraternæ à Christo saluatore nostro institutum, & constituit se in ultimo illius ordinis gradu quādo tam pertinaciter suā vult hæresim tueri, vt propter illum totius Catholicæ ecclesiæ sententiā reiicere non vereatur. Præterea ille ordo correptionis à Christo saluatore nostro institutus, circa solos fratres seruari præcipitur, ob quā causam ordo correptionis fraternæ ab omnibus appellari solet. Si peccauerit in æ frater tuus (inquit Saluator noster) corripe eum inter te & ipsum solū. Quibus verbis (vt apertissimū est) non omnem peccantē in nos sed solū fratrem corripere nobis præcepit. Hæretici autē non censentur fidelibus Christianis fratres sed extranei, quia suo arbitrio à domo Dei quæ est ecclesia recedentes iam nō filii Dei, quemadmodum Christiani, dicuntur & sunt: sed filii diaboli, qui pater mēdaciō ab ipsa summa veritate appellatur. Et certè qui bene Euangelia & Apostolorū epistolas circunspexerit, aperte intelliget solos Christianos vocari inter se fratres, quippe qui eundē patrem habēt, videlicet Deum quē colunt, & eandē matrem, hoc est sanctam ecclesiam in qua per baptismum renati sunt.

Mat. 18.

Ioan. 8.

Et

Et (ut alia multa testimonia omittam) illud est apertissimum quod in priore ad Corinthios epistola Paulus ait. Si quis frater nominatur, inquit ille, fornicator aut avarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rāpax cum huiusmodi nec cibum sumere. Post quae verba statim subiunxit. Quid mihi de his qui foris sunt iudicare? Quibus verbis omnes non Christianos expressit: quia omnes illi foris sunt extra ecclesiā. Et inde ex opposito sequitur illū solos Christianos dixisse fratres: quoniā ad distinctionē fratris quos prius nominauerat, ut diceret eos qui Christiani non sunt, nō esse inter Christianos retenendos addidit. Quid mihi de his qui foris sunt iudicare? Vnde Theophylactus prædicta Pauli verba interpretans ait: Recetē autē dixit. Qui frater vocatur. Quippe Theoph. cui fratri dūtaxat nōmē sit reliquum, nec in veritate est frater qui hisce sit malis obnoxius. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Qui foris sunt gentiles dixit, & idolis deditos, qui verò interius Christianos, perinde ac si dicat. Neminē equidē nunc eorū qui exteiiores sunt alloquor: id enim leges meas excederet. Superuacaneum igitur Christi præcepta illis iniungere qui extra Christi aulam diuagantur. Quæcunque enim lex disserrit, his qui sub lege sunt disserrit. Hæc ille. Cum igitur soli Christiani sint ipsis Christianis fratres, conuincitur inde ut ordo ille correptionis fraternalē quem circa fratrem in nos pecantem Saluator noster seruari præcepit, non sit necessario circa hereticū hominem seruandus. Quoniā cùm ille non sit Christiani hominis frater, nō est neesse Christianum hominē illi hanc impendere misericordiam, quam saluator noster fratribus peccantibus exhiberi præcepit. Nolo equidem dicere Christianū hominem non teneri ad correptionē vilam Iudeo aut gentili aut heretico prestandam. Quoniam correptione peccatoris absolute & sine villa circumstantia sumpta, est de lege naturæ, & inde neesse est ut omnes obligent, & circa omnes siue Christianos siue infideles. Nā sicut Christianus tenetur, si potest, infidelem à periculo corporalis mortis eripere, ita etiam tenetur illum, si potest, à periculo mortis spiritualis liberare. Omnes enim siue Christiani siue gentiles simus (vt ex parabola Samaritanī coiicitur) proximi in uicem cen-

semur:

Luc. 10.

1. Cor. 3.

semur: & inde sequitur ut omnes se iniucē iuuare teneantur quia vnicuique mādauit Deus de proximo suo. Verū & si ista correptio absolute sumpta omnes obliget quando magna vrget necesitas & spes profectus habetur: illum tamen correptionis ordinē quem saluator noster in Euā: gelio expressit, nō obligatur Christianus homo erga in: fideles seruare, quoniam illi fratres non sunt. Sed ne hæc ex meo tantū cerebro me dixisse quis putet, testimonia aliquorum sanctorū Doctorum non contēnendae autoritatis proferā qui hanc sententiam docuerunt. Theophy: lactus enim verba illa Christi saluatoris nostri quibus

Theoph. apud Mat. ordinem illū, fraternæ correptionis expressit, interpretans ait. Sermonem contra ostendiculum dantes valde extenderat, nunc & eos qui offenduntur corrigit. Ut enim tu qui offenderis nō omnino cadas, quia offendentem, vñ, habiturū dixit, volo & te qui offenderis, arguere eos qui te iniuria afficiunt, si fuerint Christiani. Etenim si quis non baptizatus iniuria afficiat, tūc ab eo te subducas. Si autem frater, argue eum. Hæc Theophilus. Quibus verbis aperte dixit infideles nō esse Christianorum fratres, ac proinde nō esse illo fraternæ correptionis ordine admonendos. Tertullianus in libro de præscrip-

Tertullij. tionibus hæreticorum ait: Fides nostra obsequiū Apostolo debet, prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus au: res accōmodare, hæreticum post vñā correptionem cōue: nire, non post disputationē. Adeò interdixit disputationem, correptionem designans causa hæretici cōueniendi. Et hoc vnam scilicet, quia non est Christianus. Ne more Christiani semel & iterū, & sub duobus aut tribus testi: bus castigandus videretur, cūm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Hæc Tertul: lianus. Et Augustinus sermone. 16. de verbis Domini, in: terpretans illa verba saluatoris, si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ait. Noli illum depu: tare iam in numero fratrum tuorū, nec ideo tamen salus eius negligenda est. Nam & ipsos ethnicos, id est, genti: les & paganos in numero quidem fratrum non deputa: mus. sed tamen eorum salutem inquirimus. Hæc Augu: stinus. Si ethnicī (vt Augustinus censet) non computan: tur inter fratres, opus est vt nec hæretici inter fratres de- putem

putentur: quia hi etiam sunt extra ecclesiam sicut illi. Et inde necessario sequitur, ut ille correptionis ordo non sit circa haereticos seruandus quem circa solos fratres Christi seruari praecepit. Secunda conclusio. Testis qui secreto nouit aliquem lapsum esse in haeresim, & nescit an sit haereticus, utputa quia nescit an ex ignorantia an ex malitia errauerit, nescit etiam an sit in errore suo pertinax, aut forte si admoneatur errorem suum deseret, tenetur illum secreto corripere antequam illum iudici denuntiet. Hec conclusio probatur. Si testi constaret illum ex ignorantia & non ex malitia errasse, teneretur illum secreto corripere & admonere antequam denuntiaret: quia nullus debet iudici denuntiare illum ratione aut nomine criminis quem certe scit in opere non peccasse, aut de cuius peccato dubitat, donec certior fiat de illo nisi forte suspicio esset violenta, & ex taciturnitate posset imminere aliquid reipublicae damnum. Tunc enim posset iudici denuntiare suspicionem suam, & causas illius, ut ille re bene circumspecta possit reipublicae utilitati prospicere. Si tamen talis timor non est, iniuste ageret, qui illum quem certo scit, in opere non peccasse, aut de cuius peccato dubitat, coram iudice velut reum manifestaret. Oportet enim esse certum de crimen illius qui accusandus aut denuntiandus est. Nam sapiens ait.

Eccl. 13.

Priusquam interroges ne vituperes quenquam. Ex quo apertere colligitur iniuste agere, qui denuntiat iudici lapsum in haeresim, si certo scit illum ex pura ignorantia & non ex malitia errasse, sed tenetur illum docere, ut ab errore illum auertat. Et inde ulterius sequitur ut idem prorsus facere teneatur testis, quando prorsus ignorat an ex ignorantia an ex malitia errauerit. Nam regula Christiana & regula Iuris docet nos, ut de quolibet proximo bonum semper & non malum presumamus, donec nobis constet contrarium. Ille igitur qui lapsus est in haeresim, praesertim si homo est idiota aut parvus doctus, presumendus est per ignorantiam errasse, & ideo secreto corripiendus & fraterno admonendus. Si correptionem admiserit, & se palam correixerit & error statim reuocauerit fatens priorum suam ignorantiam, lustratus erit testis anima illius quem ab errore auerit. Si vero correptionem neglexerit, & noluerit admonitioni obtenerate, tunc iam manifesta erit testi illius pertinacia & malitia

praeser-

præsertim si hæresis est manifesta & admonitio fuit sufficiens, iuxta ea quæ superius lib. 1. cap. 10. diximus, vbi de legitima admonitione tractauimus. Cum igitur post admonitionem suam testis talem illum esse intellexerit, non opus est ut testis ad secundum gradum fraternæ corрitionis procedat, adhibens unum aut duos testes, sed statim illum iudici denuntiabit. Quia cum pertinacem esse constet, simul etiam constare debet illum non esse paratum ecclesiæ obediens & inde sequitur ut deinceps non iam tanquam fratrem, sed tanquam Ethnicum, & Publicanum illum habere debeat. Probatur adhuc prædicta secunda conclusio. Omnia quæ ex communini Theologorum sententia sunt ex parte corripiens requisita, ut correptionis fraterna sit illi obligatoria conueniunt huiusmodi testi, ergo testis ille tenetur secreto corripere illum quem scit lapsum esse in hæresim, nesciens an ex malitia errauerit. Tria sunt quæ omnes Theologi docent esse requisita ex parte corripiens, ut correptionis fraterna sit illi obligatoria, videlicet cognitio peccati, spes emendæ, & temporis oportunitas. Hæc omnia conueniunt illi testi. Primum patet, quia cognitio peccati quæ requiritur & sufficit est ut sciat illum esse in peccato, aut in periculo peccati, & aliqui dicunt satis esse ut dubitet de peccato illius. Qualiterunque se res habeat, talem cognitionem habet testis qui scit fratrem lapsum esse in hæresim. Alterum quod est spes emendationis, certum est inesse testi: quia cum ille alterius pertinaciam ignoret, non est cur de illius emendatione desperet. Tertium denique quod est oportunitas, in ipsius testis arbitrio repositum est: quia si ipse corripere optat, facile poterit corripienti oportunitatem captare. Ex quibus omnibus aperte conuincitur ut testis ille qui secreto nouit aliquem lapsum esse in hæresim nesciens an ex ignorantia an ex malitia errauerit, teneatur illum secreto corripere & admonere antequam illum iudici denuntiet. Sed hæc correptionis & admonitionis non est diu proroganda, sed quam cito commodè potuerit facienda, ne si diu prorogetur damnum forte inde eueniat seipublicæ, utputa si ille de quo testis ignorat verus esset hereticus & occulte & latenter (ut saepè illi facere solent) suas in populo effunderet hæreses.

AN FILIVS ACCVSANS ALIQVEM
parentum suorum de hæresi, sit ob hoc liberan-
dus ab his pœnis quæ propter parentis
hæresim sunt illi à iure inflictæ.

Cap. XXVI.

POstquam totum hoc opus, de iusta hæreticorum pun-
nitione, absolveram, iuuenem quēdam in sacramen-
tali confessione peccata sua mihi referentem, audire con-
tingit, quem cūm de rebus ad fidem & Christianam rela-
tionem spectatibus interrogarem, inuenissem q; rectam
illum & Catholicam fidem tenere: quæ siu deinde ab il-
lo, an hæreticum aliquem latētem agnosceret, & an cum
aliquo huiusmodi conuersationem aliquam habuisset.
Qui quæstiōni respondens, aperte dixit se scire patrem
suum esse hæreticum, propterea quod illum in fide adeo
pertinaciter errare viderat, vt sēc ab eo admonitus, nun
quām ille voluerit errorē suum deserere: imo potius con-
tra pater, nitebatur eundem filium in errorem suum tra-
hēre. Hoc ego audiens, hortabar filium, vt pātris crimen
quamlibet occultum, Inquisitoribus reuelaret, & quāvis
id necessario esse faciendum multis euidentibus rationi-
bus conuincerem, nunquām tamen vt id facere vellat, illā
persuadere potui. Nam hoc scuto se tuebar, quod non
erat decens neq; ratio naturalis pariebatur, vt filius pa-
trem ad mortem duceret. Deinde sibi ipsi nocere dicebat
si patris crimen reuelasset, quia non poterat (vt dicebat)
patris crimen reuelare, quin sibi ipsi iniuriā inferret, & sic
suo se gladio transfoderet. Omnia siquidem patris bona
à fisco apprehendenda, & sic paterna hæreditate se priuā-
dum fore censebat. Infamia quæ ex paterno criminē con-
trahenda erat, nō in solo patre constituendā, sed vse ad
seipsum & filios & nepotes suos deducendam metuebat.
Dicebat itaq; libenti animo se patris hæresim reuelaturū,
nisi hac via tā graue incōmodum sibi insi parāret. Ob hāc
igitur causam, patris hæresim silentio suo regere, se velle
dicebat, vt suo honori prospiceret. Ego tamen contra ni-
tebar, dicens, non esse vero simile, vt filius qui zelo fidei
Christianæ accensus patrem de criminē hæresis coram
iudice accusasset, eisdem plectatur pœnis. quibus si nul-

lum suæ fidei testimonium dedisset, plecteretur. Verum
 ille dictis meis minimè fidens, in sua persiciti sententia
 dicens, se nunquam patris hæresim reuelaturū, nisi prius
 sibi constaret, se ob hanc causam ab omni infamia & ab
 omni incommmodo liberandum. Occasione igitur accep-
 ta, ex tunc apud memetipsum statui, speciale huic operi
 addere capitulum, in quo de hac re, iuxta id quod possum
 differerem. Nam & si res hæc à iurisperitis, quibus plus-
 quam Theologis conuenit, discutienda foret, nil tamē
 obstat, ut ego homo theologus experiar quid in hac par-
 te ex illorum lectione præstare possim. Circa quam rem,
 duo (ut censeo) dubia discutienda videntur. Primum est
 an talis pater sic à filio iudici oblatus, sit eadem pena pu-
 niendus, qua si à quolibet alio fuisset accusatus, punire-
 tur. Alterum est, an filius hic patrem de hæresi accusans
 & conuincens, sit ob hoc absoluendus ab omnibus pe-
 nis, quæ filiis hæreticorum sunt à iure inflatae. Circa pri-
 mi dubij responsionē, hoc ante omnia iaciendum est fun-
 damentum, lege sancitum esse, ut filius qui ad mortem
 damnandus esset, si à patre offeratur iudici, non sit morte
 sed alia mitiori pena puniendus. Nam hoc colligunt Iu-
 risperiti, ex illo quod Martianus Imperator ait, in lege,
 Milites agrum paragrapho, desertorem, ff. de re militari,
 sic inquietus. Desertorem qui à patre suo fuerit oblatus,
 in deteriorem militiam diuus Pius dari iussit, ne videar-
 tur (inquit) pater ad suppliciū filium obtulisse. Hæc ille.
 Et idem dicitur in. Ie. Qui cum uno. paragrapho Qui filiū.
 ff. eodem titulo. Constat autem eum qui militiam
 tempore belli deserit esse capitali sententia puniendum:
 ut sancitum est, in. I. Non omnes. paragrapho. Desertor,
 eodem titulo. Ex quibus omnibus colligunt Iurisperiti,
 ut quoties filius ob crimen aliquod esset morte plecten-
 dus, si à patre iudici offeratur, non sit morte, sed alia mi-
 tiori pena puniendus, etiam si crimen quod filius com-
 mississet, fuisset crimen læse maiestatis. Ita enim docet Sa-
 lice in. Ie. Propter insidias. C. Qui accusare non possunt,
 Et Felinus in cap accusasti, extra de accusatio. dicit quod
 si pater accusat filium de crimen læse maiestatis, princeps
 debet ei parcere. Quod Felini dictum est modestus inter-
 pretandum, ita ut princeps debeat illi parcere, militarem
 illi

illi infligendo pœnam: non autem vniuersam ab illo pœnam auferendo. Ideo cautius (vt ego censeo) Salicetus locutus est, dicens filium mittus esse puniendum. Eandem sententiam confirmat Bartholomeus Cepola in suis cautelis, cautela i. Eidem sententiae subscriptit Hypolitus de Marsiliis, in l. i. paragrapho. Ad quæstionem ff. de quæstio. Et hi duo ultimi citant Raimundum de Follio, & Pau. de Cast. in dicta, le. Propter insidias, eandem sententiam docere, & in diuersis casibus ita fieri oportere, illos consuluisse. Eandem sententiam docet Alciatus in tractatu de præsumptionibus, præsumptione quarta. Hoc igitur iacto fundamento, ex eo (vt ego sentio) colligere oportet, vt idem etiam sit faciendum cum patre latæ maiestatis reo, quem filius iudici offerret, ita ut pater sic à filio oblatus, non sit morte plectendus, sed alia mitiori pœna puniendus. Hæc autem consequentia inde est manifesta quod èadem est ratio hic & ibi. Causa enim quæ redditur in illo paragrapho. Desertorem, ut sit filio parcendum, est ista: ne videatur pater ad supplicium filium obtulisse. At æque iusta immo iustio ratio est, ut filius non videatur patrem ad supplicium obtulisse. Nam multo grauius est & durius ut filius patrem ad supplicium offerat, quam pater filium. Filius quidem à patre recepit esse, & ob hanc causam tenetur patrem tanquam principium suæ existentiaz diligere: & illi cum indiguerit subvenire. Pater autem nihil quod ad sui cōsistentiam pertinet, à filio recepit. Ob hanc causam filius tenetur obedire patri, pater autem non tenetur obedire filio. Fateor quidem parentes ex quadem naturali inclinatione, quæ à sensualitate & non à naturali ratione procedit, magis diligere filios suos, quam parentes proprios, immo magis quam seipson: quia inclinatio naturalis cuiuscunque rei, est magis ad conseruationem speciei quam ad conseruationem alterius individui. Magis autem conseruatur species humana per vitam filiorum, qui sunt magis apti à generationem & longius vivere & generare possunt: quam per vitam parentum, qui iuxta communem vitæ decursum breviorum sunt habituri vitam. Et hinc evinit, ut semper parentes longiorum optent vitam filii quam parentibus suis, immo sæpè quam sibi ipsis.

1. Cor. 12. Et hoc est quod dici solet, amorem magis descendere quam ascendere. Et ob hanc causam pater (vt Paulus ait) thesaurizat filiis, quia diuini sibi vivere presumuntur, & ut si forte illis parvulis existentibus patrem mori contingat, relinquat illis unde alimenta habere possint. Filius autem non thesaurizat patri, quia non presumitur illum longiorum vitam quam filius habitum, cui viventi semper filius subuenire tenebitur. Quanvis autem quisque magis inclinatur ad filium quam ad parentis dilectionem, hoc tamen non obstat, quin filius magis teneatur subuenire patri suo extreemam necessitatē patienti, quam filio proprio qui eadem pateretur necessitatem. Nam & si maior sit inclinatio ad filium: maior tamen est obligatio ad patrem. Quia obligationes praceptorum non mensurantur per inclinationes naturales ad res quae præcipiuntur, ita ut ad rem illam sit quisque magis obligatus ad quam magis a natura inclinatur praesertim si est inclinatio a sensualitate & non a ratione procedens. Multa enim sunt ad quem natura integra & non per peccatum vitiata nos inclinat, quem tamen nulla obligatio facere tenemur, immo multo melius & beatus erit illa omittere. Nam (ut alia omittam) natura integra & non vitiata inclinat ad coitum propter conseruationem speciei humanæ, quae naturaliter conseruari non potest nisi mares cum feminis coeuntes generent alios homines. Ad hunc tamen coitum non omnes obligantur, sed illi soli qui se matrimonio iungentes sibi inuicem ad hunc actum fidem dederunt. Inclinatio etiam naturalis est, ut quisque suo proximo patienti compatiatur, & egenti subueniat. Nam (ut sapiens Ecclesiasticus ait) omnē animal diligit sibi simile. Nullus tamen tenetur cuicunque patienti compati, aut cuicunque egenti subuenire, nisi extrema aut saltem grauem proximus patiatur miseriam, quem alios meritò cogat, ut, si possint illi subueniant, et si non possint, saltem compatiantur. Meritò igitur beatus Thomas in secunda seculi. qu. 16 art. 9. Et si dicat patrem ob aliquas iustas causas magis diligere filium, quam patrem proprium, tamen ob aliam multo maiorem causam censeret, quoniam magis teneri ad dilectionem patris quam ad dilectionem filii, & magis obligari propter beneficia a patre recepta ad subventionem eiusdem patris, quam ad subventionem

Eccle. 13.

Nonem filij, si vterq; necessitatem patiatur. Propter quod non possum non mirari, quod Bartolus vir alioqui vtr: usq; iuris peritis simus, in tam grauem fuerit lapsus erro: rem, vt dixerit filij non teneri ex iure naturali ad educa: tionem parentu. Nam quia in le. Si quis à liberis. paragr. Parens. ff. de lib. agnosi. Vopianus iurisconsultus censuit, filium ratione naturali debere alere parentem, Bartolus hanc iurisconsulti tententiā explicans, distinguit ratio: nem naturalē à iure naturali, & dicit filium nō teneri ex iure naturali ad præstandum alimēta parenti, sed solum ex ratione naturali, hoc est, ex iure gentium, vi ille inter: pretatur. Ad hoc autē dicendū inde mouetur, quod ratio (vt ille ait) non est in aliis animalibus. Per quae verba apertè innuit illum sentire ius naturale non esse natura: lem rationem quae solis hominibus competit, sed ius cō: mune, quod ceteris etiam animalibus conueniat, quasi possit aliquod esse sine ratione ius, aut penes bruta ani: malia possit aliquod esse ius sicut penes homines. Ius enim idēo dicitur naturale quia ex instinctu naturalis ra: tionis procedit. Et in le. Non quemadmodum. ff. eodem titulo, eandem sententiam repetit, & confimat, addens quod si quis egens habuerit patrem & filium diuites, po: tius à patre quam à filio alimenta petere debet. Quia (vt ait) quod pater alat filium est de iure naturali, nō autem vt filius præstet alimenta patri. Quām longē à veritate hēc omnia distent, facile quisq; intelliget, si diligenter at: tendat quartum decalogi præceptum, quod est de hono: re parentum: cuius vim & obligationem de subuentione parentum, potissimum intelligendam esse, beatus Hiero: nymus super decimum quintum Matthæi cap. docet.

Cuius subventionis obligationem, Christus saluator no: ster contra Pharisæos contrarium docentes, tantam esse declarauit, vt quum necessitas patris vrgeret, pro illius subventione sit omnis oblatio, quam filius Deo liberē offerre voluisset, necessario prætermittenda. Præcepta au: tem decalogi, & si nō omnia sint velut principia iuris na: turalis notissima, omnia tamen sunt (vt concorditer os: nes theologi docent) de iure naturali, quorū aliqua sunt tanquā conclusiones iuris naturalis, ex primis illius prin: cipiis deriuatæ. Et inde apertè deducitur, vt filius qj ex

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

præcepto decalogi tenetur subuenire patri egenti, si ad illud faciendum ex iure naturali obligatus. Argumētum autem quod pro suæ sententiae confirmatione facit Bartolus, nullius est roboris. Nam ex eo quod in illa prædicta le. Si quis à libe. peragrapgo parens. s. de liber. agno. dicitur ex naturali æquitate descendere, vt filii parentes alere teneantur, arguit, vt ex eo nō teneantur ex iure naturali. Si lex diceret illud ex sola naturali æquitate procedere, forte argumentatio illius aliquid valeret ad psl. bādum illud nō esse ex iure naturali. Cūm tamen dicat ex æquitate naturali & non ex sola illa procedere, constat argumentum illius non valere. Quia æquitas & ius non adeo distinguuntur, vt genere differant, sicut disparata quæ eidem cōpetere non possunt. Et forte inde Bartolus fuit deceptus, putans tantā esse inter ius & æquitatē differētiam, vt ex altero oppositum alterius inferre liceret. De qua re, quoniā longiore discussione indiget, & à nostro themate est valdē aliena, nihil imprecentiarum differe volo. Lectorem tamen adinoneo, vt legat de hac re annotationes Guillelmi Budēi in Pandectas cap. 1. vbi hanc rem diffuse & eleganter tractat. Deinde quod ait Bartolus, maiore obligatione teneri hominē ad subventionem filii, quā ad subventionem patris, si nulla alia ratione intelligeret esse falsum, vel ex ea apertè cognoscere potuisset, quod pater ad vitæ sustentationem consequendam, potest vendere filiū suum vt habetur in le. 2. C. de par. qui si dist. Filio autem, quacunque etiam necessitate urgente, nullatenus licet vendere patrem suum. Quæ diversitas non aliundē oriri constat, nisi quod maiore obligatione tenetur filius alere patrem, quam pater filium. Et hinc apertè conuincitur, falsum esse etiam illud quod in prædicta le. Non quemadmodum Bartolus dixit, hominem egenum potius à parente diuite quā à filio diuite alimenta petere posse. Nam quisq; ab eo potius alimenta petere debet, qui magis tenetur illi subuenire. Omnis autē homo (vt diximus) magis tenetur patrem egentē alere quam filiū & que egentem. Omnis ergo homo egens plus à filio quam à patre alimenta petere debet, si vterq; illorum habeat vnde illi subuenire poscit. Hæc omnia per occasionem obiter diximus, vt inde cōstatet multo iustius esse,

esse, ut filius non videatur patrem ad supplicium tradidisse, quā ut pater non videatur filium ad idem supplicium obtulisse. Quia magis tenerur filius patrem, à quo id quod est receperat: quā pater filium diligere. Nam præceptum diuinum, à quo potius quā ab inclinatione naturali sumenda est vis obligationis, magis filium quā patrem obligat. Quod vel ex eo facile coniurate potest, quod grauius punitur à Deo filius, qui ab obedientia aut pietate patri debita defecserit: quam pater qui nimium durus aut seruerus fuerit erga filium. Qui maledixerit patri suo aut matri (inquit Dominus) morte moriarur. Quæ maledictione non solum in verbis, sed etiam in operibus (ut Hieronymus ait) consideranda est. Filius etiam proterius & contumax, qui monita patris audire contempsisset, lapidibus obrui lege Mosayca iubebatur. Pater autem, & si filio maledixisset, aut nimium severè & austere illum tractasset, non tam acriter ob hoc à Deo punitur. Multo ergo grauius peccabit filius patrem occidens, quam pater filium. Et inde aperte consequitur, ut si remittenda sit pena mortis filio læse maiestatis reo, quem pater iudici obtulit, ne videatur pater filium ad supplicium obtulisse ut dicitur in praefato paragrapho. Desertorem: eadem ratione sit etiam remittenda pena mortis patri læse maiestatis reo, quem filius iudici obtulerit. Quoniam (ut dicimus) multo iustius est, ut filius non videatur obtulisse patrem quam per filium ad supplicium. Occurrat mihi alia ratio præter istam quæ assignatur in illo paragrapho. Desertorem, quæ me multo fortius mouet, ut credam iustum esse, ut tam filio quam patri læse maiestatis reo, pena mortis remittatur, si alter alterum iudici offerat. Iustum quippe est, ut egregium cuiusque hominis meritum non solum illi qui bonum operatus est, sed etiam alteri pro quo illud obtulerit, opituletur. Nam Deus ipse totius iustitiae fons & origo, sèpè propter unius meritum multis nedum vni parcit, mortem, quam meriti erant, illis remittens. Nam properat decem viros qui fuissent in Sodoma boni, Deus pepercisset illi, ut non prorsus deleret eam. Deinde cum subuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus est Abraham, & liberauit Lot de subuersione urbium, in quibus habitauerat.

Exod. II.

Deut. 25.

Gen. 18.

Gen. 19.

- Exod. 32.** Rursum ad preces Moysi pepercit Deus populo Israel, ut non perderet illum, aut mortem quam propter Idololatriæ peccatum meritus erat illi inferret. Paulus apostolus refert ducentas septuaginta sex animas fuisse a Deo sibi in naui condonaras, quæ omnes a saeva maris tempestate absorptæ fuissent, & propter meritum Pauli saluatæ sunt. Nec ad solam corporis vitam, sed ad vitam etiam animæ, quæ multo maioris est præiij., alteri impetrandam alterius hominis meritum apud Deum valet. Nam illi qui non ex malitia sed ex infinitate quadam in peccato permanerunt præfertum si ab illo discedere oportet, & pro fragilitate sua se ad virtutem disponit, Deus saepe ob alterius preces & merita parcit, & gratiam qua vitam possit asse: qui sempiternam, præficit. Quod aperte probatur, per id quod de quodam paralytico quem alij Christo salvatori nostro obtulerunt, Matthæus ait. Videns autem Iesus fidem illorum dixit paralitico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ecce vides paralytici peccata remissa propter offerentium fidem. An autem sola offerentium fides, an etiæ ipsius paralytici fides fuerit in merito, ego nunc discutere nolo, quoniam satis est, ad id quod intendo. comprobandum, quod propter offerentil fidem deus condonauerit paralytico peccatum. Deinde Augustinus refert, Paulum Apostolum fuisse ad fidem conuersum propter preces & merita beati Stephani pro illo Deum orantis. Et de beato Augustino tñc hæretico Manichœ, pro quo, ut ad fidem Catholicam conuerteretur, mater eius assiduas faciebat orationes, & innumerabiles fundebat lachrymas, beatus Ambrosius dixisse fertur. Impos: **Mat. 15.** sibile est, ut filius tantarum lachrymarum pereat. Ad preces Chananaæ Deus filiam illius a demonio, a quo male vexabatur, liberauit, & perfectæ sanitati reddidit. Cen: **Mat. 8.** turionis servū, qui in domo iacebat paralyticus & male torquebatur, ob domini preces & meritum, Christus Saluator noster christianæ incolumitati restituit. Qui omnes (ut sacri Doctores sentiunt) non solù corpore sed anima a Christo sanari sunt, ipsiusmet Salvatore testante, qui dicit. Totum hominem sanum feci in sabbato. Si unius hominis meriti valet apud Deum ad impretrandum veniam pro alio, iustus est ut etiæ valeat apud homines, præfertim apud

apud eos qui loco Dei populis præsunt. Et si cuiusq; hominis meritum pro alio qui culpam suam agnoscit valeare potest, quum est ut meritum patris filio, & meritum filii patri, prodesse possit ad veniam, cum illorum alter crimen læse maiestatis cōmiserit. Nam Deus ipse, cuius exemplo nunc agimus, sēpe ob parentum merita, nō solum mercedes pluriās filii confert, sed mortē & alias pluriās quas merebantur pēnas remittit. Quod vel inde apertissime probatur, quod Deus qui dicit se visitaturum iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, ipsemet ait, propter parentum merita, se misericordiam facturum in mille his qui diligunt eum. At nullus merito inficiari poterit, præclarum esse patris in principe meritum, quum proprium filium qui ob eiusdem principis maiestatem lēsam morte dignus erat, eidē principi offert ut pro arbitrio suo & illius merito si voluerit puniat. Talis enim pater re ipsa ostendit se magis erga principem quā erga proprium filium esse affectum, & tanto zelo iustitiae feruere, ut maluerit propriū filium ad punishmentem tradere, quam ut iustitia, quæ sceleratos homines puniendos esse censet, aliqua ex parte pereat. Pater enim qui hoc agere audet, parum abest, ut Bruto libertatis Romanę conditori æquetur, qui filios suos Tarquinī dominationem à se expulsam reducere tentantes comprehendens, ac pro tribunalī virginis cæsos, & ad palum religatos, summum Imperium obtainens, securi percuti iussit. Quia in re (ut elegāter de illo Valerius Maximus ait) exuit patrem ut consulem ageret, orbusq; viuere quā publicae vindictę deesse maluit. Qui tā præclarum facinus pro rege aut republika est aggressus, ut patris pietate postposita filium læse maiestatis reum iudici offerre nō dubitauit, ab illo pro suo arbitrio puniendum dignus certè est, ut pro filio intercedens exaudiatur. & vitam saltem impetrat filio, qui pro suo crimine mortem meritus erat. Et si iustum est, ut pater filium offerens, vitam filio impetrat, multo iustius est ut filius ob eandē causam patre offerens, vitā patris mereatur. Quoniam (ut ex dictis constat) multo præclarius est facinus multoq; maioris meriti, si filius zelo iustitiae, aut regalis maiestatis affectu motus, patrē offerat quād si pater filium. Hanc autem sententiā de filio offre-

Exod. 20.

Valerius
Maximi. li.
5. cap. 7.

rente patrem docet Augelus in l. adulterii cum incestu,
paragra. liberto ss. de aquiter. sed illa solum probat per ra-
zione datâ in illo s̄epe dicto. paragra. Desertorem. Alberi
eus tamen in præfato. paragra. Desertorem, dicit q̄ licet
hēc sit cōmuniſ opinio omnium doctorū, ipse tamē dubi-
us eft an ſic iudicare. Quid igitur de neceſſitate & iuriſ
ciuilis rigore agendū ſit, ego homo Theologus diſſiniſire.
nō audeo nec volo, ſed iſpis iuriſperitis diſſiniendū relin-
quo. Hoç tamen conſtanter aſtero, q̄quū & rationi conſen-
taneum eſſe, vt filio quem pater, aut patri quem filius ob-
crimen læſe maiestatis offert, ſit indulgentia mortis cōce-
dēda, & vita miſericorditer condonāda. Posſet circa hoc
moueri quaſſio, an idē eſſet diſcendū ſi maritus vxorē au-
xor maritum, ob idē læſe maiestatis crimen iudici offer-
ret. Cuius dubitationis cauſa inde oritur, quod maritus
& vxor pro vna carne cēſentur, ac proinde dubiū eſt, an
vterque eorum alterum magis diligere debeat, quam pa-
trem aut filium. Si quis dixerit, maritum magis teneri ad
vxoris quam ad patris aut filij dilectionē, oportet, vt etiā
ſateatur grauius eſſe peccatum, ſi quis vxorem, quam ſi pa-
trem aut filium occidat. Et inde aperte ſequeretur, vt vxo-
ri, quam maritus ob crimen læſe maiestatis iudici obtu-
lerit, ſit mors, quam illa meret, remittenda. Quia iu-
ſtius eſſet, iuxta hanc ſententiā, ne maritus videatur vxo-
rem ad ſupplicium obtulisse, quam pater filium aut filius
patrem. De qua quaſſione ego nihil in preſentiarum di-
ſinio, ſed aliis diſputandam relinquo.

Ad id igitur quod p̄mo inquiritbam, noſtram di-pu-
tationem reducens, dico æquū eſſe & iustum, vt pater hæ-
reticus quem filius ob crimen hæretiſ, in quod ille relap-
sus fuerat iudici obtulit, ſit mitius puniendus, quam fi-
ab alio fuſſet accusatus: & ſit per conſequens indulgen-
tia mortis illi concedenda, ſi ille veræ contritionis ſigna
dederit. Quidam iuriſperitus vir certè doctus, cum quo-
rem hāc conferebam mihi obiecit, dicens nimiam eſſe iu-
ſitiae remiſſionem, vt ſententia illius p̄dicti. paragra.
Desertorem, extendatur etiam ad crimen hæretiſ, ſicut ad
crimen læſe maiestatis. Quia multo grauius eſt diuinam
quam humanam lādere maiestatem, vt dicitur in cap.
Vergentis, extra de hæreticis, & in cap. Sicut qui ecclē-
ſiam.

stat. 17. q. 4. Deinde, quia licet ius canonicum & ciuile
 mutuo se iuuent, & saepe vnum alteri suffragetur, vt dici-
 tur in cap. 1. extra de noui operis nuntiatione, tamen ec-
 clesia non acceptauit leges Imperatorum, vt per illas cau-
 sae ecclesiasticae definiti debent, & inde sequitur, vt cri-
 men hæresis quod ecclesiasticum esse constat, per ecclesias-
 ticas sanctiones & non per leges Imperatorum decerni
 debeat. Respondeo concedens multo grauius esse diut-
 nam, quam humanam laedere maiestatem, iura tamen
 non grauius imo saepe leuius puniunt eos qui diuinam
 quam qui humanam laedunt maiestatem: neque grauius
 puniunt hæreticos, quam eos qui humanam maiestatem
 laerunt. Quod autem obiicitur, crimen hæresis quia est
 ecclesiasticum, non esse per leges Imperatorum, sed per
 ecclesiasticas sanctiones decernendum, ex prava rerum
 intelligentia procedit. Constat enim in crimine hæresis,
 duo esse consideranda. Primum est ipsum crimen hære-
 sis, alterum est pena quæ illi criminis debetur. De primo
 non est dubium, rem esse omnino ecclesiasticam, ac pro-
 inde (vt decernitur in cap. Ut inquisitionis, de hæreticis.
 lib. 9.) nullus nisi iudex ecclesiasticus potest de illo crimi-
 ne censere. Nullus iudex praeter ecclesiasticum potest ali-
 quam assertionem diffinitiuam sententia pronuntiare hæ-
 reticam, & pertinacem illius defensorem iudicare hæreti-
 cum. De altero, hoc est, de pena criminis imponenda, va-
 rios constat esse iudices, iuxta varietatem penarum, quæ
 hæreticis infliguntur. Sunt enim (vt supra per multa hu-
 ius libri capitula ostendimus) quædam spirituales penae
 hæreticis decretæ, vt puta excommunicatio, privatio eccle-
 siastice sepulturæ, indignitas ad ecclesiastica beneficia. Et
 de his aut aliis similibus, quoniam per solas ecclesiasticas
 sanctiones sunt decretæ, solus ecclesiasticus iudex censere
 potest. Sunt alio penæ corporales, è quibus aliquæ, tā à po-
 testate laica quā ecclesiastica infligi possunt, vt sunt, insa-
 mia, bonorum temporalium confiscatio. De talibus enim vita
 que potestas tā laica, quā ecclesiastica potest leges statue-
 re, & illas cōtra hæreticos postquam de illorum pertinacia
 constiterit, executioni mādere. In his & similibus penis
 infligendis ius canonicum & ciuile mutuo se iuant, & alte-
 rum alteri suffragatur, & supplet q̄ alteri deesse cōtingit.

¶. Par. 17. **E**st rursus alia pœna de qua nihil prorsus ecclesia hucusque statuit, quia per ecclesiasticas sanctiones illam statui non conueniebat. **T**alis est mors, quæ nunquā per ecclesiasticas sanctiones alicui inferri mandatur, præterea quod viros sanguinum Deus ab altari suo repellit. **N**am Dauidem virum aliqui sanctissimum, quia sanguinem humatum fuderat, prohibuit, ne templum sibi ædificaret. **E**t ob hanc causam virtutis ecclesiastici, non solum à sententia mortis pronuntianda, vel scribenda, sed etiā ne illius executioni interficiant prohibentur, ut dicitur in cap. Sententiam, extra ne clericū vel monachū. **E**t si sorte alicubi in iure canonico, mors alicui criminis imponitur. **A**bbas in cap. 1. de homici, dicit illam esse intendendam de morte spirituali, hoc est de excommunicatione, aut de morte ciuili, aut depositione. Ex quibus omnibus constat, mortem quæ hæretico ob crimen hæresis infertur, rem esse prorsus ciuilem & laicam, & nullo modo esse dicendam rem ecclesiasticam: quamvis ipsum crimen hæresis pro quo mors infertur, res ecclesiastica dicatur. **E**t ipsi met ecclesiastici iudices opere, quod dicimus, satentur. **Q**uia postquam aliquem hæreticum pertinacem esse censuerunt, tradunt eum curiæ seculari, tanquam qui nihil amplus habent, quod de illo iudicare possint, & rogant iudicem, ut misericorditer illum tractet, & sententiam mortis contra illum non pronuntiet. **E**t inde apertissime conuincitur, ut in sententia mortis contra hæreticos dicenda, inspiciendus sit etiam ille prædictus paragra. Desertorem, sicut iuxta iurisperitorum sententiam inspicitur in criminibus læsa maiestatis. **Q**uia sententia mortis quæ contra hæreticum dicitur, non à iudice ecclesiastico sed à laico pronuntiatur. **P**ræterea, & si in illa sententia mortis res esset mixta, vt pote quæ tam ad ecclesiasticam quam ad laicam spectaret potestate, necessario inspiciendus esset ille paragra. Desertorem, & iuxta illius decretum esset sententia ferenda. **Q**uia ubi ad causam aliquam definiendam, ecclesiastici canones deficiunt, legibus Imperialibus vti licet, & aliquando oportet, ut expresse decernitur in illo cap. 1. extra de noui operis nuntia. **E**t hæc de 1. ar. dixisse sufficiat.

Superest, ut de secundo articulo, hoc est de filio accusante p^oz

te patrem an sit eximendus ab omnibus pœnis, quæ aduersus filios hæreticorum iura decernunt, & an sint etiam bona paterna illi reddenda. De qua re, quid ego sentiam, duabus conclusionibus explicabo.

Prima conclusio sit hæc. Filius qui patrem ob crimen læse maiestatis aut hæresis, coram iudice accusavit, liberandus est ab infamia, & aliis pœnis contentis in l. Quis quis. paragra. Filii. C.ad.l.Iul. maiest. & in cap. Si quis cum militibus. & q.t. Quoniam cessante ratione legis, nescisse est ut mandatum & dispositio ipsius legis etiā cesseret. Nam (ut dicit Abb. in cap. finali de rescriptis) nihil aliud est lex, quam ratio legis quæ est velut mens illius. Et citat Abb. ad huius sententię confirmationem, Baldum in l. non dubium. C.de legibus. Et inde infert legis dispositionem esse extendendam ad illa omnia, in quibus ipsius legis ratio inuenitur. Et inde etiam necessario consequens est, ut legis ratione cessante, cesseret etiam legis dispositio. præsertim cum lex ipsa exprimit rationem cui ipsa innititur. Nam ubi lex nullam sui mandati aut prohibitionis rationem exprimit & si ea, quam nos putamus esse legis rationem, in aliquo casu deficiat, non statim censere debemus legis dispositionem non valere. Quia forte alia, quam non putamus ratione fuit motus legislator, ut talē conderet legem. At ubi ea quā legislator exprimit, ratio deest, ibi etiam illius legis dispositionem deesse cendum est. Quia si alia legislatore ratio mouisset, eā sicut aliam in ipsa lege expressisset. Ratio propter quam Imperatores Honorius & Archadius, in illa prædicta. l. Quis quis, censet filios eorum qui regiam maiestatem læserunt, dignos esse infamia & aliis pœnis quæ ibi numerantur, est ista. Quia in illis paterni, hoc est, hæreditati⁹ criminis exempla metuuntur. At in filio, qui patrem propter crimen læse maiestatis, aut propter crimen hæresis, coram iudice accusat, non est cur paterni criminis exempla metuantur: quia ille patrē accusans, apertissimo testimonio, & argumento euidentissimo probat & conuincit, se à paterno crimine lōgissime distare. Et inde apertissime consequitur, ut in tali filio dispositio illius. l. Quisquis, non sit exercenda, in quo ratio eiusdem legis deesse manifeste probatur. Forte hic aliquis respondebit, verum esse quoddæssante

cessante ratione legis cesseret etiā eiusdem legis dispositio, sed hoc tunc solū ita fieri oportere dicet, quando effectus legis non est iā consummatus. Nam alias, si lex iam suum obtinuit effectum, etiā si ratio legis cesseret, legis tamen dispositio cessare non debet, ut notat Philippus Decius in cap. Cūm cessante, de appellatio. In hoc autem casu, antequam filius patrem de crimine accuset, iā illa prædicta. *L.* Quisquis suum obtinuit effectū. Quia omnes illæ pœnæ in illa lege decretæ, sola morte excepta, ut ex discursu literæ cōstat, sunt ipso iure inflictæ, & inde sequitur, ut à die quo pater crimen commisit, antequam filius illum accusaret, pœnæ illæ suum fuerint sortitæ effectum. Et inde ultius sequitur, ut quāuis per filii accusationem ratio illius legis, Quisquis, cessare videatur, illius tamen legis dispositio cessare non debeat: quia effectus illius erat iam executioni mandatus. Sed hæc responsio non valet, quia id quod dicitur quod effectu legis consummato, non debet cessare legis dispositio, etiā si ratio legis cesseret, tunc solum verum erit, quando lex ex manifesta rei cognitione procedit ad executionē: non autem quādo ex sola suspicione procedit. Tunc enim si cōstaret suspicionem esse falsam, & ex falsa suspicione fuisse processum ad legis effectum, necessario erit præceptum legis renocādum, & sic cessante ratione, necessario debet cessare lex. In patre, qui manifeste probatur regiam læsissimam maiestatem, etiā si postea sui sceleris aperte pœniteret, & manifestis argumentis suam fidelitatem probaret, nunquā ob hoc erit liber ab infamia & aliis pœnis quas soso iure iā incurrerat. Quia & si tunc ratio legis cesseret, ipsa tamen lex cessare non debet: propter rea quod per apertam sceleris cognitionem lex illa suum obtinuit effectum. At nō sic in filio, qui, & si à die quo pater crimen commisit, incidit in pœnas illas, non tamē ob manifestam sui criminis cognitionem, sed ob solam iuris suspicionē omnes illas passus est. Oportet igitur, ut postquam ille patrē suum de eodem criminе accusans, manifesto argumento probauit ius in tali suspicione fuisse deceptum, declaretur esse ab illis pœnis immunis in quas propter solam suspicionem fuerat damnatus.

De hac tamē re volui in hac parte admonere lectorē, ut non putet, idē proīsus vbiq; dicendum esse de infamia

&

& aliis pœnis quæ filio propter crimē patris infliguntur.
 Nam in filiis illius qui i regiā læsit maiestatem, est hoc dis:
 crimen, quod is q: i ante delictū patris commissum natus
 est, nullā ex criminē pate: no trahit infamiam, nec aliquā
 ob illud à iure suscipit pœnā, sed omnes illæ pœnæ à iure
 decretæ eos solum filios concernunt, qui post delictum
 commissum nati sunt, ut notatur in. l. C. de libertis &
 eorum filiis. Nam ex illo loco Baldus colligit legem ge:
 neralem, vt delictum patris nunquam noceat filio, qui
 ante illius delictum natus est, sed illi soli qui postea na:
 scetur. Quia hic solus (vt ille ait) contrahit maculam ex
 radice patris iam infecta, alius autem non, sed à radice
 sana. Eadem sententia apertius (vt ego censeo) colligi po:
 test, ex. I. Emancipato. paragra. finali. ff. de senatoribus.
 Et de hac re est in Hispania in regno Castellæ lex specia:
 lis. Nam in lib. septem partitionum, qui vulgo dicitur. li:
 bro delas siete partidas, in secunda partitione, titu. 27. l. 6.
 circa finē, dicitur. Pero no se entiende. &c. Quæ litera (vt
 ego existimo) aut ex vitio scriptorum, aut errore impres:
 torum, est aperte corrupta, quia prout illic habetur, nul:
 lum protinus verū sensum reddit. Sed apertus & verus il:
 lius sensus colligitur ex Glossa Montalui, illic in lingua
 latina adiuncta, quæ postquam de pœnis regis proditori
 infligendis, dixerat, continuo post de illius filiis loquens
 ait. Et eius descendentes ex filiis postea procreatis perpe:
 tuo exulent, filij autem ante habitu, ob hoc vel aliud pa:
 ternum delictum non puniuntur. Hæc Montaluu. Ex Montaluu
 qua Glossa ego coniicio literam illius legis supracitatæ,
 quam corruptam esse constat, esse ad hunc modum corri:
 gendam. Pero no se entiende delos fíjos que ouiesen fe:
 cho ante que errasen. Mas de los que despues fiziesen,
 siédo ellos tā de mala vētura quē viuos fincasen. Ca los
 derechos que fallarō los antiguos de España en todas las
 cosas alli do pusieron pena a los fíjos por razon de sus pa:
 dres, siempre guardarō esto que no ouiesen pena los que
 sus padres auian engendrado, ante que el fecho malo fiz:
 ziesen. Et quod sic corrigenda sit litera, aperte conuinci
 potest per alteram legem quæ habetur in eodem libro,
 partitione. 7. titu. 31. l. vltima, ubi postquam lex præcepit
 mulierem prægnantem, & si pœnam mortis mereatur, nō
 occidi

Lex Regni
Castellæ.

occidi quousq; pepererit, rationē reddens hæc verba sub-
iugit. Casí el iñó que es nacido no deue recibir pena por
el yerro del padre, mucho menos la merece el que esta
enel venirre por el yerro dela madre. Hæc ibi. Ex quibus
omnibus constat latum esse discrimen inter filios eorum
qui crimine læsæ maiestatis sunt maculati: ita ut illi soli
qui post crimen commissum geniti sunt, infamia & alias
iuris pœnas incurrat, alii, qui ante geniti fuerant, ab his
omnibus pœnis exemptis. An autem idem etiam in filiis
hæreticorum sit dicendum, ego dubito. Calderinus in
consiliis suis, titulo de hæreticis consilio. 3. mouet hanc
quæstionem & post multa hinc inde allegata, tandem
dicit, Catholicos filios hæreticorum, qui ante quā pater
laberetur in hæresim, nati sunt, non esse puniendos illis
pernis quæ si iure contra filios hæreticorum statutæ sunt.
Sed non obstatibus omnibus illis, quæ pro hac sententia
Calderinus assert, ego magis in hanc sententiam propen-
sus sum, vt credam nullum inter filios hæreticorum ha-
bendum esse discrimen, per hoc quod ante hæresim patris,
aut postea geniti sunt. Quia ius canonicū, quod filiis hæ-
reticorum infamiam & alias irrogat pœnas, nullum pror-
fui inter eos ponit discrimen, vt aperre constar per capit.
Statutū, paragra. Hoc sane & per ca. Filij, de hæret. lib. 4.
Nam in illis duobus locis, Papa de filiis hæreticorum lo-
quens nillā ponit inter illos distinctionē, per hoc quod an-
te aut post nati sunt: sed solum per hoc quod patres illorū,
fuerunt usq; ad mortem in sua hæresi pertinaces, aut ante
mortem de suo errore correcti sunt, & vnitati ecclesiæ in-
corporari. Sed ad hoc argumētum respondet Calderinus
dicens, quod licet ius canonicum indistincte loquatur de
filii hæreticorum, quia tamen non est eadem ratio par-
ticula iūm contentorum sub illa vniuersali sententia, di-
stinguēdi sunt filij ante nati ab illis qui postea nati sunt.
Rationem autem diversitatis ille dicit esse hanc. Quia
qui postea nascuntur, descendunt à sanguine reprobato:
& ideo merito suspicandum est, tales illos fore, quales pa-
rentes eorum fuere. Filij vero qui ante nati sunt, quia nō
descendunt à sanguine infecto, ideo non est iustum ut in
illis paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla me-
tuantur. Sed hæc responsio nullius prorsus est robotis.

Primo, quia ubi lex non distinguit, nec nos distingueremus, ut dicitur in cap. Quod si dormierit, 31. q. 1. & in cap. Solitae, paragra. nobis autem, extra de maiorit. & obedi. & in l. Imperator. ff. de postulan. & in l. 3. ff. de officio praefidis. Et ideo licet in crimen læse maiestatis sit ponendum illud discrimen, non tamen in crimen hæresis. Quia leges Imperiales ad quas spectat de crimen illo ceniere, aliquid ponunt discrimen inter filios patris qui regiam aut Imperialem læsit maiestatem. Ius autem canonicum circa pœnas quas filii hæreticorum irrogandas esse censuit, nullum posuit inter ipsos filios hæreticorum discrimen, per hoc quod ante, aut post crimen a patre commissum nati fuissent. Et per hoc aperte coincidunt, omnes illas leges, quas pro sua sententiæ confirmatione Calderinus citat, nihil illi suffragari posse. Quoniam & si in aliis criminibus, ita faciendum esse, ius ciuile aperte decernat, in crimen tamen hæresis, ius canonicum ad quod res hæc spectat, nihil tale fieri præcepit. Præterea, ratio diuersitatis, quam inter filios hæreticorum, quæ ante, aut post crimen a patre commissum nati sunt, Calderinus assignat, nulla est. Quia & si sanguis patris infestus possit vrcunq; filii nocere, ut inde ad aliqua peccata committenda illi inclinationem & quandam pronitatem habeant, hoc tamen verum non est in peccatis illis quæ pure spiritualia censemur, & nullum habent cum carne commercium, neq; ullam a carne originem trahunt, ut sunt omnes inuidiae, multæ superbiæ species, videlicet de suis meritis cōfidentia, suæ tantum prudentiæ inniti, alios omnes ad sui comparationem despicer. Hę omnes superbiæ species, inter peccata spiritualia censemur, quæ nullam a carne trahunt originem. Hæresis autem & si a carnalibus vitiis aliquando oriatur, præcipua tamen illius causa (ut libro sequenti dicemus) est superbia. Quoniam hæc est vera omnium hæresum parens, a qua portis simum omnes hæreses generantur. Quo sit, ut licet aliæ quæ sint hæreses, quæ a carnis concupiscentia quodam modo oriantur, multæ tamen sint aliæ quæ nihil communne cum carne habent, nec ad illas carnis concupiscentia solicitat, sed omnis illarum error a sola voluntatis malitia procedit. Circa has igitur hæreses sanguis patris quæ

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

libet infectus, nihil potest nocere filio, ut in illo paternis
hæreseos exempla metuantur: cum tales non à carnis
concupiscentia (ut cætera crimina) sed ab ipsis animæ
superbia oriuntur. Et inde apertissime conuincitur, nul-
lum posse dari certum discrimen inter filios hæreticorum,
per hoc solum quod ante, aut post crimen à patre commissum
nati sunt. Sed forte quis mihi obiciet per ea quæ supra
cap. 9. huius libri, quum de infamia loquiemur, diximus.
Eo enim loco de infamia hæreticorum, quæ ad filios etiam
Catholicos deriuatur tractantes, probauimus, iuste
illam infamiam ad filios deduci, quia complexione corre-
poris, & inclinationes corporales saepe filii à parentibus
trahunt: & inde suspicio oritur, ut filii in eodem laban-
tur errores, in quos patres eorum lapsi fuerunt. Fateor
in multis hæresibus, videlicet in illis quæ à carnis conci-
pientia ortum habent, hanc esse iustum suspicionis cau-
sam, quanvis non solam aut præcipuam. Si pater hæreti-
cus credit, non esse ieunandum certis diebus, ut Aerius
docuit, aut ieunia nullius esse virtutis, ut censet Luthe-
rus, aut virginitatem non esse præstantiorem matrimonio,
ut Iouianus dixit, aut in aliam similem hæresim
de carnis delitiis tractantem lapsus est, filius illius iuste
ob hoc metuitur in similes errores qui à carne oriuntur,
aliquando fore lapsorum. Si tamen pater in hæresim Ar-
tri, aut Sabellii, aut Nestorii, aut Dioscori & Eutychetis
lapsus est, propter solam hanc causam, quod patris comple-
xionem suscepit, non iuste metuitur, quod filius in eandem
labatur hæresim, in quam lapsus est pater. Quia hæreses
istæ, non à carnis concupiscentia, ut aliæ, sed à sola men-
tis superbia, orræ sunt filii autem, non animam rationa-
lem, sed solam carnem à parentibus suscipiunt. Et ob
hanc causam ego cap. 9. huius libri, quum de infamia hæ-
reticorum quæ usque ad filios eorum deriuatur, tractare,
non dixi hanc solam esse causam quod illa usque ad filios de-
ducatur, quia illi corporis complexione, ac proinde in-
clinationes ad vitia à parentibus trahunt, sed aliam ad-
didic rationem, quæ mihi potior videtur. Quia videlicet
ex amore quo erga parentes suos afficiuntur, sed semper
procurant esse parentum suorum imitatores, & saepe ad
eorum imitationem nituntur vitam suam compondere.

Et ob

Et ob hanc causam, cap. 8. huius libri probauit patriā potestatem, quam parentes in filiis suis habent, iuste ab hæreticis parentibus ablatam esse, ne filii ex amore quo erga parentes afficiuntur, & ex longa conuersatione cum parentibus habita, criminis paterni fiant imitatores. Hęc autem parentum imitatio, non distinguitur in filiis per hoc quod ante aut post, natū sunt, & inde conuincitur, vt in crimen hæresis quod non semper à carne oritur, non sit ponendum discrimen inter filios hæreticorum, per hoc quod ante aut post crimen à patre commissum natū sunt: præsertim, cùm ius canonicum ad quod hęc res spestat, nullum inter filios hæreticorum posuerit discrimen, sicut ius ciuile posuerat inter filios eorum qui regiā aut Imperialem læserunt maiestatem. Deinde constat, vltiorne parentum sępe in filios deriuari, propter solam sceleris grauitatem, ad incutiendum aliis terorem, vt in filio bastardo, qui absq; culpa sua, non tamen sine causa à ministerio altaris prohibetur. Et hanc puto esse potiorē causam propter quam filiis hæreticorum quanvis Catholicis, tot pœnæ sunt à iure infictæ: ad sceleris videlicet grauitatem denotandam, & aliis per hoc timore incutiendum. Quæ ratio cùm in omnibus hæreticorum filiis æque militet, conuincitur inde etiam nullum esse inter illos ponendum discrimen.

Secunda conclusio. Filius qui patris hæresim iudicavit reuelavit, illius perfidiam aperte demonstrans, dignus est vt bona quæ ex patre iure hereditario illi competere poterant, nō auferantur ab eo, sed omnia in mercede ut lux virtutis illi reddantur. An autem ex iuris scripti rigore & necessitate ita, vt hęc conclusio dicit, faciendum sit, mihi non constat, & ideo de sola congruentia & qualitate naturali æquitate loquor: vt æquum sit & ratione naturali congruum, sic fieri quemadmodum in nostræ conclusione dicitur. Aliquos iurisperitos legi qui ita faciendum esse docent, nullus tamen illorum quos videre licuit, citat textum per quem illa conclusio aperte ex iure probari possit. Doctor Palacios ruuios in repetitione cap. Per vestras, extra de donatio, inter viu. & vxo. dicit bona patris esse reddenda filio, qui patris delictum reuelavit, etiā si pater damnetur per l. Quisquis, C. ad l. Iul.

Maiest. Pro huius tamen sententiæ probatione, nequæ vllam legem ex iure ciuili, neq; canonem ex iure canonicō citar, sed solam quandam constitutionem Federici Imperatoris. Repertorium inquisitionis eandem sententiam docet, in verbo Filli. paragra. Sed circa supradicta. Et ad suæ sententiæ confirmationem, solum etiam citat illam Federici constitutionem. In qua, postquam varias contra hæreticos & eorum filios poenas statuit, hęc tandem quæ sequuntur, adiungit. Nec quidem à misericordia finibus duximus excludendum, vt si qui paternæ hęresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacunq; reatus illorum animaduersione plectantur, prædictæ punitioni non subiaceat innocentia filiorum. Hęc sunt verba constitutionis Federici. Quæ constitutio, si aliquid vigoris habet, in illis tantū terris quæ Imperatori subduntur, vim suam habebit. Quod autem Repertorium dicit, illam Federici constitutionem confirmatam esse per Ecclesiam in cap. Ut inquisitionis, de hæreticis, lib. 6. fallitur. Quoniā & si constitutio illa ibidem laudetur & confirmetur, nō tamen absolute & universaliter, sed cum limitatione confirmatur per hęc verba. Quatenus (inquit Papa Bonifacius) Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promouent, & hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canoniciis non obstant. Ecce vides qua limitatione summus Pontifex ille las Federici cōstitutiones confirmauit. Igitur vbi ea in constitutione Federici decernuntur, quę aliis sacris canonibus sunt contraria, conuincitur ea nō esse per Papam ibidem approbata. Filii autem hæreticorum, etiam si ipsi sint Catholici, absq; vlo discrimine sunt iure canonico ab hereditate paternorum bonorum exclusi, vt patet in cap. Vergentis, extra de hæreticis. Quo sit, vt constitutio Federici pro ea parte qua iubet, bona paterna reddi filio, qui hęresim patris latenter reuelauit, non sit per Papam confirmata, quia repugnat id quod dicitur in cap. Vergentis, vbi sine vlla limitatione, filii hæreticorum excluduntur ab hæreditate paterna. Cum itaq; ex iuris rigore & necessitate, non constet bona patris hæretici esse reddenda filio Catholico, qui patris hæresim latentem reuelauit, ego solam huius rei æquitatem volo ostenderi.

re, & probare æquum & rationi congruum esse ut ita fieri præcipiatur. Nam æquum & iustum est, vt bene & studiose agenti, præmium reddatur, præsertim si in opere quod studiose agit, principi, aut reipublicæ seruit. Alioqui, pauci essent, qui ad virtutis opera mouerentur, si omnis spes præmij ab operibus bonis tolleretur. Quoniam & si multo melius sit solo virtutis amore, quam per spem præmij, opera studiosa exercere, multo tamen plures sunt, qui per spem præmij, quam qui solo virtutis amore, mouentur ad bonum. Ideò Paulus talem hominum conditionem agnoscens, vt rarissimi sint, qui omni præmio secluso moueantur ad virtutem, dixit: Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Hoc ideò Paulum dixisse constat: quia nisi homines crederent Deum præstare mercedem his, qui serviant illi, nulli, aut quam rarissimi essent, qui gratis velent illi seruire". Nam David ille prophetarum eximius, inclinavit cor suum ad faciendas iustificationes Dei, propter retributionem. Et Moyses ille, quem ob eximias illius virtutes Deus Israelitici populi ductorem, & legistorem instituit, & cum quo Deus quasi amicus cum amico loquebatur, aspiciebat (vt Paulus de illo refert) in remunerationē, vt magis eligeret affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem. Si isti tales, ac tanti viri Deo seruientes aspiciebant in retributionem, quam suis meritis dandam sperabant, quis iam tanus erit, vt omni spe remunerationis seclusa, Deo seruire, & illi per omnia obedire velit? Et inde apertissime conuincitur nullum Principem, nullamq; rempublicam, hoc sibi iuste arrogare posse, vt velit subditos suos sine ultra præmis spe de se bene meritos esse: sed oportet eos iuxta meritorum diuersitatem, bene merentibus diuersa polliceri præmia, vt quisque ad tanto maius seruitum Principi exhibendū anhelet, quanto maius inde sperat præmium. Vnde beatus Gregorius Maximiano Episcopo Syracusano scribens, ait: Iustum namq; est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commendare reperiuntur obsequium. Hæc Gregorius. Et citantur à Gratiano in cap. Charitatē. 12. q. 2. Et hoc ipsum agnoverunt Honorius, & Archadius Imperatores in illa. l. Quisquis. paragra.

OO. 3

Sane,

Hebr. ii,

Psal. 118.

Hebr. ii.

Grego.

Sane. C.ad.l.Iul.maiest, vbi illum, qui initam factionem prodiderit, premio ab illis, & honore decorandum esse promittunt. Si is, qui alium hominem, nullo sanguinis vinculo sibi coniunctum, accusat, probans eum lesae maiestatis reum, dignus est, vt premio, & honore decoretur, multo certe dignior erit premio & honore, qui zelo virtutis accersus proprium patrem de eodem crimine accusare non reformidat. Is enim desiit esse filius, vt fidelem subditum ageret, & orphanus viuere, quam Principis in columitati deesse maluit. Piæterea, si is, qui studio veræ laudis accensus (vt illi Imperatores aiunt) proditorem revealat, vt Regiam maiestatem seruet illæsam, premio, & honore dignus est, multo iustius est, vt qui studio fidei Catholicæ accensus, hæreticū prodit: premio, & honore decoretur, propterea quod ecclesiam Catholicam, quæ cunctis Imperatoribus est maior, & melior, vult seruare illæsam, vt exclusa ab ea omni hæretorum veneno, nullum ex his membris, quæ sibi per fidem vniuntur, ab ea per hæresim absindatur. Sicut enim multo grauius est diuinam, quam humanam ledere maiestatem, vt dicitur in cap. Vergentis. extra de hæreti. ita econtrario, multo melius est diuinæ, quam humanæ seruire maiestati, & diuinæ, quam humanæ maiestatis honorem zelare. Rursus is, qui revelat coniurationem contra Romanum Pontificem initam, etiam si sit particeps criminis, non solum purgatus à culpa: sed etiam remuneratione, quæ non sit indigna subleuari præcipitur, in cap. Si quis Papa. 79 dist. Et hinc apertissime colligitur multo iustius esse, vt filius Catholicus patris hæresim revelans premio donetur, quum hic non sit particeps criminis paterni, sicut ille. Si quis fortè dicat maius, & grauius esse hæresis crimen, quam coniuratio contra Papam: ac proinde nō esse æque iustum, vt hic premio donetur, sicut ille: is certe sic dicens potius ex suo dicto nostram colliget sententiam, quam suam. Nam sicut grauius peccatum est hæresis, quam coniuratio, aut quodvis aliud crimen lesæ maiestatis: ita ex opposito maius bonum facit, qui resistit hæresi, quam qui resistit coniurationi: & ita maiori premio est dignus. Fortè quis dicet, fatendo dignum esse, vt talis filius premio donetur: sed satis magno premio illum donatum

donatum esse dicet, per hoc quod à pœnis, quæ illi ob pa-
 triis delictum est, aut à iure factæ, ut liberatus, nec opus
 esse, ut bona paterna illi pro præmio reddantur. Sed qui
 sic dixerit, nūcūm à veritate errabit, & ostendet se non
 intelligere, quanta sit differentia inter declinare à malo,
 & facere bonum. Sunt enim hæc duo valde diuersa, &
 à se inuicem separabilia, quibus alia duo etiam valde di-
 uersa respondeant: quæ sunt liberari à pœna, & donari præ-
 mio. Hunc boni initio, quod est, declinare à malo, re-
 spondet alterum, quod est, liberari à pœna. Non enim
 per hoc solum, quis liberatur à pœna, quod bene agit, sed
 per hoc, quod declinat à malo. Nam alioqui, si qui nec be-
 ne, nec male agit: sicut est dormiens, non liberaetur à
 pœna. Soli igitur bonæ operationi responder præmitum.
 Et inde contigit aperte silium, qui patrem de hæresi accu-
 sat, per hoc solum liberari à pœnis, quæ alioqui fuissent
 sibi infligendæ, quod constat eum non esse paterni crimi-
 ni imitatorem, nec iuste in illo paternæ iniquitatis exem-
 pla esse metuenda. Sed quia non solum est liber à culpa
 paterna, verum etiam præclarum insuper facinus addidit
 patris hæresim reuelando: ideo opus est, ut non solum li-
 ber à pœna: sed præmio dignus censeatur. Et sic dignus
 esse conuincitur, ut illi bona paterna reddantur. Accedit
 ad hæc omnia, id quod concordi sententia omnes Theo-
 logi docent, iustum omnem in quoquis bono opere, quod
 pro altero egerit, prius sibi, quam alteri mereri, nec alteri
 mereri posse, qui sibi ipsi non mereretur. Et inde Theolo-
 gi colligunt eum, qui in peccato mortali, & cum volunta-
 te peccandi persistit, quamuis instantissime, & feruentissi-
 me pro alio peccatore Deum orer, nihil illi ad animæ sa-
 lutem mereri, propterea, quod sic existens: nihil sibi ip-
 si mereri potest. Filius, qui patris crimen reuelauit (vt su-
 pra in. 1. arti huius questionis ostendimus) meretur, vt
 pater ab eo oblatus mitius puniatur, quam si ab alio pro-
 deretur: ergo iustum est, vt sibi ipsi aliquid mereatur:
 quum multo facilius sit sibi ipsi, quam alteri mereri, & cer-
 tum sit, vt prius sibi quisque, quam alteri mereatur. Hæc sunt,
 quæ de hac re pro æquitate, & congruentia prefatæ secun-
 dæ conclusionis dici posse mihi videntur: quamuis illa (ve
 dixi) nullo modo ex iuris rigore, & necessitate probari

posit. Et inde infero, ut filius quantumlibet sit Catholicius, & quamvis patrem de hæresi conuicerit, non sit tunc in conscientia, bona patris, quæ illi iure hæreditario competere poterant sibi ipsi capiendo, & retinendo. Quia cum hoc nō sit illi à iure concessum, oportet illum iudicis sententiam expectare à quo hæreditas patris, aut similis alia res, pro suæ virtutis præmio concedatur, prout in alio casu fieri decernitur. in l. prima. C. quibus causis ser. præ. lib. accipiunt. Ante iudicis ergo concessio nem male ageret filius, qui patris crimen reuelauerat, bona patris retinendo.

MULTA ALIA ad hæretorum pœnas pertinencia potuisse in hoc secundo libro pertractare, quæ omnia multiplici ratione motus prætermisi. Nam eorum aliqua adeò sunt aperta, vt vel mediocriter doctum latere non possent. Deinde si quæ fortè difficilia, & recondita sunt de quibus nihil in hoc secundo libr. disserui, ea non ad pœnas (vt ego arbitror) spectant: sed ad solos processus per quos iudex ad sententiam dicendam progreditur, spectare puto. Quæ cùm sint ab eo, quod à principio operis dicere statui, longè diuersa necessario sunt à me omissa, ne longè ab scopo me diuertisse à multis accusarer. Accedit ad hæc illarum rerum qualitas, & conditio. Nam ea, quæ omisimus talia sunt, vt melius de illis iurisperiti, quam Theologi differere possint, & ob eam potissimum causam illis necessario reliquenda esse censui.

SECUNDI LIBRI Finis.

Fr. Alfonsi A Castro

ZAMORENSIS, ORDINIS MI.

norum, in tertium Librum de Iusta
hæreticorum punitione,

PRÆFATIO.



Visquis populi regendi curam habet, si iuste & sancte suum cupit exequi ministerium id præ omnibus optare, & pro illo assequendo nihil intentatum relinquare debet, ut nulla perpetrentur sceleræ, quæ nisi remissus, & prorsus negligens haberi velit, sit necessario puniturus.

Nam qui flagitia, quæ punire valeat in subditis suis optat, & querit, is non Rex: sed tyrannus, non pastor: sed lupus, non iudex: sed carnifex merito censendus erit. Nec satis est Regi, aut Episcopo, aut cuiuis alteri regimini curam habenti, quod criminæ, aut scelera nulla cōmiti optet: sed opus est, ut diligenter procuret, & totos huic rei neruos impendat, ut hoc ipsum, quod oprat, eueniat. Nam si ob illius negligentia aliquod horum contigerit, id omne illi erit merito imputandum, & de omni tali illum Deo rationem exactissimam reddere oportebit.

Oportet enim, ut omnes mundi rectores quoque nomine illi censeantur, intelligent se non in hoc solum à Deo positos esse, ut criminæ puniant: sed potius, ut id primum procurent, ne vlla scelera perpetrentur. Rector enim & populi gubernator bonum, & pium medicum in hac parte imitari debet, qui si tuendæ alicuius hominis salutis curam suscepit, non solum nititur illum postquam ægrotauerit, pristinæ restituere saluti: sed ne in morbum aliquem incidat, omnem adhibet diligentiam. Si medicum imitari dēdignātur Principes, aut Episcopi aut cuiuis alij orbis rectores, vel Deum ipsum, qui totius mundi sapientissimus est gubernator, & rector, non est cur imitari dēdignentur. Inspiciant ergo illum omnes Christiani orbis rectores: & si rectè, quæ illis com-

missa sunt, administri cupiunt, faciant iuxta diuinum exemplar, quod illis sacra ostendit scriptura. Deus siquidem (ut sacræ nos docent litteræ) neminem perire cupit, sed vult omnes nos saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Neminem certè perire voluit, aut à recta iustitia linea, vel latum pilum discedere: qui ne ullus vñquam (nisi vñtroneus & lubens) errare posset, certissimam omnibus, qua vitam possent assequi sempiternā, viam ostendit, paratus præterea semper iuuare omnes, qui suo destituti auxilio frustra illam assequi conantur. Docet Deus bonum, hortatur ad illud, promissis allicit, flagellis presentibus vrget, incipientes iuuat, progredientes comittat, & fouet. De quo quis peccato ne incauti in illud incidamus sæpiissime admonet. Si nos peccato proximos vident, acerbissimis pénarum minis nos ab illo deterret.

Si iam collabentes conspicit, supponit manum suam, ut non collidamur. Quia hostes nos circumstant, qui nos ad peccatum semper impellere conantur, amicos, ne dicam pedagogos, nobis angelos contulit, qui nos contra hostes iuuarent, & qua pescent parte ab illis tuerentur. Tam seruente deniq; voluntatem conseruandi nos in honestate, & à malitia auerterendi Deus habet, vt p̄fō hac re nihil illum prætermisſe videatur Fareamur ergo omnes cum Propheta. atque vt accepti m̄ Deo seramus, necessitate est: quod nisi Dominus adiuuisset nos, paulominus in omne peccatum lapsi fuissimus. Hanc igitur immensam Dei misericordiam & vigilantissimam, quam nostri perpetuam ille curam habet, vel aliqua ex parte imitari deberent quotquot Dei loco p̄fēsent, quos ille ad sui populi gubernationem varios instituit ministros, vt quemadmodum illum in prælatione imitantur, ita etiam imitantur in cura & diligentia, vt omnes, quas potuerint exercant vires, vt subditos suos in virtute custodiant, & à vitiis aueriant. Quod si tam exactam circa reliqua omnia scelera oportet rectores adhibere diligentiam, vt illis ne oriāntur occurant: tanto iustius est, vt eam ipsam diligentiam ne hæreses nouæ oriāntur, aut veteres reuocentur, adhibeant, quanto hæresis reliquis omnibus peccatis noscitur esse peior, arque pestilentior. Si diligenter vigilare debent rectores, ne furtū, homicidia, adulteria,

aliquæ

Aliaque id genus crimina in populo fiant, multò iustius est, vt diligenter attendant, ne hæreses in populo oriantur, quæ inultò plus nocumenti possunt toti populo inferre. Hæresis enim sola eit quæ totius Christianæ religionis fundamentum, quod fides eit, impedit, atque prorsus euertit, quo sublato reliqua omnia, si quæ aderant bona, statim corruere est necesse. Cūm igitur tanta necessitate Christiani orbis Rectores non solum hæreses extinguere, sed illas ne insurgant impedire cogantur, ne solem nudam monitionem eisdem Rectoribus præbuuisse videar, decreui in hoc tertio Libro viam certā illis ostendere, qua, si volunt, facile possunt hæresibus, ne oriantur, occurrere.

MULTAS ESSE VIAS DOCET VR,
quibus commodè possunt hæreses impediri,
ne oriantur, & de vna illarum specia:
liter differitur in hoc Capite primo.

Quoniam necessarium est Principib⁹, & aliis omnibus totius reipublicæ Christianæ Rectoribus quocunque nomine illi censeantur, vt diligenter omnes iuxta suæ prælationis obligationem, & potentiam inuigilent, atque laborent, vt nullæ vñquam oriantur hæreses; ideo operæ pretium me facturum existimauī, si vias alias, quibus hoc commodè fieri posfit, illis ostendero. Vias autem ad id faciendum, & si multas alij forte possent docere: ego tamen vnam latissimam, & certissimam viam ostendam, quæ tamen postea in varias diuiditur vias. Oportet enim omnes auferre occasiones, quæ possunt ansam hæresibus præbere, euellere omnes radices, ex quibus perspicuum est hæreses facile posse nasci. Hæc mihi re vera visa est certissima, & rectissima via, qua commodè possunt hæreses, ne oriantur, impediri. Nam sublata causa necesse est etiam tolli effectus, qui ab illa prodire debuissent. Nec melius res aliqua impediri potest, ne oriatur, quam si causas omnes, quæ illum gignere possent sustuleris. Hoc igitur cūm sit adeo notissimum, vt nemo possit inficiari, supereft hæresum radices

radices ostendere, ut illis aperte ostensis, ad illas evellendas Principes omnes accingantur, & sic ne hæreses nascantur, efficiant. Radices, & causæ hæretum variae sunt, & duplice nomine censentur. Quæsdam dicere possumus intrinsecas eas videlicet, quæ latent, & fixæ sunt in animabus eorum, qui hæreses tenent. Aliæ causæ, & radices dicentur extrinsecæ, aut si maius externæ, & sunt illæ, quæ foris sunt, & extra personam illam, quæ est in hæretum lapsa. De causis intrinsecis hoc solo cap. differemus: quoniam istarum ablato magis ad singulas quaque personas, quam ad Principes, aut Rectores, spectat. De aliis vero extrinsecis causis, quæ multæ, & variæ sunt, & facilius à Principibus possunt auferri, per multa cap. pertractabimus. A causis igitur intrinsecis incipiens: dico certissimam, & indubitatem, atque præcipuam hæretum causam esse proprium hominis peccatum. Et hoc aperte declarauit Salomon, qui de iusto ante tempus ex hac vita sublato lo-

Sap. 4. quens, ait: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Quibus verbis nos docet malitiam esse tam potentem, ut intellectum hominis ex uno iudicio vero in aliud falsum, atque peruersum mutare valeat. Nam voluntas (vt experientia nos docet) sèpè trahit ad se iudicium rationis, ita ut intellectus ea iudicet bona, quæ videt voluntatem amare, & illa dicat esse mala, quæ scit voluntatem odisse. Propterea Aristoteles in Ethic. censet omnem malum esse ignorantem. Quod non ideo illum dixisse putandum est, quod existimauerit omnem malitiam voluntatis ab ignorantia oriri: sed potius econtrario: quia ex omni voluntatis malitia aliqua oritur ignorantia, quæ iuxta mensuram affectionis ipsius voluntatis crescit, aut minuitur. Licet voluntas (vt Augustinus ait) non posit velle, aut nolle, nisi id, quod est ab intellectu præcognitum, non tamen opus est, ut antequa voluntas velit aliquid, aut nolit, intellectus illud iudicet esse bonum, aut malum: sed satis est, ut simplici cognitione illud præcognoverit, nulla prorsus bonitatis, aut malitiæ habita ratione: prout quotidie contingit in his, qui sine consilio, & deliberatione operantur, non cōsiderantes, an bonum sit an malum id, quod facere decernunt. Post hanc voluntatis electionem, intellectus sèpè iudicat iuxta voluntatis imperium,

perium, & inde oritur, ut homo sic iudicans peccet. Nam licet in intellectu non possit esse peccatum, propterea quod ille non liberè operatur: est tamen peccatum in voluntate à cuius imperio, & affectione mouetur intellectus, ut hoc aut illud iudicet. Importens siquidem, & effrenata affectio voluntatis prorsus euertit iudicium rationis. Et hoc est, quod ait Iob: Animæ esurienti etiam amara dulcia Iob. 4.
 esse videntur. Et hæc est illa cæcitas animæ, quæ à malitia voluntatis causatur. Nam de Iudeis, qui odio, & inuidia moti Christum saluatorem nostrum occiderunt, Salomon loquens ait: Malitia eorum excæcauit eos. In principio quidem ex scripturis sacris, & temporum coniecturis, & ex mirabilibus per eum factis bene intellexerunt Christum saluatorem nostrum esse verum Messiam in legie promissum, quum videlicet (iuxta parabolam Salvatoris) dicebant: Hic est hæres, venite, occidamus eum. Sed postea quia illorum malos mores arguebat, & increpabat, irreconciliabili odio illum persequebatur: & quia populum illi nimium affectum, atque credulum videbāt, inuidia in illum exarserunt. Quæ adeò illorum mentes occupauit, ut illos prorsus excæauerit, ne vera de illo dicare possent, aut bene aliquid de illo sentire. Et iuxta hoc tempus accipiendum est, quod Paulus ait: Si cognovissent: nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Cognoverunt enim illum (ut dixi) sed quando crucifixerūt, iam non cognoscebant: quia malitia illorum (ut dixit Sapiens) excæcauit eos. Et hoc mihi significasse videntur Philosophi, & Poëtæ: quum amorem pingere volentes cæcum illum pinxerunt. Quæ pictura nos docere voluerunt affectus nostros causam esse apertissimam, quod sèpè in iudiciis nostris erramus, & cæcutimus. Ex qua mentis cæcitate facillimè hæreses oriuntur. Ideò Anselmus exponens illud Pauli ex epistola ad Ephesios: Ut non circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ait: In nequitia hominum dixit: quia hæresis non est, nisi in anima subdita petcati: quia peccata commissa sunt causæ, ut Deus permittat eos errare in barathrum hæresis. Hæc ille. Ob hanc causam dæmones generis humani acerbissimi hostes volentes in varios errores, & hæreses homines pretendere, prius illorum voluntates ad peccata

Iob. 4.

Sap. 2.

Mat. 21.

1. Cor. 2.

Ephes. 5.

Anselm.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

peccata sollicitant, ut illæ ardenter affecte, intellectus suos politea in eandem sententiâ venire faciant. Hoc enim optimè intellexerat Dauid, quū dæmones ipsos alloquens dicebat : Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Timebat quidem in scrutinio mandatorum dei errare, si malignorum spirituum tentationes voluntatem suam in peccatum impulsissent. Quod etiam in Palestiniis illis figuratum esse cognoscimus, qui (ut sacra refert

Gen. 29. historia) puteos, quos Ilaac foderat, terræ congerie replebant, ne yllam ex illis Isaæ claram posset haurire aquam. Putei illi profunda secreta sacræ scripturæ, aut mysteriorum diuinorū mihi figurasse videntur, propterea quod

Prou. 18. Salomon ait : Aqua profunda, sapientia in corde viri.

Ille ergo cum Isaac puteos fodit, qui reconditos sacre scripturæ sensus, & Dei profunda mysteria inquirit. Sed hos puteos occulte terra replet Palestini: quia nobis diuina mysteria inquirentibus dæmones terrenas ingerunt cogitationes, quibus nos ad peccata si possint, aut allicere, aut impellere valeant, ut amore terrarum rerum repletæ veræ doctrinæ aquam haurire non possumus. Cum igitur ex supradictis iam manifestum euadat, errorem intellectus ex peccato, & ex malitia voluntatis oriri: fit inde, ut quemadmodum varia sunt in hominibus vitia, & peccata, ita etiam variæ sint in eisdem radices variaq; semina, ex quibus variæ etiam possunt hæreses oriri. Aliquando hæreses oriuntur ex superbia, & ambitione, aliquando ab avaritia, aliquando à carnis illecebris. De superbia nō oportebat longam pretendere disputationem, ut illam ostendamus esse hæresum radicem, cum aperte dixerit Sapiens

Eccle. 20. illam esse omnis peccati initium. Sed licet superbia sit omnium peccatorum parens, & origo: speciali tamē quādam ratione dici potest magis esse hæresum mater quam cæterorum omnium peccatorum, propterea quod hæreses omnes proximius oriuntur à superbia. quam reliqua omnia vitia. Nam superbia efficit, ut plura, quam pars est homo de se sentiat, plura se scire putet, quam revera scit. plura se posse existimet, quam potest, & inde evenerit, ut suis viribus, suæq; prudentiae nimium fidens facilime erret, putans se suis viribus difficultima quæq; posse intelligere, & occulta sacræ scripturæ mysteria propria virtute

Virtute posse penetrare. Contra tamen David sentiebat, qui ait: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Et iterum: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Ideo viri illi, qui tu tim Babel ædificantes cælum concordare voluerunt aliquibus sacris doctribus hæreticos significasse sunt vici: qui cælum etiam ut illi concordare nituntur, quando proprio ingenio frati secreta coelestia se posse timari contendunt. Eucherius enim libro secundo super Genesim capite septimo, iuxta hunc sensum illam historiam interpretatur. Magna quidem superbia est ambulare in magnis, & in mirabilibus super se: aliorum omnium iudicia & sententias contemnere, suo iudicio tantum tribuere, ut illi soli plus quam cæteris omnibus fidar. In pœnam tantæ superbiæ Deus illos ignorantiae cæcitate percutit, ut non intelligant multa: sed pessime errent in illis, quæ si humiliter de se sentirent, facillime intelligere valearent. Nam de huiusmodi superbiis, qui multa de se opinantur Paulus ait: Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et Salomon in Proverbiis ait: Vbi humilitas ibi erit, & sapientia. Quibus verbis ignorantiam, & errorem videtur ex opposito tribuisse superbiæ. Et beatus Gregorius ait: Lumen veritatis elatis mentibus absconditur. Ideo hæreticis elatis, qui iudicium suum totius ecclesiæ iudicio præponere non ventur, Deus per Ezechielem prophetam minatur sic inquisens: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Prophetas insipientes hic dixit hæreticos, quibus eo, quod spiritum suum, & non Dei sequuntur, datur cæcitas in pœnam, ut nihil videant. Nam beatus Hieronimus in commentariis super Ezechielem, præsata verba Ezechielis censet de hæretici esse intelligenda sic inquiens: Cum prophetarum nomen secundum regulam scripturarum bonis, malisque commune sit, in eo differunt: quod boni Prophetæ dicuntur esse sapientes: mali autem stulti, & insipientes. Quorum alterum refertur ad ecclesiasticos viros: alterum ad omnes hæreticos, qui Dei spiritum relinquentes sequuntur spiritum suum: quia nequaquam diuino iustinctu: sed proprio corde vaticinantur: unde & nihil vident.

Psal. 118.

Gen. II.

Rom. I.

Prou. II.

Gregor.

Ezech. 13.

Hieron.

Hæc

Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis apertissimè constat, inde hæretorum omnium hæreses ori: i: quia illi superbia elati spiritum suum sequi volunt. Nam si spiritum ecclæsiæ, qui vtique est spiritus Dei, sequi voluissent nunquam aberrassent à recta fidei Catholice regula. Sed hæc de superbia in genere dicta sunt. Quapropter de quādām illius specie, quæ ambitio, seu immoderatus honoris appetitus dicitur, aliquid addere oportet, vt in specie ostendamus illam esse apertam hæresum causam.

Omnes fermè hæretici præsertim hæresiarchæ honores huius mundi appetunt, volunt ab omnibus æstimari, & in pretio magno apud omnes haberi: quod cum alia via se assequi non sperent, hæreses nouas configere procurant, vt per illas Magistri dicantur, & populi duces. Præterea, notissimum est ambitionem fuisse plurimo: u schismatum causam: quia volentes multi præesse aliis, & nolentes subiici, discesserunt ab obedientia illorum, quibus subesse debebant, & sic schisma fecerunt. At nullum est schisma (vt Hieronymi verbis vtar) quod non sibi aliquam hæresim configat, vt recte ab ecclesia recessisse videatur. Hæc Hieronymus super epistolam ad Titum.

Ex primo igitur ad ultimū gradatim progredientes eundem colligemus ex ambitione sæpè hæreses nasci, quoniam ex ambitione oritur schisma, & ex schismate hæresis. Primam quæ, post Christi in celos ascensionem, orta est hæresis, ambitio peperit. Nam Simon ille Magus,

Act. 8. ius in actibus Apostolorum Lucas meminit, fuit (vt Eusebius Cœsariensis refert) primæ hæresis inuentor, tam furiosa ambitione vexatus, vt conatus fuerit pro Deo à populo haberi, & vt talis adorari, quod postea dæmonे solicitante, & Deo permittente assecutus est. Nam Iustinus

Iustinus. martyr in Apologetico quem pro fide nostra ad Imperatorem Antoninum scripsit, refert illum sub Claudio Cœfare fuisse Romæ declaratum Deum, & velut talem simulachrum (vt Iustinus ait) fuit in flumine Tiberis inter duos pontes collocatum habens titulum Latinis literis scriptum. Simoni Deo Sancto. Quem omnes Samaritanos, & nonnullos ex cæteris gentibus tanquam summum Deum adorasse idem Iustinus refert. Ex hac tam effrenata atque Luciferina Simonis

Simonis ambitione orta est voluntas illa emendi (vt Lucas in actibus ait) donum Dei pecunia, & ex voluntate error intellectus, quo credidit id licite fieri posse.

Ob hoc solum, potestatem communicandi spiritum sanctum Simon hic emere voluit, vt vel hac occasione certatim ad illum pro Dei dono ab illo impetrando populi confluarent, & sic visa tantæ rei nouitate illum populæ tanquam Deum venerarentur, quod ardentissimè asserbat. Ex hac etiam radice orta est hæresis Aërij dicens simplicem sacerdotem esse prorsus æqualem Episcopo, nec aliquid esse inter illos discrimen. Nam Epiphanius in libro octoginta hæresum de hoc Aërio disserens, ait : quod videns Eustachium quendam condiscipulum suum ad Episcopatum peruenisse, quem ipse assequi non potuerat, cœpit inde perturbare omnia & dicere Episcopum non esse simplici sacerdoti superiorem, vt vel hac via parem se Episcopis faceret. Idem contigit Ioannæ Vuiclef, qui (vt de illo rei fert Thom. Vualdensis,) ambiuit in Anglia Episcopatum Vigornensem, quem quia obtainere non potuit, in eundem Aërij errorem lapsus est, dicens nullum prorsus esse discrimen inter Episcopum & quemque alium sacerdotem. Idem prorsus credo euennisse hoc nostro sæculo Luthero, & aliis multis qui post illum surrexerunt hæresiarchis, qui licet in aliis multis dogmatibus sint inter se diuersi, omnes tamen concorditer cum Aërio & Vuiclef sentiunt sacerdotes omnes esse pares, nullumque Episcopum imò nec Papam agnoscunt potestate & ordine superiorem. Vellent quidem omnes illi se esse Episcopos imò & Summos Pontifices, quod si assequerentur, non contemnerent, nec se adeò submitterent, vt inferioris ordinis sacerdotes sibi ipsis pares facerent. Quia tamen id se posse assequi desperant, ne illis, quos irreconciliabili odio prosequuntur, subiici videantur, in hanc pestilentissimam hæresim proportionunt dicentes nec Papam cæteris Episcopis, nec Episcopos aliis sacerdotibus esse superiores. Hos omnes hæreticos figurasse mihi videntur Dathan & Abiron, qui sacerdotium quod illis lege competere non poterat, ambeierunt : & ob hoc contra Moysen & Aarom eleuati sunt, & schisma in populo fecerunt. Ad hunc modum

Num. 16.

Lutherani & aliij recentes hæretici, sancte ecclesiæ corpus disiungere nituntur dum caput quod Deus huic corpori dedit, hoc est, Summum Pontificem, lacerare dedecorare impiis maledictis nō cessant, & (quod ommiu pesimum est) à corpore tollere conantur. Neq; aliud ab istis hæreticis in Papam nunc sit quā à Dathan, & Abiron tunc in Moysen tentatum est. Iustus tamen Deus, qui, sicut illos tunc horrenda & insueta morte puniuit, ita etiam istos omnes miserrima morte de hac vita tollet, apertaque terra in infernum coniiciet, perpetua obliuione sepeliendos.

Auaritia. Alreta hæresum radix est auaritia, prout apertissimè docuit Paulus in priore ad Timotheum epistola, sic dicens.

1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incident in temptationem & in laqueum diaboli, & desideria multa & nocua quæ mengunt hominem in interitū & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quā quidam appetentes erauerunt à fide, & inferuerūt se doloribus multis. In me-

Zach. 5. dio illius amphorę, quam Zacharias propheta vidit egredientem, mulier sedebat, quæ dicebatur impietas. Quod amphora illa auaritiam significet, angelus, qui loquebatur prophetę, ex nomine, quo amphorā appellauit, aperiissimè demonstrauit. Hic est (inquit angelus ad Zathariam) oculus eorum in vniuersa terra. Nihil autem est, quod magis homines aspiciant, quādū auaritiam. A ma-

Hiere. 6. ximo usque ad minimum (ait Hieremias prophetę) omnes auaritiae student. In medio igitur amphorę sedere in pietatem, idē nobis significat, ac si apertius dixisset, quod in ipsis auaritię visceribus sedes defectus religionis, & fidei. Nam sicut pietas ad religionem pertinet, ita ex opere impietas defectū religionis significat. Ex hac pesima radice videlicet auaritia nata est illa Pharisaeorum hæresis, qua docebant Iudeos, melius esse aliquid in templo offerre, quam parentibus egentibus distribuere. Ex

Mat. 15. eadem pestilente radice orta est etiam hæresis Græcorum qui (vt Guido Carmelita de illis refert) dixerunt usurpas esse licitas. Inde oritur etiam hæresis eorum qui putant simoniam esse licitam. Neque hoc solo contenta est auaritia quod hæreses generat: sed tanquam bona mater illas nutrit & fouet, ne ob defectum nutrimenti necessario perire cogantur. Nam beatus Job inter multa quæ subtis-

liter,

Niter, figuratiua quadam (vt solet) locutione de hæreti-
cis disscribit, hoc vnum admiscet, quod radix iuniperorum
sit cibus eorum. Quæ verba interpretans beatus Grego-
rius in moralibus, ait: Quid per radicem iuniperi nisi
auaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ Gregor.
producuntur? De qua per Paulum dicitur. Radix om-
nium malorum est cupiditas. Ipsa quippe latenter oritur 1. Tim. &
in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter
producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac ra-
dice surgentes statim prædicator egregius insinuat, quum
subdit. Quam quidam appetentes errauerunt à fide, &
inseruerunt se doloribus multis. Qui enim multos dolo-
res dixit, quasi nascentes innotuit ex hac radice punc-
tiones. In iuniperis ergo peccata, in radice vero iuniperor-
um, quid aliud quam auaritiam, id est, materia intelligi-
mus peccatorum? Quia igitur plerique hæretici sola in
verbis suis exteriora lucra sectantur, nec ignorant: quia
peruersa astruunt, sed erroris prædicamenta non descrut,
dum sumptus percipere quasi doctorum volunt, bene de
eis sancti viri nunc voce dicitur. Et radix iuniperorum
erat cibus eorum. Quia dum totis mentis luce sensibus
auaritiam cogitant, quasi eo alimento vescuntur, de quo
nasci proculdubio peccatorum sequentium punctiones
solent. Qui si quando in sacro eloquio quædam quasi pru-
denter inueniunt, quæ dum non intelligunt, pro suis esse
assertionibus suspicantur, mox miseris auditoribus suis
quorum non animas: sed substantias appetunt, hæc voc-
ferantes aspergunt. Hactenus Gregorius. Et certè vt ex
multis coniecturis suspicari licet, ego opinor multos ex
istis recentibus hæressarchis, qui modo in Germania ver-
santur, à sola auaritia detineri, ne resipiscant. (Nam vt au-
dio) omnibus illis sunt stipendia publica, & non parua
in ciuitatibus variis assignata. Et de aliquibus eorum le-
gi hac sola ratione esse nimium ditatos, qui tamen anteā
nec ad victus sufficientiam habebat. Ne igitur has quas
nimium appetunt, diuitias amittant, ab hæresibus disce-
dere nolunt, quanvis se errasse intus agnoscant. Et de hac
radice non est mihi mens plura nunc dicere: quoniam su-
pra quum de pœnis hæreticorum disserui, longiorem de
hac re sermonem feci.

Tertia demum hæresum parens & origo est carnis voluptas, quæ leni quadam, & suavi violentia intellectum ad affectum voluntatis trahit, quāuis ante ille vehementer repugnauerit voluntati. Solent enim esse multo potentiores in hac re carnis illecebræ, quāin honores & diuitiae. Quod carnis voluptas attenuet intellectus aciem, & illum sēpē obtenebret, ne secreta fidei mysteria carnis homo intelligere valeat, aperit docet Esaias propheta, inquiens.

Esa.28. *Quem intelligere faciet auditum?* Huic autem quæstioni ipsemet propheta respondens, ait: Ablactatos à lacte, auulos ab uberibus, hoc est, à carnis deliciis separatos. Sed hos solos Deus intelligere facit mysteria fidei, quæ illis dicuntur, necessario consequens est, ut qui non sunt ablactati à carnis illecebris, non intelligat, quæ audierint: quoniam ipsæ illecebræ hebecant intellectum, & aliquando illū prorsus obscurat. Fascinatio nugas citatis (inquit Salomon) obscurat bona: & inconstans concupiscentiæ transuersit sensum sine malitia. Hinc igitur euenit ut qui carnis delicias nimium diligit, & post illas effrenatus currit, illas bonas esse dicat, & licitas esse putet, & sic in hæresim labatur. Ideo Paulus Romanis

Rom.16. scribens ait: Rogo autem vos fratres ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo domino non seruiunt, sed suo ventri. Quæ verba Theophylactus interpretans in cōmentariis super

Theoph. epistolas Pauli, ait: Ex hac igitur ventris ingluwie & vitiiorum seruitute, omnes eruperunt hæreses. Hæc ille. Et iterum in epistola ad Ephesios hoc ipsum iam nō rogat

Ephe.4. Paulus sed præcipit, sic inquiens: Hoc igitur dico & testificor in Domino: ut iam nō ambuletis sicut & gentes ambulat in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum qui desperantes semetipos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiae omnis. Ecce vides Paulū dicentem ab impudicitia & immunditia euenisse gentibus ignorantiam, obscuritatem, tenebras, deniq; cæcitatem cordis. Ob quā causam Ephesios admonet & contestatur in Domino, ut ab illis vitiis abstineant, ne in similes tenebras & cordis cætitatem

citatem incident. Præterea, inter plurimas luxuriae spe-
cies quas enumeraat beatus Gregorius lib. 21. moralium,
una est cæcitas mentis. Quod nō fecisset, nisi certo sciuis-
set mentis cæcitatem à carnis libidine tanquā ex certissi-
ma matre generari. Scelestissimi illi senes qui exarserunt
in concupiscentiā Susannae (vt facia docet historia) euer-
terunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt nō
videtent cœlū, neq; recordarenī iudiciorum iustorum. Dan. 13.
Sanfon ille omnī hominum fortissimus nunquā fuissest Iudic. 16.
à Philisthæis excæcatus, nisi prius in brachiis Dalilæ suā
amisisset fortitudinem. Sic etiā anima nostra, quæ per vo-
luntatis arbitrium tam fortis à Deo effecta est, vt à nullo
cogi posse, & nulli rei nisi volens succumbat, quia prius
ad carnis delicias declinans, mollescit, & vires tuas nati-
tas non exerit, ideo exæcatur ne vera à falsis discernere
posit: sed illas carnis delicias non solitum licitas sed sum-
me bonas esse puter. De hæc re cùm tam multa sint exem-
pla, opus est aliqua in medium proferre, vt vel inde lecto-
ri persuadeamus verum esse quod dicimus. Ex hac nem-
p̄ radice prodidit Basilius, qui obscuras quasque libidi-
nes licitas esse docuit. Erat enim (vt de illo Epiphanius
refert) homo libidinosus & omneā carnis turpitudinem
amans. Inde etiam nata est Cherinti hæresis, qui docuit
carnis delicias in promissa beatitudine futuras, ex hac ra-
dice Adamitarum conuenticula prodierunt. Inde etiam
Anabaptistæ hoc nostro seculo, qui cum aliis vetustiori-
bus hæreticis promiscuum vagumque concubitum om-
nibus permittunt. Hinc illa Aëri hæresis ieuniorum ob:
ligationem, virtutem & meritum prorsus reiiciens.
Ab eadem radice prodidit Iouinianus matrimonii æquās
virginitati. Ex eadem nata est Begardorum & Beguina-
rum hæresis docens omnem coitum vrente carnis libi-
dine esse licitum. Inde etiam, vt omnibus notum esse po-
test, orta est maior pars hæresum, quæ hodie extant in
Germania. Est enim ferè tota illa prouincia compota-
tionibus, voracitatibus, cæterisque carnis voluptatibus
nimis dedita. Et ideo Martinus Lutherus falsus illorum
propheta, ab antiquo generis humani hoste suasus, illa
prædicare & docere decrevit, quæ nouit illis esse amica, &
ideo libentius ab illis suscipienda. Ecce iam ostendimus

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tres radices, à quibus sicut reliqua omnia peccata (vt ait
Ioan. 2.) Ioannes) ita etiam hæreses oriuntur. Hæ sunt honores,
diuitiae, & delitiae. Adde quod hæc peccata non solum
sunt causæ quod ipsi peccatores illorū perpetratores er-
rent: sed etiam ut errant Doctores alioqui boni à quibus
illi edoceri debent. Nam sicut propter peccata populi
Deus malos Rectores: ita etiā falsos Doctores permittit.

Iob. 34. De malis Rectoribus dicitur in libro Iob. Regnare facit
hominem hypocritam propter peccata populi. Quem lo-
Gregor. cum interpretans beatus Gregorius in moralibus ait:

Pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regen-
tium, vt sçpè pro malo gregis, etiam verè boni delinquant
vita Pastoris. Ille enim Deo attestante laudatus, ille su-

Reg. 24. pernorum mysteriorū conscius Dauid propheta, tumore
repentinæ elationis inflatus populum numerando pecca-
uit: & tamen vindicta populus Dauid peccante suscepit
Cur hoc? Quia videlicet secundum meritum plebium
disponuntur corda rectorum. Iustus vero iudex peccatis
vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorū
causa peccauit. Hæc Gregorius: De malis Doctribus
& falsis Prophetis, quod propter peccata populi illi mit-
tantur à Deo, aperte satis docet Paulus in posteriore ad

Thef. 1. Thessalonicenses epistola sic dicens: Pro eo quod chari-
tatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, id est mit-
tent illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.
Nec solos malos Doctores Deus populo propter illius
peccata mittit, sed quod magis mirandum est, doctores
alioqui bonos & veros propter iniuriam populi aut par-
ticularis hominis doctrinam querentis, errare permittit.
De qua re ip'sem Deus testimonium præbet per Ezechie-

Ezech. 14. lem prophetam, sic dicens: Qui posuerit immundicias
suas in corde suo, & scandalum iniurias suæ statuet in
contra faciem suam, & venerit ad Prophetam interrogan-
tis per eum me, ego Dominus respondebo ei in multis
tudine immundiarum suarum. Et post pauca addit. Et
propheta quum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego
Dominus decepi prophetam illū. Et extendam manum
meam super illum, & delebo eum de medio populi mei
Israel, & portabit iniuriam suam. Juxta iniuriam
Interrogantis, iniurias Prophetæ erit. Hæc sunt verba
Dei

Dei per Ezechielem prophetam. Et sicut voce comminatus est Deus, ita etiam se ipsa illum comprobasse faciat testantur literæ. Nam quum Achab rex Israël petiti a quodringentis circiter Prophetis an ire deberet ad oppugnandum Ramoth Galaad, deinde consuluit Michælam prophetam Domini de eadem re, qui dixit Regi. Vidi Domini 3. Reg. 18, num sedentem super solium suum, & omnem exercitum curli assistetem ei a dextris & a sinistris: Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba huiuscmodi, & alias alter. Egressus est autem spiritus & stetit coram Domino: & ait: Ego decipiā illum: cui locutus est dominus: In quo? Et ille ait: Egressus & ero spiritus mendax in ore omnium Propheta: um eius. Et dixit Dominus: Decipies & præualebis: Egressere & fac ita. Hactenus sacra Regum historia. Nō potuit apertius & certius testimonium pro confirmatione eorum que diximus asserti. Erat quippe Achab Rex malus, & ideo iuxta illius iniquitatem similis illi propheta, qui illum deciperent, Deus dedit. Quapropter ego censem, Dum propter multa Germanie peccata siue publica siue occulta, quæ omnia ille optimè nouit, tam multos heresiarchas illi prouinciae dedisse, quia illam tam peruerso docerent & tam execrandos errores perducerent. Neque mihi aliud persuadere possum nisi quod iuxta iniquitatem illius (vt per Ezechielem prophetam minatus fuerat) iniquos & fallaces Doctores dedit. Ex omnibus istis tam apertis scripturæ sacræ testimoniis, euidentissimum esse constat præcipuam & certissimam omnium hæresum causam esse peccatum. Hanc tamen hæresum causam Christiani orbis rectores siue ecclesiastici illi sint, siue seculares, prorsus tollere non possunt. Quoniam peccatum cuiuscunque hominis cum a voluntate illius pendeat ut peccatum dici possit, non potest princeps aliquis, quisque ille sit, & quamlibet potens, illud prorsus impedire, ne ab alio committatur: quia non potest alterius voluntatem cogere ut bonum prosequatur aut a malo discedat. Potest quidem ad bonum vocibus, & premitis hortari, & malum rationibus multis dissuadere, & minis ab illo auocare: ad nihil tamen horum voluntatem cogere potest. Potest etiam cogere ne multa peccata

exterius opere exerceant homines, vt tamen illa exerceat
re interius non appetant, id nullus princeps quamlibet
potens efficere valet. Ipsi ergo homines omnes, quoniam
sui arbitrij potestatem habent, hanc hæresum causam in
seipsis cum Dei adiutorio tollere possunt. Quisquis igit
tur ab hæresibus se illæsum seruare cupit, à virtutis primum
cavere conetur, ne peccatis excæcatus per deuios quosq
vagetur errores, & pedibus offendēs in hæresum foueam
prolabatur. Quod si semel iam excæcatus est, & in hære
sim lapsus, nulla illi alia patet ad visum recuperādum
via, nisi vt cum cœco secus viam sedente, clamet ad Domī
num & dicat, Iesu fili Dauid miserere mei. Illum autem
sic clamantem non deerunt hæretici qui increpant ut ta
ceat, & dicant non esse illi opus oratione, quippè qui re
Etam teneant fidem, & in illa debere persistere. Sed illis
sic increpantibus, ille multo magis (vt cæcus ille secus
viam sedens faciebat) clamare ad dominum debet, & mi
sericordiam illius supplex & importunus implorare. Ut
autem ille à Dō exaudiatur, opus est ut virtus omnia pre
terita deserat, ambitionem fugiat, avaritiam deuitet, car
nis voluptates tanquam præsentaneum quoddam vene
nū procul à se abiiciat. Pro peccatis præteritis desfleat, &
per singulas noctes, regium prophetam imitatus, lectum
suum lauet, & lachrymis suis stratum riget. Deinde, vi
tam pristinam in meliorem aliam commutet, ut deinceps
divina mandata ad unum usq; custodire nitatur. Quod
si fecerit, benignus est Deus qui illum in cæcitate non di
mittet, sed illuminabit oculos eius, ut agnoscat suum pri
stinum errorem, & illo deserto, ad fidem Catholicam à

Ephe.5. qua ante discesserat, velocissimè recurrat. Hoc enim Pau
lus docet, sic inquiēs. Surge qui dormis, & exurge à mor
tuis, & illuminabit te Christus. Prius vt surgat, à pec
catore exigit: & deinde illuminationem promittit. Hinc
est quod data lege filiis Israel, illisque non intelligenti
bus miracula quæ Deus pro illis fecerat & quotidie facie
bat, dixit illis Moyses. Custodite verba pacti huius, &
implete ea, vt intelligatis vniuersa quæ facitis. Quibus

Deut.29. verbis satis aperte docuit Moyses transgressionem man
datorum Dei potissimam esse causam quod Judæi non
intelligerent, nec viderent quanta fecisset illis Deus.

Propter

Propter quod à transgressione ad impletionem mandatorum Dei illos reuocat, vt remota cætitatis & ignorantiae causa, ea quæ oportebat, intelligere possent.

Hieremias Propheta eruditum se dicit, non proprio ingenio, sed igne desuper à Deo misso in osibus eius.

Tren. i.

Igne inquam illo, quem Dominus Iesus Christus venit in terram mittere. Et Ioannes Euangelista testatur vocationem spiritus eius esse, quæ de omnibus ad salutem necessariis nos edocet.

1. Ioan. 1.

Et Christus Saluator noster, vt duabus illis discipulis in Emmaus oppidum contendentibus, scripturas aperiret, prius illorum corda inflammatuimus.

De qua re ipsi met testimonium perhibent, cum dicebant.

Nonne cor nostrum ardens erat, quum aperiret nobis scripturas? Ardentem certè oportet esse & diuino amo-

Luc. 24.

re inflammatum, qui diuinæ scripturas penetrare cupit.

Qui fit igitur vt peccatores multis vitiis irretiti, qui frigidam fecerunt malitiam suam sicut cisterna aquam, posint sineulla diuini amoris scintilla, profunda sacræ scripturæ mysteria penetrare? De Ioanne illo Baptista quo inter natos mulierum nullus vñquam propheta ma-

ior surrexit, dicit Ioannes Euangelista, quod erat luce: Ioan. 1.
na ardens & lucens. Prius ardens, postea lucens.

Ardebat affectu, lucebat intellectu. Sibi & intra se ardebat: aliis & sibi lucebat. Nisi intra se arderet, neque sibi neque aliis lucere potuisset.

Vos igitur omnes Germanos qui Luthero & aliis eiusdem classis hominibus nomina dedistis, & in illorum verba iurastis, in vi-

sceribus charitatis exhortor, & per vulnera Christi Salvatoris nostri adiuro, vt, si aliquam salutis vestræ rationem habetis, penitentiam agatis ab omnibus iniquitatibus vestris, & rogetis Deum si forte remittatur vobis hæc cogitatio cordium vestrorum. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video vos esse. Nam & hoc ipsum nos pro vobis Deum supplices oramus, vt vos tan-

quam oues errantes dignetur ad ouile suum reducere. Sed nisi vos ipsi vestræ salutis curam habeatis, & pro illa impetranda laboreatis, nos soli vestrā salutem à Deo impetrare diffidimus. Nam de aliis vobis simillimis Deus per Esaiam prophetam dixit: Me etenim de die in diem querunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iusti-

Esa. 58.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

siam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiae, & appropinquare Deo volunt. Si vos igitur veram fidem à Deo sicut vultis, prius vos iustitiam facere oportet, & Dei mandata seruare, & Deo per bonorum operum gressus appropinquare oportet, alioqui subsannabit vos Deus & dicet. Rogant me iudicia iustitiae, & appropinquare Deo nolunt.

DE PRIMA EX TRIN SECA HÆRE SVME

causa, quæ est defectus prædicationis verbi Dei, quæ si tollatur, multis hæresibus ne orientur

occurretur. Cap. II.

MULTÆ SVNT aliae, præter cuiusque peccatum, hæresum cause, quas nos extrinsecas, aut, si maiis, externas dicere possumus, propter ea quod non eisdem personis quibus insunt, sed aliis hæresis occasionem præbent. Quibus quia principes, & Pontifices facilius & cōmodius occurrere possunt ideo de illis sigillatim disserere, & longiorē de unaquaq[ue] tractatum facere decreui. Prima ex illis externis, hæresum causa, est defectus prædicationis verbi Dei. Est enim summe necessaria verbi Dei prædicatio, sine qua nullus quamvis baptizatus poterit veram fidem Catholicam assequi, & in illa sine erore perseverare. Ea enim ad quæ credenda Deus nos coagit, tam alta sunt, ut omnem supererent intellectus humani potentiam. Nam Paulus fidem diffiniens, hoc illi quasi proprium tribuit, ut ab intellectu propria eius virtute comprehendi non possint, quæ illa nobis credenda proponit. Sic enim ait: Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Quæ verba interpretar

Hebr. ii. Theoph. Theoph. in cōmentariis super epistolas Pauli, ait: Argumentum, id est, demonstratio & manifestatio quædā incertarum rerum, nec apparentium, hoc est, in conspectum non venientium, sed fides facit ut res eiusmodi mente spectemus tanquam præsentes. Si hanc igitur habet vim fides, quid ipsi hæc vultis re ipsa perspicere, quæ sunt omnino venturia ut excidatis à fide? Hæc ille. Præterea, idem

Cor. i. Apostolus in priore ad Corinthios epistola hoc ipsum aliis verbis docet, sic inquiens: Sermo meus & prædictio mea,

tio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis : sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum : sed in virtute Dei . Si ea quæ fide creditimus, propria & sola intellectus virtute esse qui possemus , certè fides nostra in sapientia hominum esset. Cùm ergo Paulus dicat fidem nostram non esse in sapientia hominum , hoc ipso aperte nos docuit, myste-
ria nostræ fidei superare omnem intellectus humani vir-
tutem. Virga Moysi deuorauit virgas magorum Ægyptiorum. Quia in re, hoc nobis per mystérium datur intelli-
gi, quod fides & doctrina Euangelica superat omnium
philosophorum scientias. Et hoc est quod Deus per Ab-
diām prophetā prædictum, sic dicens. Perdam sapientes de
Idumæa. Ex quibus euidentissime colligitur, ut quisquis
sola naturali intellectus virtute fretus, secreta fidei myste-
ria penetrare voluerit, necessario erret . Sol enim reful-
gens radiis suis (ut ait sapiens) excæcat oculos. Hinc est
quod lege Mosayca cautū erat, ut nullus leuaret cultrum
super altare, super quo offerenda erant holocausta Deo.

Qua rerum figura, (ut sacri doctores interpretantur) si-
gnificatum est, nos nō debere solo ingenio acumine velle
penetrare mysteria fidei Catholicæ, quæ nomine altaris
significata est, ut Gregorius docet, sic dicens. Altare de
terra deo facere est incarnationem Christi sperare. Tunc
enim à Deo nostrum munus accipitur, quum in hoc alta-
ri nostra humilitas, id est, super dominicæ incarnationis
fidem posuerit quidquid operatur . Hæc ille . Super hoc
altare non est leuandum cultrum, alioqui pollueretur
altare, quia fides Catholicæ non est solo naturali intellec-
tus acumine perscrutanda, alioqui contaminabitur fides
Illi qui illam sui ingenij acumine penetrare voluerit.
Si tamen fide fuerit adiutus intellectus, facile omnia quæ
libet occulta mysteria penetrabit, quia fides subleuat in
sublime intellectum, & lucē illi tribuit qua illa videre &

Exo. 7.

Abdiæ. I.

Eccle. 43.

Exo. 22.

Grego.

Basiliius.

Intelligere possit. Vnde B. Basilius interpretas Psalmum.
nr. ait. Fides supra omnium rationem scientiarum disci-
plinarumue animam sublimem trahit . Fides denique
non geometricis aut necessariis vtitur probationibus.
In nomine Domini Iesu Christi Nazareni surge & am-
bula. Hanc enim vocem continuo per spiritum sanctum
subsecutus

Act. 3.

subsecutus est statim effectus. Ex prodigio namque diuinitatis vnigeniti, manifestatio necessaria videntibus est oria. Dic quæso quid ad fidem faciendam, veritatemque persuadendam vehementius? An dialecticæ propositiones secum symperasmata consequentia irahentes, an potius tale tantumque otientum ab omnibus clarissime vi-
sum, omnemq; virtutem excedens? Et an quibus interpo-
sitis ait. Theologiæ mysterium ex fide minime rationi-
bus probata ædificium quærerit. Hæc Basilius. Et beatus

August.

Augustinus in libr. 55. homiliarum, homil. 32. apertius eandem docet sententiam, sic dicens. Arcana & secreta re-
gni Dei prius quærerunt credentes, quo faciant intelligen-
tes. Fides enim gradus est intelligendi, intellectus autem
meritum fidelis. Aperte hoc propheta dicit omnibus præ-
propere & præpostere intelligentiam requirentibus, & fi-
dem negligentibus. Ait enim. Nisi credideritis non intel-
ligetis. Haber ergo & fides ipsa quoddam lumen suum in
scripturis, in prophetia, in Euangeliō, in Apostolicis le-
ctionibus. Et paucis interiectis subdit. Videlis ergo fra-
tres quandiu sint peruersi, & properando vitiosi, qui tan-
quam immaturi conceptus, ante ortum querunt abor-
tum: qui nobis dicunt, quid me iubes credere quod non
video? Videam ego aliquid ut credam. Iubes credendum
quod non videam? Ego videre volo, & videndo credere,
non audiendo. Dicat propheta. Nisi credideritis, non in-
telligetis. Ascendere vis & gradus obliuisceris. Vtq; per-
uersus homo, si iam tibi possem ostendere quid videres,
non hortater, ut crederes. Haecenus August. Verum hic
admonere oportet lectorem, ne putet omni fidei tribuen-
dam esse hanc virtutem, quod videlicet illa posit iuuare
intellectum ad secreta, & arcana regni Dei mysteria co-
gnoscenda, prout nunc ex sanctorum doctorum testimo-
nio diximus fidei conuenire. Hoc enim de sola fide acqui-
sita intelligendum esse censemus. Nam sola fides infusa
quæ per baptismum datur, sine viua voce alicuius docto-
ris exterius docentis, iuxta consonam omnium Theolo-
gorum sententiam, non sufficit ad intelligendum illa di-
uina mysteria, nec ad credendum illa. Est enim necessaria
verbi Dei prædicatio, per quam auditores de his, quæ cre-
dere tenentur, edoceantur. Fides autem infusa hoc solum
audito,

Ezai. 7.
Iuxta. 70.

auditori præstat, ut his, quæ à prädicatore, aut doctore
 audierit, facilius credat: non autē, ut sine doctore aliquo
 per seipsum credeat: & intelligere possit. Quomodo cre-
 dent (ait Paulus) ei, quem nō audierunt? Quomodo au- Rom.10.
 tem audient sine prädicante? Sicut scriptum est: Quām Naum.1.
 speciosi pedes euangelizatiū pacem, euangelizatiū
 bona: sed non omnes obediunt Euangeliō. Esaias enim Esai.53.
 dicit: Domine quis credidit auditui nostrō? Ergo fides ex
 auditu, auditus autē per verbum Christi. His verbis Pau-
 lus apertissime docet prädicationem verbi Dei esse neces-
 sariam ad fidem mysteriū diuinorum assequendam.
 Sapienter igitur dixisse meritò censeo illum Candacis
 Reginę Eunuchum, qui legens Esaiam prophetam, inter
 rogatusque à Philippo, an intelligeret, quæ legebat, re-
 spondit. Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit
 mihi? Tam alta enim censuit esse illa mysteria, ut sine do-
 ctore neminem illa assequi posse existimauerit. Nec so-
 lum est necessaria prädicatione verbi Dei ad fidem primo
 suscipiendam: sed etiam ad illum postquā semel suscep-
 fuerit, nutriendam, & conseruandam, präsertim in illis,
 qui sunt rūdis ingenij, & nimium obliuiosi. Hi enim assi-
 dua prädicatione verbi Dei, aut alia frequenti doctrina
 indigent, ut bene possint mysteria fidei dicere, & quæ se-
 mel didicerunt retinere. Alioqui nec perfecte discent, nec
 plene retinebunt, & sic fides semel cœpta ob solum prä-
 dicationis defectum facile peribit. Hoc autem facile quis-
 que sibi persuadebit: si verbi Dei proprietas, & conditio-
 nes intellexerit. Est enim verbum Dei quidam animæ ci-
 bus, qui illā in fide, & cæteris virtutibus nutrit, & auget,
 & perficit. Nam quod verbum Dei sit spiritualis quidam
 animæ cibus, ipsamet veritas nos docuit, quādo Sathanæ
 tentationem reiicēs dixit: Non in solo pane viuit homo: Mat.4.
 sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. In quibus
 verbis Saluator cibos hominis varios esse ostendit iuxta
 varietatem partium, ex quibus idem homo componitur.
 Constat enim homo ex anima, & corpore: corporis cibus
 est panis materialis, & corporeus: animæ vero cibus est
 verbum Dei. Ob hanc causam plurimi ex sacris doctori-
 bus, verbum Dei figuratum esse censerent in manna, quod
 Deus filius Israel in deserto esuriētibus dedit. Illius enim
cibi

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

Sapi. 16. cibi natura talis, & tanta virtutis erat, ut omnem suppleret indigentiam, & omnium satisfaceret appetitui, præbens vnicuique talam, qualem optasset saporem, siue carnes, siue pisces, siue oua, siue fructus concupiisset. Sic & iam verbum Dei omnium virtutum saporem habet, & omnium subuenit indigentie. Nam superbis, elatis, iraundis voracibus epulonibus, libidinosis, auarissimis, & omnibus, aliis peccatoribus, quoconque nomine censeatur, verbum Dei necessaria præbet remedia, quibus animas suas illi saluare possint. Erat etiam manna illud suave, & dulce, & verbum Dei his, qui recte sapiunt dulcissimum videtur. Propheta siquidem Regius, qui rectum tenebat

Psal. 118. gustum, dicebat: Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Aliam insuper inter hæc duo similitudinem assignat Origenes homilia tertia super librum Numerorum sic inquiens: Scriptum est de manna: quia secundum tempus illud si quis id ita sumpsisset, nutritur ex eo: si quis vero contra præceptum Dei, & contra statutum diuinitus modum voluisse assumere, non frueretur eo, ut vitali cibo: sed vermes ebullirent ex eo. Et ita siebat, ut una, atque eadem species mannae aliis vermes, & putredines generaret: aliis vero salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna verbum Dei est, & apud nos ergo sermo Dei aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam. Hæc Origenes. Plures adhuc alias similitudines inter verbum Dei, & manna ostendit **beatus Ambrosius** libro octauo epistolarum suarum: epistola. 61. quæ omnes prudens omitto, causa prolixitatis vitandæ, satis me fecisse existimans, quod locum indica. uerim lectori: unde illas si velit sumere posse. Nec solum cibi nomine sacra scriptura appellat verbū Dei: sed etiam nomine potus, ut vel his duobus nominibus ostenderet illud esse completum animæ nutrimentum, cum non minus potus, quam cibus sit ad nutritionem necessarius. Nam quod verbum Dei sit potus, apertissime ostendit **Christus** Saluator noster quum plebi prædicans, & omnes ad doctrinam suam vocans, clamauit dicens: Si quis sit, veniat ad me, & bibat. Sitire dixit eos, qui Saluatoris doctrinæ cupidi essent, & hos ad potū inuitat, hoc est ad auditionem verbi, quod ipse prædicabat: unde abunde doceri

Origen. Origene sic inquiens: Scriptum est de manna: quia secundum tempus illud si quis id ita sumpsisset, nutritur ex eo: si quis vero contra præceptum Dei, & contra statutum diuinitus modum voluisse assumere, non frueretur eo, ut vitali cibo: sed vermes ebullirent ex eo. Et ita siebat, ut una, atque eadem species mannae aliis vermes, & putredines generaret: aliis vero salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna verbum Dei est, & apud nos ergo sermo Dei aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam. Hæc Origenes. Plures adhuc alias similitudines inter verbum Dei, & manna ostendit **beatus Ambrosius** libro octauo epistolarum suarum: epistola. 61. quæ omnes prudens omitto, causa prolixitatis vitandæ, satis me fecisse existimans, quod locum indica. uerim lectori: unde illas si velit sumere posse. Nec solum cibi nomine sacra scriptura appellat verbū Dei: sed etiam nomine potus, ut vel his duobus nominibus ostenderet illud esse completum animæ nutrimentum, cum non minus potus, quam cibus sit ad nutritionem necessarius. Nam quod verbum Dei sit potus, apertissime ostendit **Christus** Saluator noster quum plebi prædicans, & omnes ad doctrinam suam vocans, clamauit dicens: Si quis sit, veniat ad me, & bibat. Sitire dixit eos, qui Saluatoris doctrinæ cupidi essent, & hos ad potū inuitat, hoc est ad auditionem verbi, quod ipse prædicabat: unde abunde doceri

Ioann. 7. **Christus** Saluator noster quum plebi prædicans, & omnes ad doctrinam suam vocans, clamauit dicens: Si quis sit, veniat ad me, & bibat. Sitire dixit eos, qui Saluatoris doctrinæ cupidi essent, & hos ad potū inuitat, hoc est ad auditionem verbi, quod ipse prædicabat: unde abunde doceri

doceri quisque poterat. Deinde qui Christum audierant prædicantem, posita (vt idē Saluator refert) dicturi sunt illi. Manducauimus, & bibimus coram te. Vt autem ex: primerent illi, quem cibum manducasset, & potum bi- bissent, statim subiungunt: In plateis nos docuisti. Qui: bus verbis aperte declarant, verbum Dei prædicatum es se animæ cibum, esse etiam & potum. Nec tamen abs re, & frustra: sed ob maximam causam verbum Dei appella- tum est animæ cibus, & potus. Nempe, vt inde inteliga- mus verbi Dei prædicationē esse ad salutem animæ ad: o necessariam, quēadmodum cibus, & potus corporeus est necessarius ad corporis vitam se uandam. Hanc enim causam beatus Chrysostomus expresit, qui homilia. 11. super priorem epistolam Pauli ad Timotheum sic ait:

Quemadmodum carnales cibos diebus singulis ex neces- sitate requirimus ita fidei, pietatisque doctrinam semper accipimus, eaque iugiter enutrimur. Hęc Chrysostomus.

Si cibus, & potus animæ censemur esse verbum Dei, con- sequens est, vt illius prædicatione his, qui aliunde doctri- nam sumere non possunt, deficiente: deficiat etiam illis fides Catholica, quam (vt Paulus supra dixit) sine verbū Dei prædicatione nullus per se assequi potest. Potest ad: huc alia esse verbi Dei consyderatio ex qua etiam facile conuinci potest illius subtractionem esse certissimam hę- resum causam. Est enim verbum dei, lumen quo median- te quisque, quæ agere, & quo gressus dirigere velit, facilè videre possit. *Lucerna pedibus meis* (inquit Regius pro- pheta) *verbuin tuum, & lumen semitis meis.* Et iterum in eodem Psalmo: Declaratio sermonum tuorum illumina- nat, & intellectum dat parvulis. Si ab illo, qui in tenebris ambulat lucernam, qua illuminabatur, subtraxeris, illa luminis absentia efficiet, vt ambulans tertio quoq; gressu offendat: *Quemadmodum Aristoteles dicit, absentia na- turę causam esse, quod nauis patiatur naufragium: quia ille si præsens fuisset, sua industria potuisset nauem integrum seruare.* Ad eundem modum dicendum est de verbo Dei, quod si prædicatum fuisset, illuminasset audientes, ne of- fenderent pedibus, aut errarent à via. Ex quo necessario sequitur, quod prædicatione illius sublata, facile viatores omnes, qui sunt in hoc mundo à via salutis declinabunt.

Luc. 13.

Chryso.

Psal. 113.

Idea

Ideò Paulus hanc necessitatem prædicationis verbi Dei optime intelligens, Timotheo Episcopo, & discipulo suo scribit, adhortans, & vrgens ad frequentein Dei prædicationem, sic inquiens: Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædicta verbum, Insta opportune, importune. Cur autem in prædicatione verbi Dei instare, & importune agere præcepit, paucis interpositis expressit, sic inquiens: Erit enim tempus, quum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua defuderis coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ. Nouerat quippe Paulus multos futuros esse, qui in fide errarent: ideo monet Timotheum, ut à prædicatione non cesset: sed frequentissime Euangelium predicet, quo melius possent hæreses impediri, ne oriantur. Idem etiam præcepit Deus olim Esaiae prophetæ, sic dicens: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum. Sunt enim prædicatores velut quidam Dei canes, qui latratu suo gregem Dei, qui est ecclesia, custodire debent. Si canes vehementer latrant, lupi reformidant inuadere gregem: si vero canes dormiunt, aut silent, lupi tunc ex canum silentio audaciores fiunt, & gregem tanto maiori cum fiducia inuidunt, quanto securius se nocere posse existimant. Idem propterea dicendum censeo de prædicatoribus verbi Dei, qui si iugiter, & ex affectu (ut decet) contra hæreses, & alia vitia clamarent, suo latratu non solum hæreticos, & hæreses: sed reliqua omnia vitia, quæ gregem Dominicum deuastant, facile propellerent: si tamen tacuerint, & prædicare noluerint, sua taciturnitate Dominicis ouibus nocibunt. Nam tunc dæmones, & hæretici illorum ministri audacius illas aggrediuntur, & illi tanto facilius nocere possunt, quanto magis deest, qui illos exterreat, aut illas de fuga moneat, ut vel ipsæ sibiipsis prouideant. Et hanc fuisse etiam olim potissimum malorum Synagogæ causam ipse Deus apertissime expressit per Esaiam prophetam, sic dicens: Vniuersi canes muti non valentes latrare.

Esa. 58.

Hieron. Quæ verba interpretans Hieronymus in commentariis super

saper Esiam, sic ait: *Isti, de quibus propheta nunc loquitur, non solum speculatores cœci: sed & canes muti appellantur, non valentes latrare. Qui enim gregem Domini custodire debebant, & lupos abigere, & latrare pro Domino, diligunt somnia, & dæmoniacis visionibus delectantur.* Hæc ille. De hac re, quam credo esse apertissimam, nō videtur mihi esse opus multa exempla proferre quoniam & si res esset dubia, & ab exemplis probanda esset, tam multa suppeterem possent, ut nullum sit regnum quod pro hac re non possit exempla præstare. Nam ego qui multas & varias Christiani orbis Prouincias peragui, & longam in aliquibus illarum traxi morā, hoc experientia docente cognoui, eos homines, qui monastica, & deserta loca incolunt, & rarissime prædicationem verbi Dei audiunt, pluribus erroribus, & superstitionibus infectos esse, quam alios, quibus frequenter Dei verbum prædicatur. Ex quo euidentissime colligitur, prædicationis verbi Dei defectum, illis potissimum esse causā, quæ in tales errores labantur: quia si edocerentur, ut alii, etiam illis erroribus carerent, quemadmodum carēt, hi, qui frequentes audiunt verbi Dei conciones. Huic tam manifestæ hæresum causæ, iustum esset, ut Principes utq; ordinis, hoc est, Ecclesiastici, & Seculares diligentissime subuenirent. Verum hoc magis Prælatis ecclesiasticis incumbit, quibus animarum cura est à Deo data. Hè enim sunt, qui populum Dei docere tēnentur, & à quibus populus Dei doctrinam iure petere potest, dicente Domino per Malachiam prophetam: *Labia sacerdotis custodiunt scientiā, & legem requirunt de ore eius: quia angelus Domini exercituū est.* Et ideo nullus (ut postea in alio huius tertii libri cap. dicam) deberet institui animarum pastor: nisi qui vel mediocri esset literarum notitia instructus, ut populum posset rectam fidem, & bonos mores docere, & ad illos hortari. Verum tanta est huius seculi infelicitas, ut pastores docti ad alios indoctos, & prorsus idiotas relati, sint velut gemmæ ad aliorū vilium lapidum numerum, comparati. Et si aliqui sunt pastores docti, qui bene possent gregem sibi commissum in fide & moribus instituere, magna rāmen eorum pars tanta, & tam cęca superbia ducuntur, ut id facere dediguntur

nentur, tanquam si prædicationis officium esset vile aliquid, & ignominiosum. Non est quidem altius, & honorificus in ecclesia Dei officium, quam officium prædicantis, per quod prædictor, si recte illud munus exercet, magis Deum representat. Est enim illud verum Apostolorum officium, quibus Christus saluator noster ex hoc mundo ad Patrem ascendens nihil aliud aequem mandauit, ac Euangelii prædicationem. Euntes (inquit ille) in mundum vniuersum prædictate Euangelium omni creaturæ. Quod in hac parte ego faciendum censeo, ut tam late grassanti morbo, vel aliqua ex parte occurritur, brevibus exponam. Episcopi cogant animarum pastores si qui docti sunt, vt ipsi per seipsoꝫ grægem sibi cōmissum pascant, illum de agendis, & credendis doceāt, & ad illa semper hortentur, & moneant. Si pastores animarum in docti fuerint, cogant illos, vt ex redditibus suis conductant prædicatores, qui illorum suppleant defectum. Si Episcopi in hoc (prout plurimi illorum facere solent) negligentes fuerint, tunc Principes seculares huic tam crassæ Episcoporum negligentia succurrere debent. Debent enim Episcopos hortari, vt bonos instituant pastores, qui gregem sibi cōmissum pascere possint, vt prædicatores distribuāt, & cuicq; populo iuxta necessitatem prouideant: si Episcopi hoc facere neglexerint, nō ultra progreediendum censerem, ne forte si coacti, & nō ex affectu id faciant, tales populo exhibeant prædicatores, vt illis carere forte melius esset, quam illos habere. Non enim quererent (prout aliis in rebus plurimos eorū facere videmus) doctiores, & meliores, & qui plus populo possent prodesse: sed eos, quos minori mercede conduceant possent. Nec tamen propter Episcoporum, & aliorum pastorum negligentiam, rem hanc prorsus desperatam esse censeo, & velut talem relinquendam. Tunc enim (vt ego existimo) Principes, & alii Domini seculares huius rei curam sumere deberent, ne hi, quibus imperat, à fide catholica, & Christianis moribus deficiat. Manus enim manum alteram iuuat, & brachium alterum alteri subuenire oportet. Mutuo se iuuare debent membra, quum eorum alterum altero indiget. Si brachium dextrum non posset, aut forte nollet, pro corporis vita seruanda ori cibum

hum porrigeret, nonne brachium sinistrum deberet hūc sumere laborem? Deberet certe, ne totū corpus, & simile cum corpore brachium ipsum ob cibi defectum periret. Quasi enim duo corporis brachia sunt, duæ Christiani orbis potestates, altera ecclesiastica, altera secularis, & iusta. Si igitur ecclesiastica potestas, prout illi ex officio facere incumbit, cibum verbi Dei populo porrigeret neglexerit, tunc seculares Principes, & alii Domini, & populum rectores tantæ indigenitæ ea, qua poterunt parte subuenire debent, ne ob defectum spiritualis cibi animas perire permittant. Bonos, & doctos viros, & si possibile foret, qui gratiam verbi habeant, perquirere faciant, quibus ex publico ciuitatis, aut oppidi ærario, iuxta personæ, & laboris meritum, stipendia statuat, vt illi populum statutis aliquot anni diebus in fide, & moribus erudiant. Et quod maxime procurandum esse censeo, est vt pueris paedagogi cōmunes ex publico ærario conducent assignentur, qui illos in fide, & moribus recte instituant. Nam (vt ait Salomon) adolescens iuxta v. am suam etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Et egregius poeta dixit :

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem

Testa diu.

Prōu. 22.

Horatius;

Esaï. 24.

Quæ omnia si potestas secularis exequatur, illud Esaïæ Prophetæ Ecclesiasticæ potestati merito dicere poterit. Erubescere Sidon, ait mare. Erubescendum certe est Ecclesiasticæ potestati, si ob illius negligentiam, eam animatum curam seculares Domini suscipiant, quam illa ex iure diuino habere tenebatur. De Prælatotum tamen negligenteria : quia alio integrō cap. differere decreui, vbi ostendam illam esse potissimum hæresum causam : ideo nolo nunc longiorē de hac re facere sermonem. De solo enim prædicationis defectu in presentiarum tractamus, ostendentes, q̄ ille sit multarum hæresum causa. In quos autem sit huius defectus culpa rei scienda, nunc non inquirimus : sed in aliud capitulum, in quo de Prælatorum negligentia, & indignitate agemus, rem istā differimus. Verū in circa ea, quæ in hoc capitulo diximus, Lectorem admonere decreui, ne pueri me defectum prædicationis tanti facere, vt existimem illum esse primā hære-

QQ. 2 sum

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sum causam, aut quod tantam, tamq; potentem illam esse censem, vt ipsi met, qui prædicationis verbi Dei indigentiam patiuntur, nō possint impedire, ne in seipsis aliquas hæreses gignat. Nam & si ipsi sine prædicatione verbi Dei (vt diximus) non possint veram fidem Catholica adipisci: si tamen ipsi à vitiis omnibus abstinerent vt vnum Deum (prout naturalis ratio ostendit) adorarent, & illi se totos fiderent, Deus illos non permitteret in hæresim aliquam labi, sed aut Deus ipse interius illos doceret, aut prædicatores, & doctores ad illos mitteret, qui illos in fide Catholica, & aliis omnibus ad vitā æternam assequendam necessariis institueret. Pro cuius rei confirmatione satisesse potest Cornelii Centurionis ex

A&t. 10.

emplum, qui cūm Gentilis homo esset: quia tamen à vitiis gentium alienus, ob illius eleemosynas, & orationes exauditus est, & missus est ad illum Petrus apostolus, qui illum erudiret. Si tamen illi sunt peccatis variis immersi, non est mirum, q; Deus illis non det prædicatores cūm ſepe eos, quos habebant, peccatis suis id exigentibus, à populis subtrahat. Nam Ezechielii prophetæ ad populum in transmigratione Babylonica positum missio, Dominus verbum prædicationis propter peccata populi subtraxit, ne illis prædicaret. Hæc enim verba (vt ipse met Prophetæ testatur) Deus dixit ad eum: Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum, & linguam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est. Quæ verba interpretans Hieronymus in cōmentariis super Ezechielem prophetam, ait: Quod lingua Prophetæ palato, vel gutturi cohæret, & mutus effectus autoritatē non habet increpantis, causa perspicua est: quia, inquit, domus exasperans est. Et est sensus. Tantæ sunt amaritudines, & tantæ aduersus Deum contentiones, vt obiurgantem non mereantur audire. Ex quo perspicuum est, vbi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccatores, qui à Domino corrigantur. Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis constat peccatum non solum (vt proxime p̄tentes capitulo diximus) esse causam, q; Deus falsos doctores, & peruersos prædicatores populo permitrat, sed

Hieron.
Ezec. 3.

etiam

etiam, quod bonos, quos populus habet, ab illo subtrahat, ne habeat, qui illos docere posse. Huius ergo, qui prædicatione verbi dei carent, si illam esuriunt, & edocent i desiderant, a vitiis abstineat, & deum amare & timere procurent: Et deus, qui neminem unquam ad eum con fugientem contempnit, non deseret illos: sed mittet illis doctores, a quibus doceri possint, aut ipsem interius eos docebit: Non vidi iustum derelictum (inquit propheta Regius) nec semen eius querens panem. Quæ verba non de pane materiali, quo pascitur corpus: sed de spirituali pane, qui est verbum dei, intelligenda esse, Cassiodorus in commentariis super Psalmos optime conuincit, sic dicens: Legimus famis causa Abraham, Isaac, & Iacob mutasse provincias. Vnde dubium non est eguisse pane, quod propter penuriam loci constat exteris expeditis regiones. Sed redeamus ad interiorem hominem, & vera nobis sententia salutariter apparebit. Semen unius cuiusque hominis operam esse diximus, quam seminat, & metit, siue bonam, siue malam. Ergo opera iusti pane non indiget, hoc est verbi dei, quo satiatur, quo reficitur, quo insitus re vera vivit, & pascitur. Haec Cassiodorus. Et sapiens Ecclesiasticus veram sapientiam promittit illi, qui Deum timuit, & iustitiam sectatus fuerit. Qui timet deum (inquit ille) faciet bona; & qui continens est iustitiae apprehenderet illam: & obuiabit ei quasi mater honorificata: & quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitae, & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potabit illum. Ex quibus verbis euidentissime colligitur, eos, qui verbi dei prædicatoribus, a quibus edoceri possent, carent, nec iustos esse, nec deum timentes: quoniam si deum timerent: tandem illos in tenebris, & sine ullo doctoris lumine permanere deus non permitteret: sed cibaret illos (ut dixit Sapiens) pane vitae, & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potaret illos. Nec tamen ista in excusationem Episcoporum, & aliorum pastorum dicimus: quoniam illos nihilominus peccare censeo propterea, quod verbo dei non pascunt oves suas: nisi fortem specialem de hac re prohibitionem a deo haberent, quemadmodum Ezechielii prophetæ datam fuisse, supra ostendimus. Deus enim licet, peccatis populi existentibus,

Psal. 36,

Cassiod.

Eccle. 15.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

gentibus, permittat, ut pastores animarum non pascant verbo Dei oves suas, non tamen ipsis pastoribus praecipit, ut à prædicatione verbi Dei abstineant.

DE SECUNDA CAVSA, EX QVA HÆRES oriuntur, quæ est indifferens prædicatio verbi Dei per quoscumque sine ullo discrimine, & sineulla examinazione. Cap. III.

MULTA certè est in toto orbe Christiano prædicationis verbi Dei penuria: quoniam (ut Salvator noster prædictus) messis quidem multa, operarij autem pauci. Messis multa, ut beatus Hieronymus interpretatur, omnis turba credentium est: Opera iij autem pauci, & Apostoli, & imitatores eorum, hoc est, prædicatores, qui mittuntur ad messem. Ex quorū paucitate euenit, ut aliqua pars mensis pereat: quia tam multæ messi, tamen pauci operarij non sufficiunt. Quæ res non paruam doloris arsam præbet his, qui aliquam Christianæ reipublicæ rationem habent. Sed id maximè dolendum, ut istorum paucorum prædicatorum maior pars tam indignata est ad prædicationis officium, exercentum, ut ipsum officium, quod est inire honorificum, indignitate sua dehonestent, & dedecore afficiant. Nam cum duo sint, omnium sanctorum testimonio, ad munus prædicationis recte obendum, maximè necessaria: bonitas videlicet, & doctrina. Multi tamen sunt verbi Dei prædicatores, quibus horum alterum deest, multi etiam, quibus deest vtrumq. Est enim maximè necessaria in prædicatore doctrina, quoniam primus scopus, ad quem tendere debet ipsa prædicatio, est auditores docere. At, qui doctus non est, alios docere non potest. Fons qui aqua caret, alios potare non valet. Corpus quod lucidum non est, alios illuminare nequit. Necesse igitur est, ut prædicator sit doctus, qui aliorum doctordorum suscipit curam. Nec satis est prædicatori, ut recte suum exequatur officium, ipsum esse doctum; nisi etiā sit bonus, & virtutis amator, ut non solum verbo: sed etiam exemplo prodeesse auditoribus possit. Sepe enim potentiora sunt exempla, quæ verba. Plato, & Aristot

Aristoteles, & omnis in diuersum abiēs Philosophorum turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socratis accepit. Plus etiam Apostoli, ceterique Christi Saluatoris nostri discipuli, ex illius exemplis, quam ex illius verbis ad virtutem capessendam profecerunt. Ob quam causam Christus supremus omnium Magister, qui suorum discipulorum profectum summe cupiebat, primum (vt Lucas refert) studuit, vt faceret, deinde, vt doceret. Ad Christi igitur exemplum, cuius locum in prædicatione tenent, oporteret prædicatores vitam suam optime componere, vt opere simul, & verbo prædicare procurarent. Nam qui alios mundare debet, oportet, vt prius ipse sit mundus.

Qui alios ardentes, & Dei amore feruentes efficere operat, necesse est, vt ignem coelestem in se habeat, quo auditores inflammare posse. Fieri enim non potest, vt qui frigidus est, aut tepidus, alios calefaciat. Si ad carbones extintos quis alios eiusdem conditionis carbones iunxerit, nunquam accendentur: si tamen aliis ardentibus carbonibus illos admouerit, facile ardebunt. Sic etiam, qui prædicatorem, quem nouit esse vitiis infectum audit: nisi Deus adsit, qui illum intus ardētem faciat, nunquam ab illo prædicatore accendetur. Hinc est, quod de Christo summo prædicatore omniumq; prædicatorum magistro, propheta Regius dixit: Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Esaias propheta quoniam labia habebat immunda (vt ipse mentis dolens, & gemens fassetur) purificari debuit antequam ad prædicandum mitteretur. Ad quam purificationem faciendam missus est Angelus, qui tollens carbonem ignis de medio altaris, retigit labia illius, & linguan, & sic purgauit eam, qua purgata statim missus est ad prædicandum. Quandiu labia immunda habuit, non est iniunctum Esaiæ prædicationis onus, vt autem mundata fuerunt labia, è vestigio dignus habitus est, cui meritò possit prædicatio demandari. Ascendens Christus Saluator noster ad cœlos: unde pro nobis descenderat: Apostolos in mundum uniuersum mittit, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ. Nec tamen eos statim abire, & mandatum adimplere permisit: sed præcepit eis (vt Lucas ait) ab His solymis ne discederent: sed expectaret promissionem

Act. 1.2

Psal. 17.

Esai. 6.12

Mar. vii.

Act. 1.

patris, ut priusquam abirent induerentur virtute ex alto,
 & inflammarentur igne spiritus sancti, quo alios in amo-
 re Dei feruentes efficere possent. Hinc est, quod David, ut
 Psal. 50. vias Dei alios recte docere posset, triplicem prius pos-
 lauit sibi dari spiritum, videlicet rectum, & sanctum, &
 principalem. Spiritum rectum (inquit ille) innoua in vi-
 scribus meis. Et iterum: Spiritum sanctum tuum ne au-
 feras a me. Et postea: Spiritu principali, siue (ut Hiero-
 nimus transluxit) potenti, confirma me. Et postquam
 hunc triplicem petuit spiritum, statim subdidit: Docebo
 iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Quo peti-
 tionum ordine ostendit triplicem illum spiritum necessa-
 rium esse. ut quis vias Dei recte docere posset. Est quidem
 necessarius spiritus rectus, ut auditores recta via ad cœle-
 stem patriam ire doceat: spiritus sanctus, ut auditores san-
 ctos, & Dei amore feruentes efficere valeat. Spiritus prin-
 cipalis siue potens, ut aduersus omnes tentationum incur-
 sus constantem, & infractum semper habeat animum: ita
 ut nec minis terreatur, nec muneribus flectatur: nec deii-
 ciatur aduersis, nec prospere erigatur, & infolescat. Sunt
 enim haec duæ validissimæ machinæ: quibus semper op-
 pugnantur prædicatores, & expugnantur saepe, blandi-
 tiæ scilicet, & terrores. Hi timore concutiunt animum,
 illæ spe inuadunt. Hi dolorum grauitate mentem absor-
 bent, & in desperationis barathrum saepe iniiciunt, illæ
 falsa quadam dulcedine male securos nos reddunt, quo
 facilius interficere possint. Aduersus veranq[ue] machinam
 spiritum potentem adesse oportet, qui prædicatorem do-
 cens, sic illum in bono confirmet, & constantem reddat:
 ut nec minis terreatur: nec blanditiis seducatur: sed sem-
 per officium prædicationis sibi commissum recte exequa-
 tur intrepidus. Duo igitur ista, bonitas scilicet, & doctri-
 na (ut satis ex his, quæ diximus constat) summe necessa-
 ria sunt omni prædicatori, ut ille recte suum exequatur
 officium. Quæ duo in cœlesti illo igne qui in die pen-
 thecostes super apostolos descēdit, aperte designata sunt.
 Est enim ignis natura lucidus & calidus, & ideo in figu-
 ra ignis spiritui sancto super Apostolos venire placuit, ut
 hoc ipso nos doceret, illis suo aduentu & lumen doctri-
 nae & amoris Dei ardorem dedisse. Rari tamen sunt (ut
 inge-

ingenue loquar) qui illa duo habeant, quo sit ut rari sint
 prædicatores qui prædicationis officium pro illius dig-
 nitate & merito tractent. Nam aliqui sunt male morige-
 rati, qui & si docti sint, suis tamen motibus prædicationis
 vires impediunt. Alij sunt, saltem in his quæ foris viden-
 tur, vere studiosi & virtutis cultores, sunt tamen adeò in-
 docti, ut potius illos doceri, quam docere oportet. Ob
 quam rem non paruā præbent ambitionis suspicionem,
 propterea quod onus fuscipere nō verentur, quod notis-
 sum est vires suas longè superare. Quæ res nō paruum
 vt ostendemus, fidei Catholice dispendiū efficere solet.
 Sunt rursum alijs tam impudentes, vt cùm nec docti nec
 boni sint, quadā tamen effronti temeritate prædicare nō
 dubitant. Horum omniū non est opus paucula quædam
 exempla proferre: quia plura quam vellemus quotidie &
 passim omnes videmus. Sunt enim aliqui prædicatores
 tam rudes, vt vix Grammaticā degustauerint, Latini ser-
 monis prorsus nescij, qui nec Euangeliū quod in missa le-
 gitur solam superficiem intelligere valēt. Tales quidem
 multos, testor Deum, ego noui, qui habentes aliquos ser-
 mones in linguam vulgarem ab aliis translatos, eos tāra
 cum audacia & maiestate populo referebant, vt qui illos
 non agnouisset, putasset eos doctissimos viros esse. Quia
 tamen aliena lingua more psitacorum loquuntur, statim
 se produnt, quia eandem sēpē repetunt cantilenam, & si
 de his quæ dixerunt, interroges, non magis quam psitaci
 respondebunt. Si verò vt de re alia disserant, petieris, ob-
 mutescit tanquam prorsus ignari, aut fortè ne coram
 populo apud quem sapientes videri volunt, se nescire sa-
 teantur, non dubitabunt mille ineptias effutire. Et sic im-
 pudenti audacia loquentes suam produnt inscitiam, qui
 tacentes potuissent docti existimari. Ad hoc genus homi-
 num pertinent ferè omnes quæstuarij indulgentiarum
 prædicatores, ex quibus vix unum aut alterum inuenies
 virum doctum, qui sciat de re, quam prædicat vel medioz-
 crem reddere rationem. Nunquam aut fidem aut mores
 sua prædicatione docere intendunt, sed is solus prædica-
 tionis suæ scopus est, plures ab auditoribus non solum
 haurire sed extorquere pecunias. Quod vt assequantur,
 indulgētias, quas populo prædicant, plus debito exagge-

rant, quaqua verbum se vertunt, flangunt. Jamentantur, minantur, iudicant, nihil denique pro pecunia extorquentis intentatum relinquunt, etiam si cum fidei periculo id faciant. Nam saepè indulgentias quas prædicant adeo extollere cupiunt, ut pro illarum laude execrancias ex ore suo hæreses effundant. Quantum autem nocentium ex hoc genere hominum fuerit Christianæ reipublicæ illatum, tota Germania potest esse testis. Quoniam hæc priuina radix fuit, vnde tota hæc Lutheranorum pestis orta fuit. Nam cùm tabulas quosdam indulgentiarum prædicatores Lutherus audisset, qui plura quam par erat, de indulgentiis dixerunt, adeo horrenda illi sunt visa, ut impium, iniquumque existimauerit tacere, & illis non obuiare. Zelo igitur & non secundum discretionem motus in publicum prodiit, & contra hos omnes prædicauit non veram indulgentiam intelligentiam (ut oportebat) edocens, sed eas prorsus euertens, & dicens eas nullius prorsus esse utilitatis. Cui cùm aliqui viri doctri repugnarent, suaderentque ut palinodiam cantaret, tantum absuit ut id facere vellet, vt multo peiora quam prius effundere non dubitauerit. Ab ipsis igitur quæstuaris indulgentiarum prædicatoibus primam ansam hæresis suæ Lutherus accepit. Quod nomen in tantam iam abiit infamiam apud probos & cordatos viros, vt nullus, aut rarus sit vir bonus, & doctus, qui indulgentias prædicare dignetur, non propter ipsas indulgentias, sed propter illarum prædicatores qui officium prædicationis illarum dechonestarunt & rediderunt in fame. Ego quidem indulgentias, si recte dispensentur, sanctas & valde estimandas esse censeo, illarum tamen prædicatores, vt quædam Christianæ reipublicæ monstra abominor. Consulerem quidem Princibus vt eas non nisi per probos & doctos viros prædictari permetterent, & sic primum religioni, deinde quæstui bene prospicerent. Nam plus (vt existimo) & libenter bonis & doctis viris tribueret populus, quam his blateronibus, quibus raro aliquis nisi inuitus aliquid pro indulgentia confert, quippe quia semper putat eos esse mendaces. Sunt alii prædicatores non tam ignorantibus ut ipsis, de quibus nunc diximus, sed mediocriter docti,

Et, qui si sua sorte vellent esse con'enti, possent pro sua
 mediocritate populo satisfacere, & illum in fide & mo-
 ribus instituere. Sed quia supra meritum suum aestimari
 a populo appetunt, ideo altiores & grauiores sententias,
 quam ipsi interpretari valeant, populo praedicare conten-
 dunt: Quorum praedicatio saepè nocere populo magis
 quam prodere potest. Nam cum ipsi praedicant quæ non
 bene intelligunt, necesse est ut peruerse interpretentur,
 aut obscura tene villa interpretatione relinquant. Quod
 cum euenerit, & si multi ex auditoribus propter mysterij
 reverentiam ab illius scrutinio intellectum suum auer-
 tant, multi tamen qui audacieores sunt, & minus myste-
 ria reuerentur, pro suo arbitratu interpretabuntur & er-
 rabunt. Et hunc praedicatorum defectum Hieremias pro-
 pheta deplorat, dicens: Paruuli petierunt paneum, & non
 erat qui frangeret eis. Non dicit paruulos petuisse lac, sed
 panem, Quia non solis apertissimis legis preceptis erant
 contenti: sed velut iam grandiores effecti panem, hoc
 est, occulta aliqua mysteria illis reuelari pretebant. Non
 dicit, non esse qui panem daret: sed qui frangeret eis.
 Erant enim qui panem, hoc est, sententias graues porri-
 gerent, sed non erat qui frangeret, hoc est, qui interpre-
 taretur & bene illas declararet. Vnde Hieronymus in
 commentariis super lamentationes Hieremiae, praefata
 verba interpretans ait: Iuxta allegoriam significat, quod
 hi qui infirmi adhuc sunt intellectu, & minus validi ad
 percipiendum fortiorum cibum, qualibus ait Apostolus:
 Lac vobis potum dedi, propter inertiam & desidiam do-
 ctorum, spiritualis intelligentiae carēt alimonia. Paruuli,
 inquit, petierunt panem & non erat qui frangeret eis: id
 est, infirmi quique scripturæ sacræ fortiores sententias pe-
 tierunt sibi exponendo comminui: sed qui exponere stu-
 deat, non valet inueniri. Hæc Hieronymus. Sunt iherum
 alijs praedicatorum, viri quidem eruditæ & vere docti, qui
 ea quæ populo praedicant quanuis sint sublimia & occul-
 ta mysteria, oprimè interpretantur & exponunt, carent
 tamen discretione & prudentia, qua iuxta capacitatem
 auditorum sciant temperare sermones, sed semper etiam
 coram rudi populo dicere res grandes affectant. Quibus
 rectè dici posset id, quod poeta Satyricus ait.

Tren. 4.

Hieron.

1. Cor. 3.

Dicere

Persius sa:
tyra. I. Dicere res grandes nostro dat musa Poëtæ.

Qua intentione id faciant ego diuinare non possum,
quia illorum corda intueri non valeo. Si tamen aliquis
hic cōceditur suspicioni locus, suspicaret ego eos, res tam
sublimes coram populo rudi prædicare, vt à populo pro-
doctis habeantur, & in magna sint apud illum admira-
tione. Non dei gloriā aut populi vtilitatem, sed tuam tan-
tum existimationem quærunt, & ideo non ut populū do-
ceant, sed vt ab illo existimantur, prædicant. Nec tamen
hoc de omnibus huiusmodi prædictoribus sentio: sed
credo aliquos esse, qui ideo semper de rebus sublimibus
prædicantes tractare volunt: quia ingenia sua talis sunt
conditionis, vt minima quæq; & aperte illis vilescant, &
ideo de illis differere dēdignantur. Quacunq; illi mo-
ueantur causa ego non euro, nec nostra aliquid interesse
puto: hoc tamen certo scio, & ideo constanter assueverare
non erubescam, eos omnes longe à scopo prædicationis
aberrare, & quanuis docti illi sint, officio prædicationis
esse indignos, qui iuxta capacitatem audientium nesciūt
temperare sermonem. Quis enim non censeat insanum
esse eum qui in paruum aliquid vas imminens aquæ aut
vini mensuram infundere conaretur? Sic mea quidem
sententia indiscretus saltem aut imprudēs censendus est
prædictor, qui sublimia & occulta fidei mysteria prædi-
cat populo rudi, & tantorum mysteriorum protus inca-
paci. Natura enim ipsa aliter agendum esse docet, quæ
cuique animali proprium & sibi connaturalem & com-
mensuratum creavit cibum. Aliis cibis vescitur Leo, aliis
virsus, aliis vulpes, aliis denique aues vescuntur. Et homi-
nes ipsi non eundem omnes appetunt cibum: sed pro sua
quisq; complexione & corporis ætate & habitudine ap-
tum sibi & competentem viribus suis experti cibum.
Ab his igitur rerum corporalium exemplis, intelligen-
tiām spiritualium sumamus. Omnis natura rationalis
propriis & competentibus debet nutriri cibis. Verus au-
tem animæ cibus (vt p̄cedenti ca. ostendimus) verbum
Dei est. Sed sicut in nutrimentis corporis multe sunt dif-
ferentiæ: ita & homo cuius anima verbo Dei pascitur,
non omnis uno atq; eodem verbo nutritur. Nam aliqui
solo verbi Dei lacte potātur, hoc est, doctrina simpliciore
&

& clariorē, ut de morib⁹ esse solet, quæ præberi consuevit his qui prima rudimenta in diuinis studiis suscipiunt. Alij verò qui fortiores sunt, & in doctrina prouectiores, fortiori indigent cibo quo vescantur, hoc est, declaratio ne sublimium aliquorum nostræ fidei mysteriorum. Si quis autem prædicator ordinem hunc peruerterit, ita ut paruulis quibus solū lac satis debuisset, fortiorem porrigat cibum, hoc est, mysteria sublimia proposuerit non solū non poterit eum enutrire: sed nimia cibi potentia illum occidet, quia hoc ipso nō paruam erroris animam illi præbebit. Ne igitur prædicator sua prædicatione noceat, oportet vt iuxta auditorum capacitatem dispenset verbum Dei. Et hoc est quod Beatus Iob mystica quādam (ut solet) eloquutione de Deo loquens, dixit: Qui Iob. 26.
 ligat aquas (inquit) in nubibus suis, ut nō erumpant pariter deorsum. Quæ verba interpretans beatus Gregorius in moralibus, multa præclara nostro huic proposito conducentia dicit, è quibus aliqua nūc citabo. Ut auditores rudes (inquit Gregorius) non inundatione scientiæ Gregor. sed moderata prædicationis distillatione soueantur, ligat Deus aquas in nubibus ut non erumpant pariter deorsum: quia doctotū prædicationem tēperat, vt auditorum infirmitas doctorum rore nutrita conualescat. Et aliquibus interpositis suudit. Aqua itaque ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorū mentibus loquēs, quantum sentire valet, docere prohibetur. Nam plerūq; si auditorum cor verbi immensitate corrumpitur, lingua docentium indiscretionis poena mulctatur. Vnde scriptū est: Si quis aperuerit cisternā & foderit, & non operuerit eam, cecideritq; bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium iumentorum. Quid est enim aperire cisternam, nisi intellectu valido scripturæ sacræ arcana penetrare? Quid autem per bouem & asinum, mundum scilicet & immundum animal, nisi fidelis quisq; & infide lis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, cooperiat, ne illic luc bos vel asinus ruat, id est, qui in sacro eloquio iam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mēsis aut fidelem parvulum aut infidelem, qui credere potuisset, interimat. Ex morte enim iumentorum debet pretium, quia illud scilicet

Exod. 21.

scilicet admississe conuincitur, vnde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quisquis namque ad alta scientia fluentia perueniens, cum hæc apud bruta audientium cor da non contexerit, pœna reus addicitur, si per verba eius in scandalum siue munda seu mens immunda capiatur. Operienda est itaque cisterna, quia coram parvulis mentibus tegenda est alta scientia, ne vnde cor docentium ad suinam attollitur, inde infirmitas auditorum ad imam dilabatur. Hactenus Gregorius, qui multa alia de hac re ibidem dicit, sed hæc citasse sat est. Diximus hucusque de documentis quæ prædicatores inferunt reipublicæ Christianæ ob defectum doctrinæ, aut propter indiscretam verbi Dei dispensationem, nunc super est differere de nocimētis quæ inferunt ratione malè suæ vitæ quam populo venditant. Nam aliqui eorum sunt pessimis mortibus imbuti, qui siue vera prædicens sine falsa, scepissime nocere auditoribus solent. Ex mala enim vita eoruū oriri potest (vt supra diximus) vt intellectus eorum excœctetur, illa putantes bona, in qua sunt affecti, & illa mala quæ abominantur. Et que inadmodum ipsi sentiunt, ita populū docent: & inde necessarium est euenire quod Salvator noster ait: Si cœcus cœco ducatum præstet ambo in foueam cadunt. Si prædicator qui aliorum est dux ex cœctatur, mirum erit si populus qui illum audit, non erret; præsertim si populus erga illum afficitur, & in magna habet illum estimatione. Tunc enim omnia illius dicta velut oracula quædam recipit populus, nec est qui ab illo doctrina vel latum pilum discedere audeat. Hæc res est adeò aperta, vt superuacaneum sit illam velle rationib[us] comprobare. Quærere enim rationem (vt Aristoteles ait) ubi viget sensus, infirmitas est intellectus. Nec opus est paucula quædam exempla proferre, quum tam multa nunc sint toti orbi notissima. Quanta hæresum colluuius sit ex prædicatione Lutheri, Zwinglii, Carolstadni, Martini Butzeri, ceterorumq[ue] eiusdem clasis per totum orbem Christianum effusa, nemo est qui ignoret. Quæ omnes hæreses fuissent prorsus sublatæ, si ut primum illi insanire cœperunt, fuisset illis prorsus inhibita prædictio. Principum tamen negligentia qui illos coercere noluerunt cum possent, illis tantam nocendi audacia

Mat. 15.

comprobare. Quærere enim rationem (vt Aristoteles ait) ubi viget sensus, infirmitas est intellectus. Nec opus est paucula quædam exempla proferre, quum tam multa nunc sint toti orbi notissima. Quanta hæresum colluuius sit ex prædicatione Lutheri, Zwinglii, Carolstadni, Martini Butzeri, ceterorumq[ue] eiusdem clasis per totum orbem Christianum effusa, nemo est qui ignoret. Quæ omnes hæreses fuissent prorsus sublatæ, si ut primum illi insanire cœperunt, fuisset illis prorsus inhibita prædictio. Principum tamen negligentia qui illos coercere noluerunt cum possent, illis tantam nocendi audacia

etiam

ciam dedit, ut certatim inter se contendisse videantur, quis eorum plus ecclesiae noceret, & qui plus nocuit illustrior apud eos est habitus. Omnis igitur princeps qui rempublicam suam ab haeresibus salvam esse optat, neminem qui vel minimam dederit haeresis suspicionem, in illa praedicare perimitat. De fide praedicatoris constare oportet, antequam ille populo praedicare permittatur. Damasus. Papa in vita Euaristi Papae & martyris refert illum statuisse, ut septem diacones custodirent Episcopii praedicationem propter stilum veritatis. O sanctum & tali martyre dignum statutum. Si haec diligentia in perscrutandis verbis praedicatoris, in hunc usque diem apud omnes seruata fuisset, facile itum esset obutum tantæ haeresum turbæ quam nunc (proh dolor) videmus. Et certe timeo ne haec facilis permisso praedicatorum, nisi illi citissime occuratur, causa sit, ut tota ferè Christiana res publica citio ruat. Nec abs re, sed maxima motus causa & quidem notissima, hoc timeo, quippe quod sciām, multos in variis prouinciis praedicatores, qui semel & iterum in prædicationibus suis scandalum haeresis non paruum populo dederunt, & tamen modica & leui excusatione per eos data, permisso sunt iterum atque iterum prædicare, & sic aliquos seduxerunt, & omnibus quos potuerunt, scandalum dederunt. Quales tamen illi ante fuissent, cum se excusauerūt, ipse rei exitus docuit, quoniā tandem se publicos ostendere haereticos, non dubitarunt. Nec miraret si apud solos Principes haereticos haec permitteretur: sed hoc valde miror quod apud eos Principes, ceteraque potestates quæ Christiano nomine censemur tam facilis sit praedicatorum suspicionis permisso. Obscurò igitur eos omnes, & per Christi si vulnera obtestor, ut nullum qui vel leuem dedit haeresis suspicionem, populo prædicare permittant, donec plenam fecerit apud populum quem scandalizauerat, suspicionis purgationem. Præter hos autem tam reprobos & noxios praedicatores sunt alii, qui & si mali sunt eorum tamen non tanta est malitia, ut affectus corrumpat intellectum. Et hi quidem bisariam adhuc contingere solent. Nam sunt aliqui eorum, qui optimè credunt, & bene de rebus agendis sentiunt, aliter tamen quam sentiunt docent, aut spe præmij allecti, aut timore penæ deterriti.

Vtrunque

Vtrunque enim horum solet Prædicatores & alios Dō:
ctores à veritatis prædicatione deflectere : præsertim in
curiis & aulis principum, qui præmiis allicere, & cruciatī
bus deterrire possunt. Nam quod pœnæ timore multi di

Mat. 26. cant contra quam sentiunt, testis est Petrus apostolus qui
in domo principis sacerdotū ad vocem ancillæ requisitus
negavit se esse Christi salvatoris nostri discipulū. Et cer-
tè credo multo plures nunc esse in aulis principū, qui Pe-
trum in hac re imitantur, quā qui posterioris illius vitæ
exempla sequantur, audacter dicentes regibus. Obedire

Act. 5. oportet Deo magis quā hominibus. Spe præmij quod ve-
hementer optant, alliciuntur alij: vt aliter quā sentiunt do-
ceant & prædicent. Bene quidē sentiunt: sed vt regibus,
aut principibus, aut deniq; populo placeant, ea docēt, &
prædicant quæ illis placita esse cognoscunt. Tales fuerūt
illi quadringenti falsi Prophetæ, qui consuluerunt Regi

3. Reg. 22. Achab, vt iret ad oppugnandum ciuitatem Ramot Ga-
laad. Illud quidem respōdebant quod magis regi placere
intelligebant, cum tamen nec vnum nec alterū plenè scie-
bant. Quia in re licet ipsi prædicatores falsa annuntiātes
grauius peccent, maior tamē culpa (vt ego sentio) in ip-
sos reges & principes reficienda est, qui nolūt nisi ea quæ
sibi placita sunt audire, & si quis bonus & fidelis verbū
Dei prædictor vera docuerit, illū odio habent, & audire
recusant. De qua re idem rex Achab plenū poterit nobis
præbere testimonium, qui rogatus a Iosaphat Rege Iuda
ut dimissis illis quadringētis falsis prophetis aliquem ve-
rum Domini prophetam de bello faciendo consuleret,

Ibidem. respondit. Remansit vir unus per quem possumus inter-
rogare dominum: sed ego odi eum: quia non prophetat
mihi bonū sed malum. Micheas filius Iemla. Hi adulato-
res, in fide & moribus vehementer nocere solent: quoniam
dicentibus illis malū bonum, & tenebras esse lucem, alij
credunt, & ex hac fide oritur in auditoribus quidā amor
& appetitus illius mali, quod ab adulatore laudatum est.
Et si opere fecerit malum illud, tanto minus ab illo rece-
det, quanto magis credit esse bonum quod facit. Quo sit
vt nunquam ille ad veram animę salutem peruenire possit.

Gregor. Quoniam (vt beatus Gregorius ait) curari vulnus ne-
gligitur, quod dignum laudis præmio inuenitur,

Primus

Primus gradus ad salutem recuperandam est agnoscere se esse ægrum. Difficillimè enim poterit æger ad sanitatem peruenire qui se ægrotare nescit: quia nec medicum ad se vocabit: nec si ille sponte se offerat, medicinas ab eo oblatas accipiet: quippè quod firmiter credat se illis minime indigere. Prædicator dicens principi aut cuius alteri malum quod fecit bonum esse, hoc agit sua adulatio-
ne, ut princeps se malè factis nunquam peniteat, & inde consequens est ut nunquam ad salutem perueniat. Et hęc adulatorum prædicarorum pestis omni tempore fuit noxia. Nam hanc fuisse olim in synagoga multorum erro-
rum causam, Hieremias propheta deplorat, sic dicens.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant finiuitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Tren. 2.

Viderunt autem tibi assumptiones falsas & electiones.

Quæ verba interpretans beatus Hieronymus ait: Qui enim peccanti & iniquis operibus attendentí promittit impunitatis securitatem, prophetice maledictioni sub-
iacebit. Hęc Hieronymus. Et ipsemet Deus de istis blan-
dis prædicatoribus, quod valde populo suo nocuerint,
conqueritur pereundem Hieremiam prophetam sic in-
quiens:

Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax: & non erat pax. Contritionem curat prædicator, qui peccanti & non pœnitenti-
tio securitatem promittit. Et per Ezechielem propheta-
tam iterum Deus ait: Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, &
ad perdendas animas, & auarè sectando lucra. Prophetæ autem eius liniebant eos absq; temperamento, videntes vana, & diuinantes ei mendacium, dicentes: Hęc dicit dominus Deus, cūm Dominus non sit loquutus. Et quæ tunc contigerunt populo Israel, eadem etiam nunc in po-
pulo Christiano contingere videmus. Isti enim falsi pro-
phetæ, hoc est, adulatores prædicatores & doctores, sunt
causæ potissimæ ut Reges & Principes intolerabilia tri-
buta suis subditis imponant, & alia multa mala faciant,
quæ nisi ab illis laudarentur, nequaquam ficerent.

Applaudunt enim illis, & dicunt omnia licere quæ ve-
lint. Sunt denique alijs prædicatores mali qui bene cre-
dunt, & optimè de motibus sentiunt, & vt sentiunt do-
Ezech. 22. 4.
Hieron.
Hiere. 6.

cent : sed moribus discrepant ab eo quod docent, quia
bene docentes malè coram populo viuunt. Et horum
doctrina & si vera sit, non solum non prodest populo,

Gregor. sed valde nocet. Nam (ut ait Gregorius) cuius vita de-
spicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. Sua enim
mala vita hic talis præparator multum fidei detrahit do-
ctrinæ quam prædicat. Eadem enim agit quæ damnat:
& sic ansam suspicionis non parvam auditoribus præ-
bet, vera non esse quæ ab illo fuerunt edociti. Ad quod
credendum, hoc argumento persuadebuntur, quod vide-
licet non est verisimile aliquem esse suæ salutis adeo im-
memorem, ut sibi ipsi male consulat, aliis autem bene.

Si bona sunt quæ docet, cur non ea facit? Si bona sunt
quæ facit, cur non ea docet? Itaque quocunque se ver-
tat, malus esse conuincitur, aut male docens aut male vis-
uens. Sed quia magis semper homines oculis quam au-
ribus credunt, hinc est quod male viuentis doctrina quam
libet bona contemnitur. Deinde iustum est ut credatur
quemlibet hominem maiorem suę salutis quam aliorum
curam habere, & inde necesse est euenire ut quisque ma-
gis exemplis quam verbis credat. Quam magnum ma-
lum sit, cum vita præparatoris doctrinæ suæ non consen-
tit, beatus Iob mysticis verbis nos docuit, quum ad con-
firmationem eorum quæ dicebat, execrationis iuramen-
to vtens, hoc malum sibi ipsi tanquam maximum im-
precatur, nisi vera sint quæ dicit. Si in manibus meis (in-
quit ille) adhaesit macula seram & alius comedat, & pro-
genies mea eradicetur. Quæ verba interpretans Gre-

Job. 31. gorius in moralibus ait: More sacri eloquij ferere dici-
mus, verba vitæ prædicare. Et aliquibus interpositis sub-
dit. Comedere autem est bonis operibus satiari. Vnde

Gregor. per se metipsam veritas dicit: Meus cibus est, ut faciam
voluntatem eius qui misit me: Si ergo ea quæ protulit,
facere prætermisit, ait: Seram & alius comedat. Ac si
aperte dicat: Quod os meum loquitur, non ego sed al-
ter operetur. Præparator quippe qui à suis vocibus mo-
ribus discrepat, iejunus serit quod alius manducet: quia
suo semine ipse non pascitur, quando à verbi sui rectitu-
dine prava actione vacuatur. Et quia plerunque discipuli
in cassum bona audiunt, cum ex magistri vita operum

Exemplo destruuntur, recte subiungitur. Et progenies mea eradicetur. Doctoris enim progenies eradicatur, quando is, qui per verbum nascitur, per exemplum necatur: quia quem lingua vigilans gignit, vita negligentia occidit. Hucusque Gregorius. Nec iolis viris est docendi & praedicandi munus permisum: sed ipsis etiam feminis: quod est omnium absurdissimum. Multas ego in variis Christiani orbis provinciis vidi & audiui feminas, quae & si in ecclesia super cathedram non praedabant, in domibus tamen suis & alienis publicos faciebat de rebus sublimibus sermones: & quotquot venire & audire volebant docere non verebantur. Ex his tamen prædicationibus multi sunt orti errores, ut exitus docuit.

Et quia particularia sunt diuersarum nationum exempla, & quae ego vidi punta & correcta fuere ab his quibus incumbebat, ideo nolo nunc ea in presentiarum prodere. Ego quidem a Paulo edoctus censeo nulli mulieri

1. Tim. 8.

permittendum esse ut doceat, sed præcipiendum ut discat. Quoniam postquam Eva fuit a serpente seducta, merito suspecta esse debet omnis doctrina ab ore mulieris prolatam, timendum est enim, ne mulier sit a dæmone decepta, quia illa est vas ad deceptionem paratum, quo dæmon alios decipere solet. Cūm igitur prædicatio verbi Dei per viros tanto officio indignos ministrata, multorum errorum multarumque hæresum (ut ex dictis constat) sit notissima causa, oportet ut nullus populo prædicare permitteretur, nisi prius fuisse de fide & moribus plenè a suo superiore examinatus & approbatus. Non enim negotium hoc, quod tanti est momenti, omnibus sine discrimine committi debet, sed solis dignis. Nam Paulus Timotheo scribens, de hac re, admonet illum,

2. Tim. 2.

sic dicens: Quæ audisti a me per multos testes, hæc commendanda fidelibus hominibus qui idonei erunt alias docere. Et beatus Franciscus omnium fratrum minorum primus institutor & pater apostoli Pauli vestigia sequitus hoc idem in sua regula omnibus fratribus præcepit, sic dicens: Nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo officium sibi prædicationis concessum.

Sanctus
Franciscus.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Hæc beatus Franciscus, sub cuius instituto ego quanuiss indignus milito. Et concilium generale Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, speciale de hac re statuit decretum, quo vniuersis Christi fidelibus idem prohibetur, quod sanctus Franciscus fratribus suis prohibuit.

**Concilium
Lateranense.**

Nam in capite tertio decretorum eiusdem cōciliū hæc habentur verba. Quia verò nonnulla sub specie pietatis, virtutem eius (iuxta quod Apostolus ait) abnegātes, au-

2. Tim. 3. toritatem sibi vendicant prædicandi: cùm idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Om-

Rom. 10. nes qui prohibit vel non misi præter autoritatē ab Apostolica sede vel Catholico Episcopo loci suscep tam, publicè vel priuatim prædicationis officium usurpare præsumperint, excommunicationis vinculo innoden tur: & nisi quam citius resipuerint, alia competēti poena plectantur. Hæc concilium Lateranense. Quæ verba habentur in cap. Excommunicamus. paragrapho. Quia verò, De hæreticis. Et in alio generali concilio Lateranensi, quod sub Leone decimo celebratum est, idem statutum est renouatum, & multò copiosius factum. Nam in sessione vñ decima eiusdem concilii consequens continentur decretū.

Leo. 10. Leo Episcopus seruus seruorū Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante concilio, supernæ maiestatis præsidio, per cuius ineffabilem prouidentiam cœlestia simul & terrena diriguntur, &c. Et post multa quæ in prohemio illius decreti referuntur, hæc tandem subduntur. Sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, ut nullus tam clericus secularis quam cuiuscunq; etiam mendicantium ordinis regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi tam de iure quam de consuetudine, vel priuilegio aut alijs pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respectuè diligenter examinatus: in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus, ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vita exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur. Et hic quocunq; postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua, per literas authenticas seu alias sui examinatoris approbatorisque, Episcopis & aliis locorum ordinariis fidem legitimè faciat. Hæc concilium Lateranense sub

Sub Leone decimo. O vere sanctum decretum, & generali concilio dignum: in quo nihil quoad hanc rem posterat censeri necessarium, fuit prætermissum. Præcepit enim, ut prædicatores examinentur, & quales sint approbandi declarat, & testimonium approbationis dari statuit, ut nullus se approbatum esse posse impune mentiri. Vnum tamen solum ab omnibus adhuc desideratur, & est tam sancti decreti executio. Non enim icio illud, vel semel fuisse executioni mandatum, nec audiui ab aliquo qui hoc aliquando fieri vidisset. Sed hoc Episcoporum negligentia imputandum est, sicut & multa alia illorum defidiae tribuuntur, de qua sequenti capitulo differemus, & ibidem ostendemus eorum pesimam negligentiam esse multorum malorum causam.

DE TERTIA HÆRESVM CAVSA,
quæ est negligentia Episcoporum, & aliorum ecclesiæ pastorum.
Cap. IIII.

Tertiam aggredimur explicare hæresum causam, cuius vim, & potentiam si plenè (ut decet) perscrutati fuerimus, dicemus illam esse præcipuam, & omnium primam, ex qua alias omnes oriri costat. Hæc est nimia prælatorum negligentia, quorum multi non magis de suis subditis curant, quæ de rebus nihil ad eos spectantibus: & ita oues sibi commissas deserunt, ac si nullam de illis essent Deo reddituri rationem. Et certè illa omnia, quæ supra per duo cap. digessimus, de penuria verbi dei, & de malitia prædicatorū, in prælatos rei cienda sunt, ad quos spectat illis omnibus prouidere. Sunt aliqui Episcopi, qui possent optimè, si vellent, suo respondere officio: sed aliis multis à suo statu, & ordine alienis nimium intenti, id, quod debent, reddere nolunt. De istorum igitur negligentia dicamus, & postea ostendemus quot, quantasque hæreses illorum negligentia peperit, & usque in hodiernum diem pariat. Sed prius necessarium erit ostendere, quæ sint illa, quæ ab Episcopis, & aliis animarum pastoribus diuina exigit lex, & sic lapidem (ut dicitur) ad filium referentes, palam omnibus faciemus multos ex illis

RR; esse,

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

esse, qui nunc minimam partem eorum, quæ iuxta suum officium tenentur, præstant. Quæ autem sint illa, quæ Episcopi præstare tenentur si quis scire defuderat, à nomine officij, quod illis commissum est, facile discet: si ille lius virtutem, & proprietatem exactè consyderauerit.

Episcopi enim, & cæteri, quibus est animarum cura commissa, pastores animarum dicuntur, & sunt. Nam cùm Christus saluator noster Petrum cæteris omnibus precepit Christianis, pastorem ouium suarum illum instituit,

Ioan. 21. dicens illi: Pasce oves meas. Quibus verbis Christianos omnes suas esse oves declarauit, & Petrum illarum omnium pastorem constituit, quum pascendarum illarum curam illi dedit. Et ipsem Christus redemptor noster, ut nobis ostenderet, quo nos diligebat amore, & quanta cum solitudine omnium nostrum gerebat curam, pastorem se appellauit dicens: Ego sum pastor bonus. Bo-

Ioan. 10. nus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Videamus igitur quæ sunt illa, quæ pastores ouium circa oves sibi commissas agere tenentur: quoniam Episcopi, & alii curam animarum habentes eadem animabus sibi commissis præstare debebunt, cùm sint illarum pastores.

Tenantur primo pastores ouibus suis pastum præbere, ne fame, & inedia pereant. Et Episcopi, & cæteri omnes, qui animarum curam suscepserunt, tenantur pascere animas eorum, quibus præsunt. Quo autem pastu animas pascere debeant, ipsem Christus, qui illos instituit pastores, aperte expresit per Hieremiam prophetam dicens: Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. Tenantur igitur Episcopi, & cæteri animarum pastores docere eos omnes, quorum retinet curam. Hinc est quod Christus saluator noster mittens Apostolos suos

Mat. vlt. in mundum uniuersum dixit illis: Docete omnes gentes. Apostoli siquidein fuerunt pastores illi, quos Deus antea daturum promiserat, iuxta cor suum, & ideo ut promissione sua satisfaceret, præcepit illis, ut omnes gentes pa-

Act. 1. cerent scientia, & doctrina. Ut autem tanto essent muneri idonei, Spiritus sanctus in linguis igneis super eos de cœlo descendit. Non in manibus, quibus mādum debellare possent, neq; in pedibus, quorum agilitate tyrannorum persecutiones effugerent: sed in linguis, quibus alios ignoran-

norantes docerent. Alia corporis organa ad hoc dedit nobis natura, ut illis multarū rerum, quas ignorabamus cognitionem ab ipsis rebus haurire possumus. Lingua tamen nostra nullius rei cognitionem nobis præbet: sed quæ nos ante cognoscemus, aliis per linguam manifestamus. Itaque lingua non ad discendum: sed potius ad docendum nobis donata est. Et ob hanc causam Spiritus sanctus super Apostolos descendens, non in oculis, aut auribus, quæ sunt organa ad discendum apta: sed in linguis igneis descendit, ut eos ad docendum idoneos efficeret, qui iam totius mundi erat instituti magistri, & pastores. Ex his igitur discant Episcopi quanta obligatione populos sibi subditos docere teneantur, & Apostolorum imitantur exempla, quorum ob solam dignitatem Episcopalem meritò gloriatur se esse successores. Alioqui rei apud Deum habebuntur debiti male soluti, & suę taciturnitatis dignas sustinebunt penas. Et hoc mihi significasse videtur tintinnabula illa, quæ mixta malis punicis olim Deus præcepit ponit in veste sacerdotis, quibus sub pena mortis sonitum facere tenebatur sacerdos ingrediens.

Et vestietur (inquit textus Exodi) Aaron ea in officio ministerij, ut audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. In quibus verbis non solā literæ superficiem, ut Iudei sciunt, inspicere debemus: quoniam (ut Paulus ait) litera occidit: spiritus est, qui vivificat. Opus est igitur ut mystrium sub illo duro literæ cortice latens inquiramus, propter cùm dicat Paulus omnia in figura contigisse Iudeis, & legem habuisse vimbram futurorum. Vestis illa sacerdotalis perfectam sacerdotis vitam significabat, propria Regio id nobis interpretante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitia. Tintinnabula vesti inserta significat prædicationis vocem cum operatione coniunctam. Sonitus tintinnabulorum audiri debet, quando ingreditur, & egreditur sanctuarium, ut non moriatur. Quia mortem damnationis incurrit Episcopus, si absque ullo prædicationis sonitu incedit. Vnde Beda locum illum exponens ait: Sacerdos ingrediens, & egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis provocat, si sine prædicationis sonitu incedit. Hæc ille,

Exod. 28.

2. Cor. 3.

Heb. 10.

Psal. 136.

Beda.

Qualis autem debeat esse sacerdotis prædicatio, innuitur per hoc, quod tintinnabulis mala punica miseri præcipiuntur, in quibus fidei vnitatis designatur. Nam sicut in malo punico, multa interius grana sub uno exterius cortice continentur, sic innumeros sanctæ ecclesiæ populos vnitatis fidei contegit, quos intus diuersitas morum tenet. Mala igitur punica tintinnabulis iungi mandatur, ut in omnibus quæ sacerdos prædicat, & docet: vnitatem fidei cauta obseruatione tenere procuret. Ideò Paulus optimè intelligens prædicationem verbi Dei esse Episcopo sum: mè necessariam, Timotheo, quē Episcopum, & pastorem animarum instituerat, scribit adhortans, & vehementer vrgens illum ad frequentem verbi Dei prædicationem, his verbis. Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos per aduentum ipsius, & regnum eius: Prædica verbum, insta oportune. Illa terribilia adiurationis verba, quibus Paulus Timotheum adiurauit, indicant ardentissimum illius affectum, quo voluit exprimere Episcopum maxima obligatione teneri ad prædicandum verbum Dei, non uno, aut altero die tantum: sed sœpè. Ideò dixit: Prædica verbū, insta oportune,

2. Tim. 4.

Theoph. Quæ verba exponens Theophylactus ait: Quod ipse testificor, ut verbum prædices, ne gratiam in occulto te: neas. Quid vero nobiscum agetur, qui nihil prædicamus? Insta oportune, & importune. Hoc est, instando, & iuben do eloquere. Nec intercisa: sed perpetua vtere oratione, & continenti, ita ut nullum tibi ad prædicandum, præfinitum sit tempus: sed oportune insta, id est, in pace, & otio, cum in ecclesia pacifice nullo turbante versaris. Et importune, id est, cum in discrimine fueris, vel extra ecclesiam loquere, & Euangelium ipsum edissere. Oportunitatem verō, & importunitatem ad multorum dixit opinionem, existimantium oportunitatem quietem esse, importunitatem temporis periculosa, & intempestiuia. Hæc Theophylactus quia Bulgarie Episcopus erat, nomine suo omnium Episcoporum deplorauit negligenciam dicens: Qui nobiscum agetur, qui nil prædicamus? Demum ut intelligent Episcopi, quantum sit illis necessaria verbi Dei prædicatio, aspiciant illum omnium animarum pastorem Christum salutarem nostrum, quanta

quanta diligentia oves, ad quas solas se missum fuisse testatur, pauerit scientia, & doctrina. Ille enim in exemplum omnibus propositus est, ut quisque ex factis illius id, quod ad se attinet, discere possit. Nam (ut Augustinus ait) omnis Christi actio nostra est instructio. De ipso autem Salvatore nostro refert Matthæus, quod circumibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangeliū regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et iterum idem Matheus ait: Et circumibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangeliū regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Hoc attendant Episcopi, & exemplo Christi circumibant omnia oppida, & castella suæ diocesis, docentes in templis eorum, & prædicantes Euangeliū regni, & procurantur curare animarum languores, & infirmitates, quibus populus vbiique laborat. Et certe nisi Episcopi, & alij animarum pastores populum docere teneantur, cum nullus aliis sit, cui hoc docendi munus Deus mandaerit, erit per consequēs necessario dicendum, male Christum redemptorem nostrum Ecclesiæ suæ prospexit, si illi de re omnium maximè necessaria qualis est fidei, & morum doctrina, minime prouidit. Absit tamen à fideliū cordibus tam impia cogitatio. Nam pastores animarum, qui ita sentirent, dum culpas à se reiicere vellent, Deum iniustum facerent, dicentes illum familiæ suæ de cibo minime prouidisse, & oves suas sine ullo pastu reliquisse. Ipse enim per Esaiam prophetam dicit, se nihil potuisse facere vineę suę, quod nō fecerit. Vnde consequens est, ut dicatur illum de pastu ouibus suis prouidisse; quia hoc facillime ille facere potuit. Neque alios ad hoc agendum instituit, quam sacerdotes, quos animarum pastores instituit, quibus hoc solo nomine præcepisse videtur, ut pascerent oves suas scientia, & doctrina. Pauci tamen sunt Episcopi, aut cæteri animarum pastores: qui oves suas pascent scientia, & doctrina. Nolo dicere nullos esse, cum ego aliquos nouerim, tum ex Episcopis, tum ex aliis inferioribus sacerdotibus, qui populos sibi subditos frequenti prædicatione docebant. Verum hī omnes tam rati sunt, ut ad aliam innumeram multitudinem relati, sint

Mat. 15.

Mat. 4.

Mat. 9.

Esaiae. 5.

velut sol, & luna aliis omnibus stellis comparati. Fateor etiam esse alios animarum pastores, qui et si ipsi nō prædcent, curant tamen diligenter suū defectum per alios idoneos prædicatores supplere, ne oues suæ fame verbi Dei pe. eant. Et certè si Episcopi, aut alij curam animarum hæbentes prædicare nesciunt, integre (vt ego existimo) suosatisfaciūt officio si id per alios idoneos prædicatores fieri, diligenter procurent. Sed re vera (vt ingenue loquar) paucissimi sunt, qui hæc faciāt. Et ideo nisi per monachos hæc pastorum fuisset suppleta negligētia, ob solam verbi Dei penuriam ferè tota iam periusset respub. Christiana. Verum & si isti pro viribus Episcopos, & alios animarum pastores iuvare tonentur, non tamen poterunt eoru omnem supplere defectum : quia mesis multa est (vt saluator noster ait) operari autem pauci Quo sit, vt multa oppida, & castella, quibus monachi prædicationibus suis subuenire nō possunt, perpetuo careant prædicacione verbi Dei, aut necesse sit illis, propriis expensis cōducere prædicatores, à quibus verbum Dei audire possint. Bis itaq; pastum doctrinæ oues soluere coguntur. Primū quidem quum decimas suorum fructuum sacerdotibus dederūt, ob quas iure diuino pastum doctrinæ illis debebant.

Deinde iterum soluunt, quum aliorū prædicatorum operas, suis conducunt expensis. Et (quod peius est) nolunt sæpè Episcopi, aut alij pastores permittere aliquos quāvis à populo conductis prædicare: nisi qui illis placuerint. Si hoc Episcopi facerent, vt vel sic melius populo cōsuleretur, indignos reiiciendo, & dignos acceptando, nō posse sein hac in parte eorum nō laudare diligentiam. Sæpè tamen id non faciunt, vt populo bene cōsulant: sed vt prædicatori alicui faucent. Ob quam causam sæpè contigisse scio, vt populus indignorem fuerit coactus propriis expensis conductum suscipere prædicatorem. Hi tales & si vere Episcopi sint, indigni tamen sunt, qui hoc nomine censeantur cùm illos non à Deo : sed ab hominibus super familiam Dei positos esse constet. Nam seruus, quem Dominus super familiam suam constituit, fidelis est. & prudens, qui reddit familiæ cibum in tempore. Hi igitur, qui super familiam Dei sunt positi Episcopi, & cibum vtrbi Dei familiæ non reddunt, à Domino

Mat. 9.

Mat. 24.

non sunt super illam constituti. Et quia tam aperta erat
 pastorum omnium præsertim Episcoporum, huius rei ne-
 gligentia, ideo concilium generale Lateranense sub In-
 nocentio tertio venerabiliter celebratum, speciale de hac
 re condidit decretu[m] decimo capite collocatu[m], quo præ-
 cepit omnibus Episcopis, ut viros idoneos ad sanctæ præ-
 dicationis officium salubriter exequendum assumant,
 potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas
 vice ipsorum, quum per se idē nequeunt, verbo edificant,
 & exemplo. Habetur autem hoc decretum in cap. inter
 cetera, de offi. iud. ord. Concilium Tridentinum sub
 Paulo tertio celebratum optime agnoscens multarum
 haeresum esse causam defectum prædicationis verbi Dei,
 in quarta sessione multo copiosius de hac re statuit decre-
 tum, quod sequentibus verbis exprimitur. Quia verò
 Christianæ Reipublicæ non nimis necessaria est prædi-
 catio Euangeli quām lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum manus, statuit & decrevit eadem sancta syno-
 dus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & om-
 nes alios Ecclesiarum prælatos teneri per seipso[s] (si legiti-
 me impediti non fuerint) ad prædicandum sanctum Ie-
 su Christi Euangelium. Si vero contigerit Episcopos &
 alios prælatos legitimo detineri impedimento, iuxta for-
 man generalis conciliij viros idoneos assumere tenean-
 tur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exe-
 quendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit,
 districtæ subiaccat vltioni, Archipresbyteri quoq[ue] Pleba-
 ni, & quicunque parochiales, vel alias curam animarum
 habentes, Ecclesiæ quoquaque modo obtinent, per se vel
 alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem
 dominicis & festis solennibus plebes sibi commissas pro
 sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, do-
 cendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem
 annuntiandoq[ue] eis cum breuitate & facilitate sermonis
 vitia, quæ eos declinare & virtutes quas eos sectari oport-
 ent, ut pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam
 consequi valeant. Ideo vero si quis eorum præstare negli-
 gat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quavis ratione se
 exemptum esse prætenderet, etiamsi Ecclesiæ quouis mo-
 do exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio etiā extra
 dioce-

Concilium
Lateranense.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

diocesim existenti forsan annexæ vel vnitæ modo re ipsæ
in dioceſi ſint, prouida pastoralis Epifcoporum ſollicitu-
do non defit, ne illud impleatur. Paruuli petierunt pa-
nem, & non erat qui frangeret eis. Itaque vbi ab Epifco-
po moniti, trium mensium ſpacio muneri ſuo defuerint,
per censuras ecclesiasticas ſeu alias ad ipsius Epifcopi ar-
bitrium cogantur. Ita ut etiam ſi ei ſic expedire viſum
fuerit: ex beneficiorum fructibus alteri qui id prafet, ho-
nesta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipfe re-
cipiens officium ſuum impleat. Si quæ verò parochiales
eccleſiæ reperiantur ſubiectæ monaſteriis in nulla dioceſi
existentibus, ſi abbates & regulares prälati in prädi-
ctis negligētes fuerint à Metropolitanis in quorum pro-
vinciis dioceſes ipſæ ſitę ſunt tanquam quo ad hoc ſedis
Apostolice delegatis compellantur. Hactenus concilium
Tridentinum. Sed huiusmodi decreta multis huius tem-
poris Epifcopis proferre, eſt furdo canere fabulam. Quan-
ta autem errorum, & hæresum multitudine oriatur ex hac
verbi Dei penuria, quæ propter Epifcoporum negligē-
tiam contingit, iam proximè präcedenti cap. demonstra-
uimus. Alterum pastoris officium eſt custodire oues à lu-
pis, qui ſæpe illas inuadunt, & niſi eſſet pastor, qui eos de-
terreren, & coerceret, omnes oues occiderent, & deuora-
rent, neque vnam relinquerent ſaluam. Ne igitur lupi
nocere ouibus poſſint, illarum tutela eſt pastoribus com-
missa. Lupi ſunt tyranni, qui ſubditos ſuos ſupra debi-
tum ſpoliant, & plora quam poſſint portare, ab illis exi-
gunt tributa, & illis non cum maniuetudine, & lenitate:
ſed auſtere nimis, & crudeliter imperant. Ideo de malis
Iudeæ Principib⁹ Deus loquens per Ezechielem pro-
phetam ait: Principes eius in medio illius quaſi lupi raz-
ipientes prädam: ad effundendum ſanguinem, & ad per-
dendas animas, & auare ſectanda lucra. Lupi etiam ſunt
omnes, qui iuſtos viros persequuntur, quamuis nec Re-
ges, nec Principes illi ſint. Hi ſunt lupi illi, de quibus Sal-
uator Apofolis loquens ait: Ecce ego mitto vos, ſicut
oues in medio luporum. Non enim inter ſolos Princi-
pes, aut Reges ſuos Apofolos miſit, nec à ſolis illis Apo-
fcoli ſuſtinuerunt persequitiones: ſed à multis aliis, quos
omnes luporum nomine Saluator appellauit. His omni-
bus cræ-

Ezecl. 22.

Mat. 10.

bus crudeliores lupi sunt hæretici : quoniam sub specie pietatis, & religionis, aliorum animas sçpissime occidunt. Ipsi sunt lupi illi, à quibus, vt caueamus Saluator noster nos omnes admonet, dicens: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ab his omnibus lupis debent Episcopi suas oves tueri, ne ab illis lœdantur. A tyrannis, & aliis persequitoribus debent illas defendere, non permitentes, vt subditos suos iniustè vexent, aut illis importabilia onera imponant, aut immoderata exigant tributa, aut quascunque iniustas inferant molestias. Et si Reges, aut Principes, aut alij quicunq; Domini, horum aliquid facere tentauerint, Episcopi illis resistere tenentur, eorum audaciam reprimere, & duris illorum conatibus obſistere debent, arguendo, obſecrando, increpando (vt ait Paulus) in omni patientia, & doctrina. Ab hæreticis etiam defendere debent oves ſibi commiffas, ne ab illis ſeducent in errores, & hæreses varijs ducantur. Ob hanc enim causam Paulus docet oportere Episcopum esse doctum, vt potens fit exhortari in ſana doctrina, & eos, qui contradicunt arguere. Oportet, vt populum exhortetur in veritate fidei manere, & hæreticos contradicentes apertis rationib; conuincat. Quotus tamen nunc est Episcopus, qui id nunc facere audeat? Tam rarus est quisquis talis est Episcopus, vt merito de illo posset illud Satyrici poētæ dici.

Rara auis in terris, nigroque ſimilima cygno.

Reliquis igitur omnibus, qui id facere, aut negligunt, aut timent, dici potest id, quod Dominus malis fæcerdotibus exprobrauit olim per Ezechielem prophetam dicens: Non ascendistis ex aduerso, neque oppoſuitis mūtum pro domo Israel, vt ſtaretis in prælio in die domini. Quæ verba interpretans beatus Gregorius lib. 2. Pastoralis cap. 4. ait: Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contra ire. Et in die Domini in prælio ſtare, est prauis certantibus ex iustitiae amore refiſtere. Pastor enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga prebuſſe? Qui nimirum ſi pro grege ſe obiicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hæc ille. Huius tem-

2. Tim. 4.

Titi. 1.

Ezecl. 13.

Grego.

poris

poris prælati non ascendunt ex aduerso, nec se opponunt
pro muro domus Israel: quia pro gregis defensione non
audent mundi huius potestatibus contumaciam dicere. Non au-
deo dicere nullum esse nunc Episcopum, qui Principes re-
dargueret, & eorum malis conatibus publice resistere au-
deat, ne forte id mihi Deus dicat, quod olim, quā res erat

3. Reg. 19.

nimum desperatae, Heliæ prophetæ dixit. Derelinquā mi-
hi in Israel septē milia virorum, quorum genua non sunt
incuruata ante Bæl. Hoc tamē intrepidus dicam, rarum

Ambro.
Theodo.

nunc esse Episcopum similē B. Ambrosio, qui qum esset
Mediolanensis Episcopus Theodosium potentissimum

Orientis, & Occidentis Imperatorem non est veritus ex-
communicare propter stragem Thessalonicæ factā. Nec
brevis temporis excommunicatione illum ligauit, sed octo

Libro. 9.
Cap. 30.

mensium spatio (vt historia Cassiodori tripartita refert)
illum in excommunicatione cōtinuit. Quo tempore transi-

acto qum Imperator se excommunicatum vehementer
doleret, & ingemisceret, adiit Ambrosium Ruffinus vir
Imperatori gratissimus, & rogat illum, vt Imperatore ab
excommunicatione absoluat, & tēpli fortes illi aperiatur, &
illius ingressum permittat. Hoc tamen Ambrosius facere
nolens ipsum Ruffinum acriter reprehēdit quod talia ab
eo petere auderet. Cumq; Ruffinus supplicaret, & Impe-
ratorem diceret esse venturū, superno zelo accensus Am-
brosius dixit illi: Ego vero Ruffine prædico tibi, q; eum
ingredi facra limina prohibebo: Si vero Imperium in ty-
rannidem mutare voluerit, necē ego libēter suscipiam,
Post Ruffinū aduenit Imperator, & inuenit Ambrosium
pro soribus templi residentem, expectantemq; Imperato-
rem. Qui postquam accesit, supplicauit Ambrosium, vt
excommunicationis vinculum soluere vellet. Multis igit
tur verbis vltro, citroq; dictis: nunquam tamen illum sol-
uere voluit, quo usq; plenā sui delicti dedisset emendatio-
nem. Quæ Ambrosij tam severa increpatio adeo Theodo-
sio Imperatori profuit, vt postea Constantinopolis exi-
stens Imperator Ambrosium ob haec, & alia impēse lau-
dauerit dicens: Vix inueni veritatis magistrum. Ambro-
sium namq; solum nolui digne vocari Pontificem. Certē
si multi nunc essent Ambrosio similes Episcopi, nō tanta,
tamq; frequētia essent inter Principes Christianos bella,
non

non tot ferent Christianorum strages , non tantis tota
 respub. Christiana agitaretur tumultibus , nec tot quoti-
 die in ea excitarentur tragedie , nec tot in ea ortæ fuissent
 hæreses , quot nunc videmus . Earum enim maxima pars
 ab Episcoporum negligētia , & timiditate orta est , qui hæ
 resum tempestate oborta non se opposuerunt pro muro
 domus Israel , vt regibus , & Principibus aliisq; Dominis ,
 qui huius temporis hæresiarchis fauent , libera voce cōtra
 dicere auderent . Imo quod pessimum est , in aliquibus re-
 gnis omnes Episcopi præter vnum , aut alterum , hæretice
 suorum Regum subscriptere sententiæ . Quod autem
 omnes illius regni Episcopi in eandem venerint senten-
 tiā hæreticam , hoc argumento conuincitur , quod Roffensis
 vnuſ , qui Regi contradixit , publice decollatus est , & Episcopus ,
 verus Dei martyr effectus . Si alii omnes Episcopi hunc
 verè martyrem Episcopum imitari voluissent , nō dubito
 quin Regem alioqui bonum in fide Catholica cōtinuis-
 sent . Non enim est verosimile Regem alioqui bonum
 omnibus Episcopis sua prudentia sola contradicere vo-
 luisse . Sed quia ab aliquo , aut aliquibus Episcopis
 primo ad hæreses excitatus est , & deinde aliis Episcopis
 tacentibus & pernittentibus , hæresis adeò in Rege
 confirmata est , vt inde ad totum ferè regnum proces-
 serit . Cuius tanti mali constat Episcoporum negli-
 gentiam primam fuisse causam . Aliud etiam audio
 esse in Germania superiori regnum , quod cūm totum
 ferè sit Lutheri hæresi infectum , nullum tamen Episco-
 pum pro fide Catholica hucusque mortuum esse intel-
 lexi , quod omnes Regiæ iussioni magis , quam Deo
 obtemperare voluerunt . Et idem aliis Germaniæ
 Principibus qui Lutheri hæresim suscepérunt , & hu-
 usque tuerintur , contigisse constat . Quóniam si illis
 Episcopi (vt tenebantur) restitissent , & libera voce
 pro fide Catholica claimassent , verissimile est illos non
 tam faciles Lutheri hæresibus subscriptisse , & post illum
 præcipites iuisse . De Hussitarum hæresi olim apud Bo-
 hemos orta . Pragensis cuiusdam Archiepiscopi negli-
 gentiam fuisse causam , quod illa non cito perierit , testa-
 tur Aeneas Sylvius in lib. de origine Bohemorum , cap.
 35. Nam quuin primò illa oriretur , Subinco Pragensis
 Archiepiscopuſ Regum
 Gothiæ.

Archiepiscopus diligentissime contra Ioannem Hus pro negotio fidei egit. Sed illo intempestive mortuo, Albicus illi sufficitur, ynicum extremae auaritiae barathrum, de quo inter alia idem Æneas Sylvius hæc refert. Interrogatus aliquando, sonorum omnium, quem molestius audiret, maxillarum (inquit) ossa frangentium. Idoneus profecto Pontifex, qui surgenti fomentum hæresi daret. Hæc ille. Et tandem dicit ob mortem prioris Archiepiscopi, & desidiam, ignauiamque successoris, Husitarum hæsim perstisset. Quæ ab Episcopis exacta esse haec tenus diximus, ex sola pastoris ratione collegimus. Est aliud insuper illis inditum in sacris literis nomen, ex cuius ratione aliud illis incumbere laborem apertissime constat. Vocantur enim Episcopi à Paulo dispensatores.

Tit. i.

Nam Tito describens virtutes, quibus oportet Episcopum præditum esse, ait: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse sicut Dei dispensatorem. Et in priore ad

1. Cor. 4.

Corinthios de se, & aliis Apostolis, qui omnes Episcopi erant, ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria Dei sunt nō solum illa, quæ ac doctrinam fidei pertinent: sed sacramenta omnia: quia sub illis rebus, & signis, quæ foris videntur, diuinam aliquam intus latentem continent gratiam, meritò dicuntur mysteria. Nam matrimonium quod vnum est ex illis septem sacramentis, quæ Catholi-

Ephe. 5.

cacelebrat ecclesia, cum illud laudare vellet Paulus, illud mysterium esse dixit. Nam illo loco vbi nos Latine legimus sacramentum hoc magnum est, litera Græca loco illius vocis sacramentum, habet mysterium, sic dicens. Καὶ πρὸπερ τοῦτο μέγα μέριν. Latinus autem interpres optimè intelligens sacramēta omnia intetius aliquid multo maioris momenti continere, quā sint ea, quæ foris ostendunt, mysteria illa esse meritò censuit, ac proinde pro mysterio transtulit sacramentum. Horum omnium mysteriorum solus Episcopus est disp̄sator. Quoniam etsi alii inferiores sacerdotes possint aliqua ex sacramētis ministrare, vt sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Matrimonium, extrema Vnctio: alia tamen duo non, nisi per Episcopos ministrari possunt, Confirmatio videlicet, & Ordine. Incubit ergo hic labor Episcopis, ut sacramenta illa,

quæ

que non nisi per Episcopos ministrari possunt, suis subditis pro necessitate, & cuiusq^e merito dispensent. Hic tamen quæritur (vt Paulus ait) inter dispensatores, vt si delis quis inueniatur. Multi enim ex illis sunt, qui & si multo tempore fuerūt Episcopi, nunquā tamen aliquod horum sacramentorum suis subditis dispensauerūt, nec per alios Episcopos (quod multo peius est) dispensare curarunt. Ob quam causam plurimos prouectae ætatis viros, & mulieres in multis diœcesisibus esse scio, qui nunq^e confirmationis sacramentū suscepserunt, plurimos etiam qui sine illo in prouecta ætate ex hac vita decesserunt.

Et re vera, cūm certum sit ex sanctorum testimonio, sacramentum hoc fortitudinē quandam præstare his, qui illud digne suscipiunt, quo fortiores effecti, possint facilius diaboli temptationibus resistere: non est dubitandum multos ob impotentiam, & fragilitatem in virtutia multa, insuper, & hæreses fuisse lapsos, qui si confirmationis sacramento fuissent roborati, viriliter restitissent, & fuissent ab his omnibus liberi. Quorum omnium culpam & interitum quisquis bene senserit, in Episcoporū negligentia reiiciet, qui si fideles dispensatores fuissent, eos omnes à morte perpetua liberassent. De sacramento ordinis, quām fideliter multi Episcopi illud dispensent, non est opus longum facere sermonem, cūm ex opposito illud profusissime distribuāt. Confirmationis igitur sunt auari, & ordinis prodigi. Nam omnes sine vlo dis crimine hodie ad sacerdotium promouentur. Nec videlicet vñquam, aut audiui vllum tam rudem, & indoctum, pessimisq^e moribus infectum, qui si sacerdotiū ambiret, non assequeretur. Quoniam si ab Episcopo suo ob indignitatem repellitur, non deest illi (vt est in prouerbio) dignū patella operculum, alias videlicet Episcopus, qui illum ex Papæ dispensatione ad sacerdotium promoueat.

Quanta sit hæresum occasio, hæc multorum sacerdotū indignitas, proxime sequenti cap. Deo adiutore ostendemus. Quibus autem sint hæc mala imputanda, non est opus multum inquirere, cūm ex Pauli doctrina apertissime constet, ea omnia Episcopis, qui indignos promouerunt, esse tribuenda. Nam Timotheum discipulum, & Episcopum admoneat, vt ecclesiasticos ordines non les-

[2. Tim. 5.] **viter cōferat, dicit:** Manus cito nemini imposueris, neq; cōmunicaueris peccatis alienis. Quæ verba exponens **Theoph.** Theophylactus in cōmentariis super Paulum ait: Haud quaquam cito, id est, temerè, vel cum primū quempā fues
ris secundove, aut tertio periclitatus: sed sēpe, vt diligē
ter omnibus inuestigatis, manus cuiquam imposueris.
Neq; enim expers periculi ea res est. Quale autem hoc
periculum sit, ex his, quæ subsequuntur, intellige. Neq;
cōmunicaueris peccatis alienis. Es namq; (inquit) alienis
delictis obnoxius, his scilicet, quæ ille in futurum com
miserit, cui manus imposuisti. Quo fit, vt virtutum illi
us particeps sis futurus, si recte vixeris: sic peccatorum
non immunis si praeue. Eiusdem, & prauis eo obstringe
ris facinoribus: quia nulla horum habita ratione, tene
bras lucem effeceris. Hæc Theophylactus. Ex cuius ver
bis apertissime constat, peccata indignorum sacerdotū,
Iuxta Pauli sententiam, in Episcopos esse reiicienda, qui
illos temerè ad sacerdotium promouerunt. Ex his om
nibus præfatis constat tria esse omnibus Episcopis sum
mè necessaria, vt recte suum peragant ministerium, quæ
omnia suis subditis ministrare tenentur. Hæc sunt doctri
nae pastus, ouium diligens tutela, dispensatio sacramen
torum. Ut autem hæc omnia integre Episcopus perficere
valeat, opus est, vt ipsas oues cognoscat, & perpetuā cum
illis habeat conuersationem, & circa illas semper inuigi
let, ne aliquid illis desit ex omnibus, quæ illis præstare
tenetur. Oportet primum vt eas cognoscat, vt sciat, quas
pascere debeat. Nam si eas non cognoverit, fieri non po
test, vt illas oportune pascere, & viriliter tueri possit.

Prou. 27. Ideo Sapiens ait: Diligenter agnoscē vultum pecoris tui
& greges tuos consydera. Quæ verba interpretans Hier
onymus in cōmentariis super Prouerbia ait: Pastori di
citur Ecclesiæ. Diligenter adhibe curā eis quibuste præ
esse contigerit, agnoscē animos, actusq; singulorum, &
si quid in eis vitii sordidantis inueneris, citius castigare
mentio. Non enim tu semper oues Dominicas pascen
di potestatem habebis: sed æterna est corona, quam per
cipies, si commisum tibi gradum tuo tempore bene mi
nistraueris. Hæc Hieronymus. Est etiam necessarium, vt
oues suum agnoscant pastorem, vt illæ sciānt, quæ sequi
debe

Neron.

Debeant, & a quo pastum securè suscipere possint. Hæc duo vno contextu Saluator noster expresit, qui cum dixisset se esse pastorem bonum, ad hoc comprobandum statim boni pastoris qualitates adiecit, dicens: Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Quibus verbis aperre nos docuit illum non esse bonum pastorem, qui oves suas non cognoscit, & quem oves non agnoscunt. Tenentur etiam Episcopi super gregem sibi commissum vigilare, & illius insistere curat, ne aliquid ad salutem necessarium illi desit. Nam hoc ipsum significat hæc vox Episcopus, quæ Græca vox est, & Latinæ versa, id est, ac superintendens. Ipsum ergo nomen, quo se appellari gaudent, docet illos super subditorum custodiam intendere, & vigilare debere. Ob quam causam Paulus censet subditos teneri ad obedientiam suis Præpositis præstantiam. Obedite, inquit, Præpositis vestris, ipsi enim vigilant pro vobis reddituri rationem. Et hinc est, quod Christo vero & optimo omnium pastore nascente, pastores erant (ut Lucas resert) vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Tunc enim nascens pastores Ecclesiæ instruxit, ut vigilarent, & custodirent vigilias noctis super gregem sibi commissum. Et sapiens Ecclesiasticus hanc diligentiam commendat omni rectori, tamquam illi maxime necessariam, sic dicens: Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic consydera, & omni cura tua explicita recumbe, ut latenter propter illos. Non statim post modicam adhibitam curam, sed omni explicita cura recumbere, & latari permittrit. Et re vera si tam diligentem curam ab omni rector Sapiens exegit, multò maiorem certe credendum est Episcopis esse necessariam, qui multò plura, quam alii Rectores pro suorum salute populum facere tenentur. Multi tamen sunt Episcopi, qui sui nominis prorsus obliiti, ouium sibi commissarum non maiorem curam habent, quam si de illis non essent Deo reddituri rationem. Ut lac ab illis sugant, & lanam euellant diligentissime laborant, illis autem prospicere prorsus contemnunt. Non se putant, ad hoc, eos esse institutos pastores, ut curam ouium habeant, sed ut fructus ex illis colligere possint. Et ideo hoc diligentissime faciunt, ad

Ioan. 10,

Hebr. 13,

Luc. 2,

Eccle. 32,

illud vero mirum, quām sint negligētes, & ignauī. Cū
per decem, & per viginti, & triginta annos fructus ab
ouibus extornerint, multi ex illis non cognoscunt oues
suas, nec cognoscunt ab eis. Nam in curis Principum
veritantes, & multis, quæ a suo instituto longissime abs
funt intendentes, ones suas visitare, & quæ illis debent,
praetare cōtemnunt. Huiusmodi Episcopi indigni sunt,
qui Episcopi dicti debeat: quoniam hos tales Christus
saluator noster non pastores, sed mercenarios dicit esse
appellans Mercenarius (inquit ille) & qui non est pa
stor, curis non sunt oues propriæ, vider lupum veniens
tēm & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit
oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, &
non pertinet ad eum de ouibus. Multis rationibus hic à
Christo salvator nostro assignatis conuincuntur Epis
copi, & alii animalium Rectores, qui extra ouile ouum
suarum resident, & perpetuo, aut diu extra suas dioceses
morantur, non esse pastores, sed mercenarios dicendos.
Dimittunt enim oues, quandiu illarum conuersationē
non habent. Fugunt, quando à cura, & officio, quod pre
stare tenentur, recedunt. Deniq; putant nihil ad eos per
tinere de ouibus. Ideo hi mihi videntur similes esse stru
ctionibus, quorum teste Iob, talis est natura, ut derelin
quint oua sua in terra, & obliuiscantur, q; pes conculcer
ea, aut bestia agri conterat, & durentur ad filios quasi
non sint sui. Quid autē ex hac pastoris absentia, & crasi
fissima negligentia sequatur, Saluator in verbis supradic
tis expressit dicens: Lupus rapit, & dispergit oues. Sive

Iob.39. lupi nomine tyrannum, sive hæreticum intelligere velis
quisque illorum tanto audacius oues inuader, & tanto
securius eas occidet, quanto viderit pastorem longius
abesse, qui ouibus subuenire poscit. Sed germanior mihi
videtur literæ sensus, si hoc loco per lupum, hæreticum
intellexerimus, ob id solum, q; dixit illum dispergere
oues. Nullus enim est aliis, qui æque oues dispergat, ac
hæreticus, qui sua falsa doctrina eas decipiens, ab unico
illo Ecclesiæ ouili separat, & per errorum devia vagari
cogit. Ex quibus apertissime constat, sœpe Episcoporum
& aliorum rectorum absentiam, & nimiam negligentiam
potissimum causam esse, q; aliquæ in populo versentur
hæreses

Ioan.10.

hæreses, & populus ab hæreticis seducatur. Nam ille ab-
 sentibus, facile est inde euenire, ut quicunque pro suo libito
 sentiat, & quem senserit impune doceat. Simile enim ob
 solum rectoris defectum oīum contigisse in libro Iudi-
 cum legimus, ubi hæc habentur verba : In diebus illis
 non erat Rex in Israe; ied. & nusquid quod rectum vide-
 batur, hoc faciebat. Huc enim tendi parabola illa homi-
 nis seminantis bonum semen in agro suo, in quo iniuni-
 gus homo, occasione accepta, quod homines agri culto-
 des dormiret, superseminauit zizania. Dæmon enim, qui
 totius humani generis apertus est hostis, videt recto uero
 negligentiam talem, ut dormire videantur. Superseminat
 sepe hæresum zizania in ecclesia Dei, quæ agri est eius,
 In quo ille prius semen bonum, hoc est, ve am fidei do-
 ctrinam seminauerat. Et cum Paulus dicat omnia patri-
 bus in figura contigisse, non erit absurdum, si dicamus,
 hoc ipsum nobis significasse mulierem illam, de qua in
 tertio Regum lib. legitur, quod filium suum, quem vigi-
 lans lactabat, nocte doriniens oppresit, & interemit.
 Nam dum pastores animarum vigilant, & curâ illarum,
 quam tenentur, habent: tunc subditos suos quos, ut filios
 diligere debent, vera doctrina lactant, & bonis exemplis
 nutriunt. Si tamen somno negligentiae, & torporis dor-
 miunt, sua ignavia, & desidia eodem occidunt. Verum ne
 quis mihi obiciat, ex sensu parabolico, aut mystico non
 esse sumendum argumentum ad doctrinam aliquam pro
 bandam, & stabiliendam, apertum volo pro hac re scri-
 pturæ sacræ testimonium proferre. Vbi nō est gubernator
 (inquit Salomon) populus corruet. Et ipse Deus per Eze-
 chiel prophetam de pastoribus loquens, hoc aperte
 expressit, sic dicens : Vx̄ pastoribus Israel, qui pascebant
 semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascentur ? Lac
 comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum
 erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.
 Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægro-
 tum non sanastis. Quod confractum est non alligastis,
 & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat
 non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum
 potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eò quod non esset
 pastor, & factæ sunt in deuoratione omnium bestiarum
 3. Reg. 3. I. Co. 10. Iudi. vii. Mat. 13. Ezec. 34. Prou. II.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

agri, & dispersæ sunt. Cūm ergo oviūm dispersio, quæ discessionem à fide significat, ex pastorum negligentia oriatur, constat illarum omnium culpam nō to tum ipsis ovi bus, quæ dispersæ sunt, & errauerunt: sed earum pæstoribus ob eorum negligentiam esse imputandam. Nam virorumque, populorum scilicet, & rectorum damnum, uno verborum cōtextu, Hieremias propheta deploiat, sic

Tren. 1.

inquiens: Egressus est à filia Sion omnis decor eius; facti sunt Principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absq; fortitudine in faciem subsequentis. Dicens omnem decorum à filia Sion recessisse, peccata populi indicavit. Dicens verò Principes abiisse absq; fortitudine, p̄tectorum negligētiā, à qua totius populi malum est ortum, expresit. Nam beatus Hieronymus hæc

Hieron.

Hieremiac verba in commentariis super Lamentationes exponens ait: Hac sententia arguuntur negligentes rectores ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani, cūm nec meditatione legis diuinæ, nec in cultu pietatis, neq; in sacrarum virtutum exercitio laborare conantur: sed in luxu voluptatum per vania scelera, iuxta suggestionem hostis cogentis abducuntur. Cuius periculi malum, illos maximè respicit, qui in loco regiminis constituti, potius secularia desyderia, quam mandatorum Dei sequi vespigia elegerunt. Vnde cœlestis regni gloriam cum sanctis doctori bus non meritur accipere: sed cum diabolo, & angelis eius, pernam gehennæ cogentur recipere. Hæc Hieronymus. Sed apertius hanc nos docet sententiam Deus, qui postquam per Ezechielem prophetam dixerat oves suas dispersas esse, & in deuorationem bestiarum venisse, penam deinde ipsis pastoribus ob hanc causam minatur grauissimam, sic per eundem prophetam inquiens: Viuo ego dicit Dominus Deus: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor &c. Et paucis interpositis subdit. Propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum. Et post pauca iterum subdit: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem

Ezec. 34.

gem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerant in die nubis, & caliginis. Nihil certe durius, & perius contra pastores Deus dicere potuit, quam quod requisitus erat oves perditas, de manibus eorum, ut pro illis rationem reddant, quam cum bonam reddere non valeant, necesse erit, ut pro illorum peccato puniantur. Et hoc ipsum non solum verbo: sed etiam opere nos docere voluit Dominus, ut intellegerent pastores, & rectores non inanem esse comminationem, quam iam vel semel exceptioni mandatam esse scirent. Nam quum olim populus Israel fornicatus fuisset cum filiabus Moab, & illarum Deos adorasset, iratus Dominus dixit ad Moy: Num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut auferatur furor meus ab Israel.* Quæ verba interpretans Origenes homilia viii. gesima super librum Numerorum ait: Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperent, nec ambirent ad populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis, sufficit mihi pro me metipso, & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi necesse est etiam pro populi peccatis ostentari? & ostentari contra solem, ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari? Hæc Origenes. Quisquis igitur curam animarum suscepit, si Deum non vult habere contra se iratum, oportet, ut semper illarum regimini intendat, semper cum illis conuersetur, diligenter consideret, quæ sunt necessaria, nunquam nisi magna coactus necessitate, a conspectu, & conuersatione ouium suarum discedat: sed cum Esai propheta dicat: Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Ex his omnibus præfatis, euidentissime constat prælatorum, & aliorum rectorum negligentia & absentia, multorum malorum insuper, & hæresum esse causam. Quæ omnia in ipsos rectores rei scienda sunt ex quorum negligentia processerunt. Sunt tamen multi, quorum ora declinauerunt in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Nam quidam eorum hac excusatione suas absentias ab Episcopatibus,

Num. 25.

Origen.

Esai. 51.

vel parochiis defendere volunt, quod personas alias bo-
nas, & tanto officio idoneas pro se substituant, per quos
omnia, quae tenetur, faciunt: & hoc satis esse dicunt: quia
(vt aiunt) Dominus ouium non per seipsum semper pascit
oues; immo aliorum pastorum uititur opera, quibus illas com-
mendat. Et inde colligunt se optime suo officio satis fecis-
se, quum bonos pro se vicarios substituant. Sed haec illo-
rum excusatio nihil illis prodesse potest: immo potius in-
maius illis cedit peccatum, cum plura, quæ oportet, per ille-
lam sibi arrogare videantur. Putant enim se ouium domi-
nos esse, cum tamen non sint. Deus enim illarum est Domi-
nus, qui ait: Omnes animæ meæ meæ sunt. Et ipse met oues hoc

Ezecl.18. ipsum fatentur dicentes: Nos autem populus eius, & oues
Psal.94. pascuae eius. Et certè apertissime intelligere possent se
non esse illarum ouium dominos, si aduertere vellent ver-
ba quibus Christus Petrum animarum pastorem instituit. Pa-
sce, inquit, oues meas, Et iterum: Pasce agnos meos. Non
dixit Oves tuas, sed meas. Neque dixit Agnos tuos, sed
meos. Deus igitur se ouium & agnotum Dominum dicit.
Episcopi autem, & alijs animarum rectores, pastores sunt,
quibus Deus eas commisit, vt illas pascere, & tueri cura-
rent, stipendio laboris pollicito, si id recte egissent. Alio-
qui si Deus dominos illos esse censeret, nullam ab illis
de ouibus rationem peteret, neq; de manu prælatorum
oues perditas requireret, prout ipsemet se facturum fore
Ezecl.34. per Ezechielem prophetam minatus est. Nullus est au-
tem ouium Dominus, qui oues suas alicui pastori com-
menderet, vt pro se aliud substituere posset, nisi forte hac
conditione, vt ille de omnibus teneatur reddere rationem.
Nec Deus oues suas Episcopis, aut aliis pastoribus comi-
sit, vt illi pro se vicarios subrogaret, quibus oues comen-
darent. Et si contra Dei voluntatem oues Dei alteri comis-
serit, nihilominus eas, que ob vicarii negligentiā perierint,
Deus à pastore, cui ipse eas comisit, requiret. Neq; sua pos-
terit ille hac ratione defendere culpam, quod ipso nescien-
te oues perierint: quoniam (vt habetur in capitu. Ouam-
uis, de regulis iuris) non potest esse excusatio pastoris, si
lupus oues comedit, & pastor nescit. Deinde & si gratis
daremus pastores animarum esse censendos velut ouium
Dominos: non tamen sic, vt contra voluntatem Dei,

qui

qui est illarum supremus Dominus, aliquid de illis disponere possint. Deus autem non vult, ut rectores animarum illas aliis committant, propterea quod alij non aequi illarum curam gerunt, ac si illarum essent Domini. Nam mercenarius (inquit Christus saluator noster) fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de omnibus. Raro alienae res tam bene curantur, ac propriæ. Laudata est Manlij Torquati sententia apud Titum Liuium, qua dicit, nunquam prospere succedere, quæ oculis qui uis egerit alienis. Et ita censeo ego vix unquam bene ouium succedere posse curam, quæ per vicarios exercetur: quoniam illi sacerdoti non sunt tales, quales oportebat: sed qui plus inuidigilent (ut Bernardi verbis utar) subditorum euacuandis marsupiis, quam extirpandis vitiis. Tales sacerdoti sunt, ut de illorum quolibet dici possit id, quod Virgilianus opilio alteri pastori exprobrans dixit.

Hic alienus oueis custos bis mulget in hora,

Virgilius.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Æglo. 3.

Deinde ipsi subditi minus reuerentur vicarios, & minus timent illos, quam Episcopos: unde consequens est, ut minus possint vicarii illos in virtute continere: & a vitiis deterrere. Moyses primus synagogæ prælatus, coactus populum relinquere satis paruam moram cum Domino facturus, ne populus Acephalus ipso absente maneret, vicarium pro se substituit virum quidem probum, Aaron videlicet fratrem eius. Hic tamen non potuit populum deterrire, quin faceret vitulum auctum, & adoraret: quod tamen nunquam Moysè præsente facere attenterunt.

Populus igitur, qui Moysè præsente fidelis fuerat, illo absente ad idolatriam defecit. Præterea, quanvis optimus vir sit is, quem suo loco vicarium instituit Episcopus, multo tamen melius, & diligentius ministerium suum exequetur Episcopo præsente, quam illo absente. Et ideo indignum puto, ut res tanti momenti, qualis est animarum cura per solos Vicarios peragatur, quoniam in magnum hoc cederet animarum periculum, quum (ut diximus) vix unquam bene succedunt, quæ alienis oculis fiunt. Samatanus ille (apud Lucam) qui hominem a latronibus vulneratum imposuit in iumentum suum, & duxit ad stabulum, ipse curam illius egit, quandiu mansit in stabulo.

Exod. 33.

Luc. 10.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Quum autem illum recedere fuit necesse, commendauit stabulario, quod ipse adesse non posset. Et (vt aliquid apertius dicamus) ipse saluator, & magister noster, nunquam dum super terram vixit, oves suas Petro, aut alteris alicui commendauit, ne alicui pastori exemplo suo ansam pæberet, vt per alios ouium curam gereat, quam ipse habere tenebatur. Postquam à mortuis resurrexit, &

Ioan.12

Mat.16.

Ioan.19.

mortem promisit se daturum claves Petro: eas tamen nō nisi post mortem dedit, quando iam propè erat, vt corporali, & visibili forma à nobis ad Patrem recessurus esset. Matrem suam nunquam viuens, aut Ioanni, aut alteri commendauit: sed solum propinquus morti, quando illi ministriare, aut suppetias aliquas ferre non poterat.

Alioqui dum vixit, & potuit, alteri eam commendare noluit. Suo igitur exemplo Christus saluator noster docuit Episcopos, vt nō omnino vicariis fiderent: sed quod per se præstare possent aliis non committerent. Sunt adhuc alij animarum rectores, qui hac ratione excusatos se esse putant, quod in suis parochiis non trahant moram, nec cum ouibus suis conuersentur: quia (vt dicunt) dispensationem à summo Pontifice obtinuerunt, qua liberam illis cōcedit Pontifex facultatem, vt à suis parochiis quandiu voluerint, abesse possint, & vbi cunque libue rit morari. Sed hæc excusatio adeò futilis est, & inanis, vt non solum à gehennæ incendio: sed nec à tenuissimo flatu, aut leui calore defendere valeat. Nam cum residencia pastorum inter oves suas, sit iure diuino pastoribus præcepta, non potest Papa sine urgente necessitate, hoc est, alicuius maioris boni causa, in illa dispensare. Alioqui si absque simili causa id fecerit, non dispensatio: sed disipatio dicenda erit Nam & si ille supremus sit ecclesiæ pastor

z. Cor.10.

est tamen data illi potestas (vt Paulus ait) in ædificationem, non in destructionem. Cum igitur aperte immam iam hanc sententiam relinquamus, multa mala insuper, & hæreses ex pastorum negligentia oriri, necessarium esset hanc causam tollere, & hanc tantorum malorum 12. dicem protinus euellere, ne rami pestilentes ex illa oriantur. Cogantur Episcopi in suis diocesibus perpetuo morari, ita vt ab illis, nisi magna urgente necessitate, discedere

dere non possint. Alij animarum rectores idem facere ar-
etissimè constringantur, quod si facere neglexerint, suis
beneficiis oportebit illos priuare, vt saltē p̄t nā metus
cogat, quos virtutis amor non allicit ad bonum. Quæ
omnia, si recte sine villa dispensatione peragantur, spero,
vt Deo adiutore multa mala insuper & hæreses vitentur
quæ istis remediiis subtractis iam alias s̄p̄c̄ orta esse con-
spicimus.

DE QVARTA HÆRESVM CAVSA,
quæ est multorum Episcoporum, & alio-
rum sacerdotum indignitas.

Cap. V.

Episcopi, & alijs animarum rectores non solum sunt
negligentes ad pascendū, & tuendum oues sibi com-
missas, & alia præstanta quæ illis iure debentur: sed mul-
ti ex illis tam desides sunt, & ignauī, vt nec suarum ani-
marum curam habere videantur. Quo sit, vt indigni
censendi sint, quibus tam sublime munus merito de-
buisset conferri. Nam (vt Ecclesiasticus ait) qui sibi ne-
quam est, cui vñquam bonus erit? Non hoc dixit: quia
illud impossibile esse censuerit: sed quia difficile esse,
& raro contingens existimauit, vt qui sibi est nequam,
aliis bonus sit. Sunt enim hæc duo, videlicet sibi & aliis
bonum esse inter se sic diuersa, vt eorum alterum ab al-
tero separari possit, & ambo eidem conuenire non repu-
gnent, imò aliquando fit necessarium. Ab Episcopis
enim, & aliis inferioris ordinis sacerdotibus, duo illa exi-
guntur: quorum si alterum, quod libuerit eis desit, mul-
torum malorum causa esse potest. De negligentia pasto-
rum, & aliorum rectorum proxime præcedenti capitulo
differuimus, vbi apertissimè multis rationibus ostendi-
mus illam multarum hæresum fuisse causam. Nunc su-
pereft, vt etiam ostendamus Episcoporum & aliorum sa-
cerdotum indignitatem, etiam si alias illi circa oues sibi
commissas debitam adhibeant curam, apertissimam esse
causam, quæ multas hucusq; produxerit hæreses, & multo
plures, nisi illi tempestiuè occurrantur, producere posse.
Vt autem hoc melius efficere valeamus, necessarium est
prius

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

prius ex sacris literis ostendere, quales oporteat esse Episcopos, & alios inferioris ordinis sacerdotes, ut dignè me: ito cenieri debeat, qui tale munus recte posfit obire. De qua re non est opus alium, quam Paulum consulete, qui Episcopos, & alios sacerdotes, quales oporteat esse,

Tit. I. Timo. heo, & Tito scribens optime delinuit. Oportet, (inquit ille) Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non iudeum, non iracundum, non violentum, non percutiorem, non trupis luci cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidei sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. Hæc Paulus ad Titum scribit, qui eadem fere scripsit ad Timotheum.

I. Tim. 3. Singulæ illius oportet breviter periculatae partes, & postea inde constabit, quam multos esse sacerdotes, quibus illarum aliquæ, multos etiam, quibus omnes desunt.

Primam Episcopi partem, quæ reliquas ferè omnes in se complectitur, Paulus dicit esse, ut Episcopus sit ab omni crimen liber. Non exigit, ut sit sine peccato: quia hoc esset ferè homini impossibile, prout Ioannes Evangelista docet. Si dixerimus (inquit ille) quia peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Dicit igitur Paulus oportere, ut Episcopus sit sine criminе quod non qualecunq; sed graue, & mortale est peccatum. Hoc quod nunc Paulus dicit esse Episcopo necessarium, olim in figura, & sub velamine quodam Deus mandauit in veteri lege, Aaron sacerdoti dices. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Quæ verba interpretans Glossa, quæ dicitur ordinaria, sic ait: Hæc secundum literam accipere, nimis videtur absurdum esse. Tales maculae non sunt in hominum potestate, vel voluntate. Per maculas ergo corporum vitia animorum describitur. Cum enim causam populi præful suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Qui si æger est, qua præsumptione vult mederi? Ille ergo ad exemplum debet pertrahi, qui cunctis passionibus mortuus spiritualiter vivit, cuius intentioni corpus, nec omnino per inbecillitatem nec valde per contumeliam refragatur. Hactenus Glossa

I. Joan. 1. docet. Si dixerimus (inquit ille) quia peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Dicit igitur Paulus oportere, ut Episcopus sit sine criminе quod non qualecunq; sed graue, & mortale est peccatum. Hoc quod nunc Paulus dicit esse Episcopo necessarium, olim in figura, & sub velamine quodam Deus man-

Leuit. 21. davit in veteri lege, Aaron sacerdoti dices. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret

Glossa ordinaria. panes deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Quæ verba interpretans Glossa, quæ dicitur ordinaria, sic ait: Hæc secundum literam accipere, nimis videtur absurdum esse. Tales maculae non sunt in hominum potestate, vel voluntate. Per maculas ergo corporum vitia animorum describitur. Cum enim causam populi præful suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Qui si æger est, qua præsumptione vult mederi? Ille ergo ad exemplum debet pertrahi, qui cunctis passionibus mortuus spiritualiter vivit, cuius intentioni corpus, nec omnino per inbecillitatem nec valde per contumeliam refragatur. Hactenus Glossa

ordine

ordinaria. Ex cuius verbis constat causa una, propter quam oportet sacerdotem sine crimine, & sine macula esse: quia videlicet ille est in eae plenum propositus populo. Ne igitur populus illum imitari contendens in virtute post illum labatur, oportet, ut ille sit totus mundus, & criminis causensis. Sed alia potest esse illius pracepti non minor causa, ne videlicet Episcopus minus valeat peccatum subditum redarguere: si ipse si eodem criminis, de quo alium arguit, infectus. Propter quod Timotheo Paulus scribens dixit: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Quod non sic est intelligendum, ut Paulus censeat oportere Episcopum talem esse, ut nihil prorsus habeat reprehensibile, Sed ut non sit alicui publico peccato obnoxius, & addicitus, de quo merito possit ab aliis reprehendi, ne dicatur illi: Hypocrita eiice primo trabem de oculo tuo, & deinde festucam de oculo altero eiicies. Indignum quippe est, ut quis in alio reprehendat, quod ipse aliis scitentibus fecit. Hunc enim talem merito arguit Paulus dicens: In quo enim iudicas alterum te ipsum condemnas. Rom. 2.
 Et iterum: Qui ergo alium doces: teipsum non doces? Qui predicas non furandum, furaris? Qui dicas non mactandum, mortalis? Ob hanc causam Saluator noster Iudeis adulteram mulierem accusantibus dixit: Qui sibi peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ioan. 8.
 Quibus verbis innuere voluit, eum, qui peccatis esset obnoxius, indignum esse, qui alios, aut punire, aut reprehendere possit. Lapidès enim contra peccantem mitit, qui illum pro peccato punit, aut de peccato reprehendit. Sed hos lapides nullus, nisi qui est a criminis liber, in aliū mittere debet. Explicata iam in genere, & in vniuersali Episcopi perfectione, opus est, ut in specie reliquas Episcopū partes, quas Paulus enumerauit, breuiter discutiamus.
 Nam postquam Paulus dixit oportere Episcopum sine criminis esse, particularia quedam deinde explicat criminis, a quibus potissimum illum abstinere oportet, & primo dicit: Non superbū. Superbitus vitium, & si omnibus sit vetitum, multo tamē magis rectori ecclesiastico est interdictum, a quo omnis superbite fastus, & omnis imperandī libido longissime debet abesse. Primos enim ecclesiastē Episcopos Christus saluator noster instruens dixit illis:
 Scitis,

Mat. 20. Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit ves- ter minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit ves- ter seruus: si cui filius hominis non venit ministriari, sed ministrare. Et beatus Petrus alios Episcopos iuxta id, quod a Christo totius veritatis magistro didicerat, docet

1. Pet. 5. idem sic dicens: Pascite, qui in vobis est gregem Dei, pro- uidentes non coacte: sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratia: sed voluntariè: neque dominantes in clero: sed formati gregis ex animo. Deinde addit Paulus: Non iracundum. Iracundus est non, qui semel, aut iterum irascitur: sed qui frequenter ira agitatur, & qui levissima data occasione semper in iram concitatur. Quo vi- tio nullum peius potest contingere Episcopo, qui alios docere, & regere debet. Nam per iram adeo turbatur ali- quando iudicium rationis, ut prorsus nesciat, quid tune agat, nec postea (ut ebriis contingere solet) eorum, quæ tune fecerat, recordetur. Turbatus est inquit David, a furore oculus meus. Et quidam Sapiens dixit:

Cato. Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Præterea viri iracundi cōuersationem omnes refugunt, Quod & Salomō omnibus ita faciendū esse consulit, sic

Prou. 22. dicens: Noli esse amicus homini iracundo: neq; ambules cum viro furioso, ne forte disceas semitas eius, & sumas scandalum anime tute. Non est autē iustum, ut Episcopus id vitium habeat, propter quod sit merito ab omnibus fu- giendus. Dicit postea Paulus: Non vinolentum. Vinolen- tus est (ut de iracundo diximus) nō qui modico vino vi- tur: sed qui nimio indulget vino. Et hoc etiam malum aciem ingenij destruit, & carnis ardores irritat, qui sēpē homines in multa pertrahunt vitia. Vinum, & mulieres

Eccle. 19. (inquit Ecclesiasticus) apostatare faciūt Sapientes. Sequi- tur deinde in Pauli verbis. Non percussorem, hoc est, ne in obiurgando, & reprehendendo sit tam saeuus, & asper, ut obiurgatio transeat in contumeliam. Nam Græca di- ctio ibidem posita, μὴ πληντηρ. (vt Hieronymus anno- tauit) nō significat percussorem manuum: sed lingue, est igitur idem, ac si dixisset. Non contumeliosum, aut non mordacem. Aut, si ad manus percussionem vocem illam exten-

extendere velis, prout Theophylactus extēdere videtur, non percussorem, id est qui nec verbis nec verberibus grauiter percutiat, sed cum mansuetudine & lenitate subditos puniat. Non turpis lucri cupidum, oportere Episcopum esse dicit Paulus. Quo nomine non solum lucrum illud quod est omnibus illicitum, sed omnem prorsus negotiationem intellexit Paulus, ut illam etiam ab Episcopo abesse velit, quæ aliis est secularibus permissa. Fœda enim est sacerdoti omnis lucri temporalis negotiatio.

Enarratis criminibus, quibus oportet Episcopum carere, deinde enarrat virtutes quibus illum prædictum esse oportet: quoniam (ut Gregorius ait) minus est mala non age, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare. Ait ergo Paulus. Sed hospitalem, hoc est non solum aliena non appetere, quod faciunt hi qui lucris inhiant, sed etiam propria indigentibus elargiri oportet. Ob quam causam doctores sacri dixerunt Episcoporum & aliorum sacerdotum bona, esse bona peregrinorum ceterorumque pauperum, quibus illi necessario subuenire tenentur.

Postea dicit benignum, hoc est, non inuidum, sed (ut Theophylactus ait) modestia prædictum: vel (ut Hieronymus interpretatur) bonorum operum amatorem. Deinde addit, prudentem, & meritò, quia ipse veritatis magister dixit: Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Et Salomon ait: Dux indigenus prudentia multos opprimet per calumniam. Postea subdit Paulus, continentem, quæ vox (iuxta Hieronymi sententiam) non ad solam resertur libidinem, sed ad omnes pertinet affectus, iram, ambitionem, inuidiam, timorem, ut hos omnes vincat Episcopus. Denique ait: Amplexentem eum qui secundum doctrinam est fidem sermonem, ut potens sit exhortari in fana doctrina. & eos qui contradicunt arguere. In quibus verbis, proprium Episcopi munus expressit. Nam quæ haec tenus recensuit, etiam à subditis exiguntur, ut ab Episcopis. Oportet enim Episcopum & quemlibet animarum rectorem esse doctum, ut sciat optimè ea quæ ad fidem, & quæ ad mores pertinent. Et istarum rerum eloquutio est fidelis sermo quem Episcopus amplecti debet. Alioqui si hæc necessaria ignorauerit, eueniet necessario quod Salomon ait:

Mat. 24,

Prou. 28.

Rex

Eccle.10. Rex insipiens predet populum suum. Ideò beatus Gre:
 Gregor. gorius libro primo pastoralis, cap.1, ait: Ab imperitis pa:
 titoribus magisterium pasto rale suscipitur in magna te:
 meritate, quoniam ars est artium regimen animarum.
 Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse ne:
 gar vulneribus viscerum? Et tamen sàpè qui nequa:
 quam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medi:
 cos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim
 nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Hæc Gregor:
 Leuit.21. us. Hinc est quòd dominus in veteri lege eum qui cæcus
 esset, aut lippus, aut albuginem in oculo habens, nō per:
 mittebat, vt ad sacerdotiale accederet ministerium. Ex hac
 enim vmbra & rerum imagine veritatem perscrutantes,
 edocemur, nullum prorsus ignorantem aut infime do:
 ctum dignum esse, qui Episcopale munus suscipiat. Do:
 ctrinam autem qua pollere debet Episcopus, non dubi:
 am, aut vacillantem, sed firmam & constantem oportet
 esse, præsertim in rebus fidei in quibus nihil hæsitare li:
 cet: sed omnia pro certissimis habere. Et hoc insinuauit
 Paulus, quum dixit: Amplectentem eum qui secundum
 doctrinam est fidem sermonem. Non enim omnia quæ
 vel leuiter apprehendimus, amplecti dicimur: sed ea solū
 quæ vtraq; vlna comprehendimus & fortiter cõstringi:
 mus. Ideò Beatus Ambrosius quo maiorem doctrinæ fir:
 mitatem & constantiam exprimeret, non transtulit, ap:
 prehēdentem sed tenacem, vt doctrinam fidei firmissime
 teneat, & nullo pacto ab illa se sinat auelli. Nec satis est
 Paulo, vt Episcopus fidei doctrinam constantissime reti:
 neat, nisi talis illa sit ac tanta vt per illā potes sit exhorta:
 ri, & eos qui contradicunt arguere. Non enim ad hoc so:
 lum requiritur ab Episcopo doctrina, vt suæ soli personæ
 consulat, sed vt subditis suis prospiciat, non solum igno:
 rantes docendo: sed etiam affictos consolando. Et hoc
 ipsum Græca vox magis significare videtur, vt ex Hiero:
 nimi testimonio constare potest, qui pro eo quod nos ha:
 bemus exhortari, vertit, consolari. Nec satis est hoc: sed
 insuper oportet tantam esse Episcopi doctrinam, vt per
 illam eos qui contradicunt possit arguere. Hoc est, pos:
 sit hæreticos testimoniis scripturæ sacræ & aliistrationi:
 bus ad hanc rem pertinentibus conuincere, & illorum
 argutiis

argutiis resistere. Hi enim ex his qui Christo nomina in baptismo dederunt, soli sunt qui fidelis sermoni & sanæ doctrinæ contradicere solent. Et quod de hæreticis intellexerit Paulus, ipse verborum ordo apertissime docet. Nam postquam dixit, oportere ut Episcopus potens sit ari-
guere eos qui contradicunt, statim rationem dictorū verborum reddēs, subiunxit: Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores maximè qui de circuncisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Ecce omnia quæ beatus Paulus ab Episcopis requirit, quæ omnia aliis etiā inferioris ordinis sacerdotibus esse necessaria, præsertim his qui animarum curam suscep-
runt, ex dictis Pauli intelligere oportet. Nam de hac re nos aperte admonuit Chrysostomus, qui homilia vnde-
cima super priore Pauli ad Timotheum epistola sic ait: Postquam de Episcopis dixit, eosque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit di-
ctans, omisso interim presbyterorū ordine, ad diaconos transit. Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum atq; presbyterum interest fermè nihil. Quippè & presby-
teris ecclesiæ cura permissa est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt. Hæc Chrysostomus.
Sed iam opus est ut videamus an omnes Episcopi & sa-
cerdotes tales sint, quales Paulus censuit oportere illos esse. De hac re cupiebā nihil dicere, ne in maledictionem Cham incurrisse videar, propterea quod verēda patrum omnibus palam facere velim. Sed quia multorum Epis-
coporum & saerdotū indignitas est tam aperta, ut quan-
uis ego tacerem, silentio meo illam tegere non possem,
ideo necessarium mihi fuit, aliqua ex nimium publicis proferre, ut postea clare ostendere possim, id quod à prin-
cipio huius capititis dicere statui, illorum indignitatem multarum hæresum fuisse causam. Multi sunt Episcopi
& alii rectores animarum iuuenes, & multi tam modicæ
ætatis, ut vix pueritiam excesserint. Quæ res tam aperte
est mala, ut non solum sanctorum virorum: sed genti-
lium Philosophorum testimonio damnetur. Nam Ari-
stoteles dicit: Nemo eligit iuuenes duces, quia non con-
stat eos esse prudentes. Est enim prudentia summe neces-

Chrysost.

Aristo.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

saria illi qui alios regere, & corriger debet. Iuuenes autem nedum adolescentes & pueri (vt Aristoteles dixit) prudentes esse nō possunt, quia nullam prorsus aut minimam habent rerum experientiā, sine qua vix vlla potest

Eccle.34. haberi prudentia: Qui non est tentatus (inquit Ecclesiasticus) quid scit? Vir in multis experrus cogitabit multa & qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non est expertus pauca recognoscit. Cūm igitur constet, adolescentes & pueros minimā rerum experientiā habere, constare etiam oportet illos non esse prudentes. In antiquis

Iob.12. (inquit Iob) est sapientia, & in multo tempore prudētia. Ex quo aperte colligitur, vt in modico pueroru & adolescentium tempore, prudentia esse non posse. Hinc est q̄ quum Deus decreuit cōferre Moyſi adiutores, qui illum ad immensum regimini onus portandum iuuaret, non pueros, nec adolescentes, neq; iuuenes, sed senes illos precepit esse, sic dicens:

Num.11. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sunt ac magistri. Dicens, quos tu nosti quia senes populi sunt, expressit non solum ætatis senectutem esse necessariam: sed oportere, vt senectus mentis sit illi coniuncta. Si enim sola corporis senectus in illis quereretur, tot illam noscere poterant, quot poterant illos videre. Dum vero dicitur, quos tu nosti q̄ senes populi sunt, profecto liquet quod non solū corporis senectus, sed simul cū ea senectus mentis eligenda nuntiatur. Et certe monstruosa quædam res est & nimium deploranda, vt is qui ad regimenem aliorum constitutus est, alio rectore vel (vt apertius loquar) pedagogo indigeat. Nam qui seipsum regere nescit, qui fit ut alios regere valeat? Ideo sapiens compatitur terræ, quæ

Eccle.50. puerum regem habet, sic dicens. Væ tibi terræ cuius Rex est puer. Quām magnū malum sit, pueros in regimine, constituere, vel ex eo facile intelligi potest, quod Dominus hoc pro maxima poena minatur populo Iuda, per

Esa.3. Esaiam prophetam dicens: Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Verum & si res apertissima sit, valde malum & nimis pernitosum esse, pueros aut adolescentes in regimine animarum constituere, qui tamē illos constituerunt, aut illos constitui procurauit, hanc excusatione illam defendere nituntur, quod bona de illis

illis pueris aut adolescentibus habetur spes, illos in optimis & perfectos viros euasuros. Ridenda quippe excusatio, quæ tam multis nominibus conuincitur esse vana. Nam huiusmodi spes nihil certū promittere potest, cùm tam multos quotidie videamus iuuenes & senes multis & variis criminibus irretitos, qui bonam de se spem dederunt in pueritia. Prudentis igitur viri erit, non fidere pueris quos sàpè fefellisse constat. Deinde & si spes certa esset, illos bonæ indoli suæ postea responsuros, non tamen ideo tam graue onus esset illis cōmittendum, quan-
do sola habetur spes: sed expectandi sunt quousq; tales illos, quales sperabantur, euafisse intelligent. Alioqui im-
pone alicui mulo aut asino duorum mensium grauissi-
mam aliquam sarcinam nimium vires illius excedentem
propterea quod optima de illo habetur spes, optimum
ali quando futurum iumentum, quod multo graviori sar-
cinæ portandæ sufficiet. Si hoc non audes paruulo mulo
aut asino committere propter solam spem futuri, cur au-
des regimen animarum, quod mille sarcinis est multo
grauius, puero propter solā futurorum spem cōmittere?
Nunquid pluris facis iumentum tuum quam anima pue-
ri, cui tam immensum pondus imponere nō reformidas?
Quanuis nouitius aliquis sartor aut futor optimam de
se præbeat spem optimum aliquando artificem futurum,
non tamen illi committes ut uestes aut calceos tibi confi-
ciat, quousq; talem qualē sperabas illum euafisse scias: &
vis puero propter solā bonam, quā de illo habes spē, tor-
animarum millia committere. O infelices animæ quæ in
tantam deuenistis miseriā, vt vobis uestes & calcei præfe-
rantur. Quas Christus saluator noster tanti fecit, vt pro
illis sanguinem fundere non recusauerit, nūc infræ uestes
& calceos à multis Pontificibus æstimatae sunt. Sed alia
adhuc proferunt non multo meliorem excusationem dī-
centes, ex Papæ dispensatione puerū institutum esse Epis-
copum, aut alicuius beneficij curati rectorem, ac proinde
omnem scrupuli occasionē esse sublatam. Qualis fit ista
excusatio, aut quanti momenti, si ego dixero mihi non
credent, propterea quod talis non sum ut virgam in colu-
brum verterim, aut colubrum in virgam reformauerim,
aut aliquod aliud simile doctrinæ meæ signum dederim.

DE IVSTA HÆRET. PVNT.

Audiant igitur beatum Bernardum, virum & miraculis
clarum, & doctrina refertum, qui lib. 3. de cōsideratione,
Bernard. ad Eugenium Papam scribens, ait: Non sum tam rudis,
vt ignorem vos positos dispensatores: sed in ædificatio-
2. Cor. 10. nem non in destructionem. Deniq; queritur inter dispen-
4. Cor. 4. satores vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, ex-
cusabilis dispēlatio est, vbi vtilitas prouocat, dispensatio
laudabilis est. Vtilitas dico, communis non propria. Nam
cūm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed
crudelis dissipatio est. Hæc Bernardus. Et in epistola ad
Theobaldum Comitem, quæ est in ordine. 271. iterum ait
Offendo proculdubio si facio quod requiritis. Nam ho-
nores & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his
qui eas digne aut secundum deum administrare & velint
& possint. Porro eas acquiri paruulo filio vestro preci-
bus meis vel vestris, nec vobis iustū, nec mihi tutum esse
noueritis. Hæc Bernardus. Doctrinam autem si quis ab
Episcopis & aliis sacerdotibus requirat, pauci sunt qui
possint debito & obligationi respondere. Nam & si ali:
qui sint Episcopi docti, multo tamen plures sunt adeò in:
docti, vt vix Latinè sciant loqui, & (quod multo peius
est) eorū aliqui nec bene Latinè legere nouerunt. Cuius
rei nullū (vt vera loquar) in Hispania, vbi natus sum, ex:
emplū vidi: sed in aliis prouinciis, præsertim in illa quæ
se Latinæ elocutionis parentem gloriatur. Nam in His:
pania, procurante id Catholico illius Rege & Christia:
nisimo Imperatore Carolo, nullus hodie extat Episco:
pus qui non sit vel mediocriter doctus, & multi sunt vere
doctissimi. De aliorum sacerdotum ignorantia non est
opus longum facere sermonem cūm tam frequētes vbiq;
sint sacerdotes indocti & prorsus ignorantes, etiam ex
his qui animarum suscepérunt curam, vt rarus sit & velut
gemma quedam existimetur sacerdos doctus, qui anima:
rum curæ inseruiat. Tam multus est indoctorum sacer:
dotum numerus, vt iam possit ecclesiæ exprobrari, quod
Esa. 56. Dominus olim per Esaiam prophetam exprobrauit sy-
nagogæ dicens: Speculatori eius cæci omnes. Hi qui
Heb. 13. animarum curam tenent, speculatori populi sunt, qui
pro illo (vt ait Paulus) vigilare debent, tanquam pro re
de qua sunt Deo reddituri rationem. Hos tamen omnes
dicit

dicit fuisse circos, hoc est, ignorantes. Quoniam & si ali-
qui fuissent tunc docti apud Iudeos, hi rāmen rarissimi
erant. Quotus est nunc Episcopus aut sacerdos alius ani-
marum rector, qui iuxta Pauli praeceptum potens sit ex-
hortari in fana doctrina, & eos qui cōtradicunt arguere?
Quantum autem malum ex hac sacerdotum ignorantia
oriatur, vel ex eo constare potest quod Christus saluator
noster ait: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in fo-
ueam cadunt. Et beatus Gregorius in primo capite pasto-
ralis exponēs illud Psalmistæ: Obscurentur oculi eorum
ne videant: & dorsum eorum semper incurua, ait: Oculi
quippè sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, pro-
videndi itineris curam suscipiūt, quibus hi nimirum qui
subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuritatis
ergo oculis dorsum flectitur: quia cùm lumen scientiæ
perdunt qui præeunt, profectò cuncti ad portanda pecca-
torum onera curuantur qui sequuntur. Hæc Gregorius.
Si ad sacerdotum mores examinādos accedere volumus,
plus in eis quod damnamus, quam quod probare possi-
mus, inueniemus. Vix enim aliquid in eis reperietur,
quod non longissimè distet ab his, quæ illis sunt à iure
præcepta. Scio aliquos esse Episcopos & sacerdotes optimis
moribus imbutos, qui iuxta humanam fragilitatem
ea quæ tenentur, præstatore conantur. Sed hi rarissimi sunt
& digito à populo monstrati, de quibus præsentem non
facimus disputationem: sed de aliis in præsentiarum lo-
quimur, qui ab his moribus, qui sacerdotali dignitati cō-
ueniebant, longissimè recesserunt: & horum maximus
numerus. Quales illi interius sint, Deus nouit, qui intue-
tur eorum corda: nos exteriora iudicamus, quæ tam ma-
la sunt, ut nulli homini prudenti, & bene de Christiana
religione sentienti, placere possint. Si ex vestibus qui-
bus induuntur, illos iudicare oportet, multos illorum
non sacerdotes neque clericos: sed prophanos seculares
& milites existimabimus. Illorum iumenta tanto excess-
su ornantur & tanta curiositate componuntur, ut de illis
meritò iam dici possit quod Propheta regius de filiabus
gentilium dixit: Filiæ illorum compositæ: & circum-
ornatae velut similitudo templi. Vtinam tanta illis cura
esset componendi & ornandi templo, quanta illos vexat

Mat.15.

Psal.68.

Gregor.

Psal.143.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Bernard. sollicitudo ordinandi mulas quibus infidere debent.
 Tantus est à multis annis eorum in hac re luxus, vt beatus Bernardus exasperatus dixerit illis: Dicite Pontifices
 in freno quid facit aurum? Apparatus mensé illorū opu-
 lentissimus, conuiua nimiū excessiva, cùm tamen multi
 pauperes quibus debitores sunt, fame pereant. Venationi
 bus & aucupiis multi eorum inferuiunt, accipitres alunt,
 & canes pauperibus desertis nutriunt, quæ omnia multi
 seculares domini ob solum Dei timorem facere reformi-
 dant, cùm tamen nō laicis hominibus: sed ipfis Episcopis
 & sacerdotibus sint hæc iure prohibita. Ludos multi sa-
 cerdotes publicè exetcent, & aleæ frequentius quam ora-
 tioni aut lectioni student. Istorum aliqui tam viles fibi
 sunt, & tam paruam de sua sacerdotali dignitate æstima-
 tionem habent, vt non vereantur multi de inferioris or-
 dinis sacerdotibus domibus propriis desertis, tabernas
 publicas ad cōpotationes exercendas ingredi, & ibidem
 cum aliis de maiori vini haustu cōtendere, & victoriam
 ob maiorem potum ambire. De castitate illorum non est
 quod loquamur, cùm tam aperta sit omnibus illorum in-
 continentia, vt si nos velimus tacere, illorū filij clament.
 Publicas multi ex illis in magnum Christianæ religionis
 dedecus retinent concubinas, à quorum amplexibus sēpè
 ad eucharistiae susceptionem, nec homines nec Deum re-
 uerentes accedunt. Et, vt nihil malitię aliquibus illorum
 defit, ad publica prostibula accedere non verentur. Tam
 frequens est iam sacerdotum incontinentia, & tam publi-
 ca, vt si quis illorum castus esse sciatur, quanvis multa alia
 necessaria illi desint, ob hoc solum sanctus à populo cen-
 seatur. Hæc autem omnia vltia arguunt, illos qui talia
 agunt indignos esse honore sacerdotali. Nec soli secula-
 res sacerdotes sed etiā monachi qui multo arctiori obli-
 gatione ad virtutem tenentur, à suo instituto lōgissimè
 absunt. Multi enim illorum adeò à patribus à quibus in-
 stituti sunt degenerarunt, vt ferè nihil quod suæ respon-
 deat professioni habeant, præter exteriores vestes, quibus
 à cæteris discernuntur. In his autē necessarium est euenire,
 quod Augustinus ait, nulos videlicet peiores esse quam
 qui in religione defecerūt. Et re vera (vt ingenue loquar)
 quanvis multi ex monachis hodie sint, qui sui instituti re-
 gulam

gulam quam promiserunt, obseruent, rari tamen ex illis sunt qui non declinauerunt ab eo perfectionis culmine, in quo patres illorum fuere. Ex hac omnium sacerdotum dignitate, tanquam ex potentissima malorum causa, multa mala insuper & haereses, olim ora sunt, & nunc pro dolor, quotidie oriuntur & nutriuntur. Nam hoc aperte nos docuit Deus per Hieremiam prophetam dicens: Quia stulte egerunt pastores, & dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grec eorum dispersus est. Super quem locum Hieronymus hæc quæ sequuntur, ait: Per translationem pastorum atque ouium, Principum culpa & dispersio populi describitur. Quia enim Principes stulte egerunt, nec quæsierunt Dominum, quem toto debuerat corde perquirere, idcirco & inala venientia non viderunt, siue non intellexerunt dominum, & omnis multitudo Hierusalem huc illucque dispersa est. Hæc Hieronymus. Et iterum eandem sententiam apertius per Ezechiel prophetam Deus docet sic dicens: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Quæ verba exponens beatus Gregorius lib. 1. pastoralis capite. 2. sic ait: Nemo quippe amplius in ecclesia nocet, quam qui peruerso agere noinen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem nanque hunc nemo redarguere presumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis, peccator honoratur. Hæc Grægorius. Nec illorum dūtaxat peccatorum quæ ad mores pertinent: sed etiam haeresum multarum fuit causa, malitia & indignitas sacerdotum. Nam Husitarum haeresis initia, enarras Æneas Sylvius libro de origine Bohemorum, capite. 35. ait: Sequebantur Ioannem Hus clericis ferè omnes, ære alieno grauati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerum nouitate euadere penas arbitrabantur. His & non nulli doctrina celebres iuncti erant, qui cum in ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferabant, sacerdotia maiorum censuum his committi, qui quanuis nobilitate praerirent, scientia tamen viderentur inferiores. Et capi. 36. referens ea quæ cum Ioanne Hus & Hieronymo de Praga Bohemis, in Constantiensi consilio acta sunt, ait: Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque vieti rationibus, vinci voluere.

Hier. 10.

Hieron.

Ezech. 44.

Gregor.

Æneas
Sylvius.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Se veraces, se sancti Euangelij æmulatores, se Christi discipulos esse, Romanam ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas, lögè à traditionibus Apostolorum abiisse, quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conuiuiis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, ecclesiæ bona quæ Christi pauperibus debarentur, per lasciuiam luxumq; consumerent: aut nescire prorsus diuina mandata, aut, scientes contemnere. Hæc Bohemos dixisse, & in illis ad ignem vscq; perseverasse refert Æneas Sylvius. Ex quibus satis aperte constat, malos sacerdotum mores Husfitis ansam hæresis præbuisse, qua ab obedientia Romani Pontificis decesserunt. Idem hoc nostro seculo Lutheranis contingit, quærunt hæreses, indignitas, & scelerata sacerdotum vita tanquam prima materia genuit, & nunc tanquam nutrix eas alit, fouet, & nutrit. Videntes enim nimiam sacerdotum multitudinem, illorum indignitatem, sceleratamq; illorum vitam, in sacerdotes, & Episcopos, & in Romanū, hoc est, supremum totius ecclesiæ Pontificem, debacchari cœperunt, & quod in personas iuste forte dicere potuissent, in ipsam sacerdotalem dignitatem, & in Hierarchicos illius ordines reposerunt. Tanquam si personæ indignitas & vita quamlibet scelerata vel tam illum posset detrahere sacerdotali dignitati, aut cuius alteri potestati. Si illi recte sapuissent, pro personarum emendatione, & moris reformatio laborare debuissent, non in vniuersum pontificiā tollere dignitatem. Male quidem medetur qui iugulat. Alioqui si hæc illis sana videntur remedia, tollat eadem ratione matrimonia, quia multi coniuges fidem matrimonij non servant. Tollant omnes rerum publicarum ministros & retores, quia multi ex illis ministerium suum iniustè exercent. Tollant deniq; sartores, sutores, metallarios, auri fabros, latomos, & reliquos omnes artifices, propterea quod multi ex illis mille faciunt fraudes, milleq; confingunt sæpè mendacia. Si has artes prorsus tollere non licet, quanvis illarum artifices iniustè eas exerceant, multo minus decebat propter sacerdotum aut Pontificum indignitatem & quamlibet sceleratam illorum vitam dignitatem Fontificiam prorsus abrogare præsertim cum non ab hominibus: sed à Deo illa instituta sit, ac proinde non ex homi.

hominum arbitrio: sed ex Dei voluntate pendeat. Sed re vera odio & inuidia Episcoporum, præsertim Romanorum Pontificis ducti, excœcari sunt ut rem non intelligerent: nec modo, etiam si veritas illis apertissime ostendatur, intelligant. Nam si quid illis pro Summi Pōtificis aut aliorum Episcoporum autoritate obiicitur, cum nesciant quid verè respondere possint, statim clamant: Videte Pontificis exactiones, cōsiderate Episcoporum mores. Expertus quidem loquor, & non quæ ex aliorum relatu didici: sed quæ propriis oculis vidi & auribus meis audiui refero. Et certè difficile est, nisi Deus ipse custodiat, tanta sacerdotum indignitate, & tam scelerata illorum vita existente, Christianam religionem esse ubique integrum. Nam diuina lex, & religio, verusque Dei cultus, habent quan-
dam cum sacerdotio connexionem, quæ ex Pauli testimoniio facile conuinci potest, qui ait: Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat. Si sacerdotium & lex non essent sibi inuicem connexa, quæ obsecro es-
set hæc Pauli collectio, ex translatione sacerdotij legis translationem inferre? Sed quia Paulus censuit, non posse sacerdotium esse sine lege, nec legem sine sacerdotio, ita ut cuique sacerdotio sua respondeat lex, & reli-
gio & cuique legi, siue religioni suum conueniat sacerdotium, ideo visum est illi ex translatione sacerdotij, optime posse colligi translationem legis. Si hæc duo tam con-
nexa & à se inuicem dependentia sunt, eadem ratione & consequentia, ex cōtemptu & vili pensione sacerdotij, ne-
cessario sequetur legis & religionis contēptus. Nam apud omnes orbis terrarum nationes, apud quas aliqua aut ve-
ra, aut falsa vnquam religio viguit, tanta fuit semper sa-
cerdotij dignitas, tātaq; apud populum sacerdotum æstima-
tio & reuerentia, quanta ipsius religionis fuit digni-
tas, æstimatio atq; reuerentia: & econtrario. Non est igi-
tur mirum, si his seculis in quibus Christianæ religionis sacerdotium est neglectum & tam parum æstimatum, vt omnibus passim sine ullis iustis meritis cōferatur, etiam diuina lex, diuinusq; cultus, ipsa deniq; tota Christiana religio contemnatur, pessumq; eat. Cum igitur hanc oms-
niū oræsentis seculi hæresum potissimā esse radicē cōfiteret,
quisquis hæresibus occurrere & illas prorsus tollere op-

Hebr. 7.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sat, summe pro viribus suis laborare debet, ut hæc pessima radix euellatur, & sacerdotium suę dignitati restituatur. Hoc autem facile fiet, si primum tollantur causæ, à quibus totus hic sacerdotum contemptus est ortus. Nostissimum est sacerdotum contemptum ex nimia illorum multitudine primum, deinde ex ignorātia, postremo ex scelerata illorum vita, esse ortum. Nimia siquidem cuiuslibet rei multitudo contemptum vilipensionemq; parit: quemadmodū econtrario, cuiuslibet rei raritas pretium æfimationemq; gignit. Deinde sacerdotum cōtemptum auxit magna illorum indignitas multis nominibus manifesta. Quoniam multi propter ætatis defectum, alijs ob imprudētiā, alijs ob ignorantiam, alijs ob sceleratam illorum vitam omnibus manifestā, indigni sunt, qui ad tam sublimem dignitatem fuissent promoti, & inde illorum oritur cōtemptus. Hac igitur via sacerdotium quod iam in magnam vilitatem, magnumq; contemptum abierat, facilè suo pristino restituetur pretio & honori, si nulla ad illum nisi dignus promoueatur. Nullus nisi prouecta iam ætate instituatur Episcopus aut sacerdos, & qui prudens sit ad tale munus obeundum, & vir doctus qui alios docere valeat, & bonus virtutisq; studiosus, qui alios suo exemplo ad virtutem capessendam hortetur. Si tales sine Episcopi & sacerdotes, non dubito quin reliquus populus breui ad veram Christianæ religionis obseruantiam redibit. Si hæc sacerdotij reformatio fieri negligitur, necessitate est ut hi quibus hoc facere incumbit patiēter ferant eiusdem sacerdotij contemptum, & per consequens legis diuinæ & Christianæ religionis iacturam. Necessarium certè erit ut malis sacerdotibus eueniat id, quod Deus olim per Malachiam prophetam illis minatus est dicens. Propter quod & ego dedi vos cōtemptibiles, & humiles omnibus populis; sicut non seruasti vias meas.

Mala. 2.

DE Q V I N T A HÆR E S V M C A V S A quæ est sacræ scripturæ translatio in linguam vulgarem. Cap. VI.

Translationem sacræ scripturæ in linguam vulgarem, multarum hæresum posse esse causam multis rationibus multisq; irrefragabilibus testimoniis persuadetur,

detur, & res ipsa aperte demonstrat. Ut autem hoc aper-
tius probare valeamus: illud ante omnia statuere opor-
tet: priuam & potentissimā omnium hæresum radicem
esse prauam scripturæ sacræ intelligentiam. Nam quia in
sacris literis contenta non iuxta Catholicam fidei do-
ctrinam: sed iuxta sensum à Catholicā fide longissime di-
stantem intelligendam esse aliqui putant, ideo suas sen-
tentias quamvis Catholicæ fidei repugnantes, ac si diui-
na essent oracula firmissime tuentes. Quia ea quæ sen-
tiunt testimoniiis sacræ scripturæ munita, & roborata esse
putant, & ideo tam constanti, & firmo animo ea tenent,
ac reliqua, quæ verè in sacris literis continentur. Vnde
Hilarius in lib. de Trinitate ait: Extiterunt plures, qui cœ
lestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius ab-
solutionem suscepérunt aliter interpretantes quām dicto
rum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non
de scriptura est, & sensus non sermo, fit crimē. Hæc Hilari.
Et B. Augustinus in lib. 83. questionum questione. 69. ait:
Non potest error oriri palliatus nomine Christiano: nisi
de scripturis non intellectis. Hæc ille. Si ex praua sacræ
scripturæ intelligentia hæreses oriuntur, cōsequens est in-
de, vt vulgus indoctum sacras scripturas legēs magnā in-
de sumat occasionem in varias incidendi hæreses: quo-
niam legit id, quod minime intelligere potest. Quod au-
tem multa sint in sacris literis, quæ à vulgo minime in-
telligi possunt: adeo est manifestum, vt nulla egeret pro-
batione: nisi Lutherus & aliij eiusdē farinæ homines qui
notissima alia negare solent, hoc etiam negassent dicen-
tes sacram scripturā p̄s̄ertim nouū Testamētū, esse in-
tellectu facillimā, ita vt ab omnibus intelligi pos sit, & ob
eam causam in eam lingua esse vertendā, in qua pos sit ab
omnibus legi. Lutherū tamen & quotquot illi in hac par-
te fauent, pessime errare inde aperte cōuincitur: q̄ multa
sunt ad sacrę scripturę intelligētiā maximē necessaria quī
bus omnibus cōstat vulgus indocti carere. Omnes enim
sciētiæ naturales, teste Augu. sunt valde necessariæ ad ve-
ram, & exactā sacræ scripturæ intelligentiā. Nam (vt ille
ait lib. 1. de doctrina Christiana, capit. 40.) sicut olim ta-
bernaculum Dei, constructum est, Deo præcipiente, ex
auro, & argento, quod filij Israël ab Aegyptiis acceperant: Exo. 35.
sic

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sic modo Theologiæ structura , ex gentilium scientiis , quæ velut quodam illorum argentum , & aurum sunt , consurgit. Historiarum variarum cognitionem esse ad verum sacrę scripturę intellectum consequendum , testatur , idem August. qui lib. 2. de doctrina Christiana ostendit aliquos ob solam historiæ ignorantiam circa scripturam sacram errasse . Neque ad solas res leues , & parui momenti : sed ad prima totius Euangelicæ fidei fundamenta stabilienda , est historiæ cognitione necessaria . Primum enim totius Euangelicæ doctrinæ fundamentum est Iesum filium Mariæ virginis fuisse Messiam in lege promissum , & à prophetis prædictum . Pro cuius fidei confirmatione multa ex præcipuis , quæ possunt ex sacra scriptura afferri testimonia , nequaquam possunt sine historiæ cognitione intelligi . Primum est ex lib. Geneseos ,

Gen. 49.

vbi Iacob benedicens filium suum Iudam hæc ait : Non auferetur scepter de Iuda , & dux de femore eius : donec veniat , qui mittendus est , & ipse erit expectatio gentium . Ut autem hæc aduentui Christi in carnem adaptentur , necessarium est scire ex historiis quando fuit ablatum scepterum de Iuda , & quando defecit Dux de femore eius . Alterum est de prophetia Balam , qui postquam dixit , orituram esse stellam ex Iacob , & consurrecturam virgam de Israel , quæ percuteret Duces Moab , ut tempus , quo hæc propheta implenda esset , designaret . Hæc dixit : Heu quis victurus est quando ista faciet Deus ? Venient in tricribus de Italia , superabunt Assyrios , vastabuntq; Hebreos , & ad extremum ipsi peribunt . Qui hanc prophetiam in Christo Salvatore nostro impletam esse , probare voluerit , oportet : ut sciat quando Romani Assyrios superauerint , vastauerintq; Hebreos . Multo maior historiæ cognitione exigitur pro vera intelligentia prophetæ

Nu. 24.

Danielis de septuaginta hebdomadis abbreviatis , post quas mox vngendus erat sanctus sanctorum . Qui historian est prorsus ignarus , ut multi ex vulgo esse solent , ne quaquam poterit has , quas diximus prophetias , Christo , de quo ille prædictæ sunt , adaptare . Deinde Aug. lib. 2. eiusdem operis de doctrina Christiana cap. 19. docet troporum , & figurarum cognitionem esse prorsus ad scripturarum cognitionem necessariam , quæ à grammaticis , & rhetoriciis

Dani. 9.

petenda

petenda est. Ex huius rei ignorantia constat multas posse
hæreses oriri, propterea quod figurata loquutio non ag:
noscitur, & creditur esse non figurata. Ex hac enim radice
orta est olim in Aegypto Anthropomorphitarum hæ:
resis, putantium Deum esse corporeū, propterea quod sæ:
pe sacræ literæ Deo membra tribuunt humana. Si enim
metaphoræ vim intellexissent, non fuissent illi in talem
hæresim lapsi. Ex eadem ignorantia prodiit hæresis Che:
ritini, & aliorum docentium delicias carnis futuras esse in
cœlesti beatitudine. Decepti enim sunt hi ex eo, quod
Saluator apud Lucam ait: Ego dispono vobis mensam,
sicut dispositum mihi pater, ut edatis, & bibatis super men:
sam meam in regno meo. Sunt & alia id genus multa in
sacris literis, de quibus omnibus non est possibile hoc lo:
co differere. Certum est plebem indoctam nescire discer-
nere figuratas loquutiones, à non figuratis, & inde ne-
cessitatem est, ut in plurimos labatur errores, si eas sine ylla fi:
gura, & sine yllo tropo intelligere velit. Multa sunt in
Euangeliis à Christo salvatore nostro, & deinde ab Apo:
stolis in epistolis suis per hyperbolem dicta. Sæpe vtrun:
tur Apostoli, & Euangelistæ, synecdoche figura, quā qui
non intellexerit, necessitatem est, ut erret. Nam qui hæc ignora
uerit necessitatem est, ut in tempore mortis, & resurrectionis
Christi erret, putans Christum non verè dixisse se futu:
rum in corde teræ tribus diebus, & tribus noctibus. Ea
dem ratione deridebit litera Exodi, ubi dicitur, virgam
Moysi deuorasse virgas Magorum. Dicet enim apud se:
Qui fit, ut virga, quæ nec os nec dentes, nec gulam, nec
ventræ, nec deniq; sensum habet, aliquid deuorare possit? Rom. 8.
Paulum etiam necessario dicet mendacem, qui ait spiri:
tum sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabi:
libus. Si spiritus sanctus gemere nequit, quomodo note:
rit gemitibus inenarrabilibus posulare? Vulgaris itaq;
homo illud legens, & minime intelligens, aut Paulum er:
rasse dicet, aut male de spiritu sancto censem, putans il:
lum gemere, aut quomodolibet tristari. Sunt aliae multæ,
& frequentissimæ figuræ in sacris literis, pro quarum de:
claratione extat libellus Bedæ, qui inscribitur de schema:
tibus, & tropis sacræ scripturæ. Sunt præterea multa in
sacris codicibus, quæ minime iuxta solam literæ super:
ficiem

Luc. 22.

Mat. 12.

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

- 2. Cor. 3.** Sicutem sunt capienda: sed iuxta mysticum sensum sub ea latente sunt interpretanda. De his dicit Paulus: Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ: sed spiritus: Litera enim occidit, spiritus est, qui vivificat. Si hæc omnia quis velit, iuxta literā, & non iuxta mysterium reconditum interpretari, nō est dubium illum in multas hæreses labi. Talia sunt multa, quæ de Christo prophete prædixerunt. Tale est illud, quod Jacob Patriarcha de Christi passione prophetico spiritu prædictum. Lauabit in vino stolam suā, & in sanguine vuæ palliū suum. Et illud apud Esaiā: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: Super solium David, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia ammodo, & usq; in sempiternum, & regni eius nō erit finis. Cum domus Jacob æterna nō sit: sed temporalis, dubitare quis merito poterit, quomodo Christus in illa sit regnatus in eternū, præsertim cum ipse Christus postea dixerit regnum suū nō esse ex hoc mundo. Sunt alia multa eius deinde note, quæ si iuxta solā literam intelligantur, non esse dubiū multas inde nasci hæreses, vt puta de regno Christi in hoc mundo, de huius regni perpetuitate. Et non est etiā dubium, quin vulgus indoctum propterea quod mystica penetrare nescit, omnia hæc putet esse iuxta nudā literam intelligenda, ob quam causam necesse est, vt in multos incidat inextricabiles errores. Rursum, saepissime contingit in sacris literis subita, sine ullâ expressione, unius personæ in aliam personā mutatio, ita vt modo de Christo, qui caput est corporis mystici, loquatur scriptura, & statim sineulla personæ expressione loquatur de corpore eius, quod est ecclesia, aut de particularibus illius membris, quæ sunt omnes fideles. Quæ omnia si quis eidem tribuere velit, vt puta omnia capiti, aut omnia corpori, aut membris accommodare, saepē sine manifesta hæresi id facere non potest. Quia saepē ea, quæ capiti conueniunt, repugnant corpori, & membris eius, & quæ ceterorum membrorum sunt propria, saepē non possunt capiti conuenire. Talia sunt, quæ Oseas propheta de Christo loquens ait: Puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium meum. Vocauerunt eos, sicut abierunt à facie eorum, Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant.
- Gen. 49.**
- Ezai. 9.**
- Oseas.**

bant. Primam horum verborum patrem de Christo esse intelligendam, testatur Matthæus, qui illam exponit de Christo ab Ægypto in Iudeam reuertente. Reliqua tamen quamvis sub nomine eiusdem populi Israelitici dicta sint, non possunt Christo conuenire: sed soli corpori illius, siue vero, siue ficto, hoc est, ecclesiæ permixtæ quæ bonos, malosq; intra se cōtinet. Certum est vulgarem hominem non posse discernere diuersitatem personarum, de quibus quasi de vna illæ literæ contextus loquitur: sed omnia eisdem personæ accommodabit, præsertim in Psalmo. 21. qui totus est Christo tribuendus, & ferè nulla est in illo pars, quæ posset eidem Psalmæ competere. Et Esaias propheta de Christo loquens sub nomine suo. Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. Et alia multa ibi Esaias nomine suo dicit, quæ tamen non sibi sed Christo conuenire possunt. Nam (vt Lucas refert) Christus Saluator noster illa Esaiæ verba in seipso adimplēta esse docuit. Vulgaris tamen homo, & idiota hæc legens, putabit illa non de Christo: sed de eodem propheta, qui nomine suo illa dixit, esse intelligenda, & sic in pernicioſissimas incidet hæreses. Omitto alia multa necessaria ad sacre scripturæ intelligentiam, de quibus beatus Augustinus in libris de doctrina Christiana Iongam facit disputationem, & ea omnia non possent in hoc capite comprehendendi. Quæ omnia quum populus ignoret, necessarium est vt in mille locis erret, perperam scripturam sacram intelligens. Sunt præter hæc omnia parabolæ frequentissimæ in sacris literis, quarum intelligentia (vt beatus Thomas, & alijs doctores Theologij docent) non ex prima vocum significatione pertenda est: sed ex significatione rerum per voces illas significatarum, hoc est, per similitudinem vnius rei ad alteram. Cerrum est populum has non posse adaptare similitudines, & ignorare alteram præter primam vocum significationem. Vnde necessarium est evenire, vt nesciat parabolas intelligere: immo vt nesciat inter parabolas, & apertas eloquitiones distinguere. Quo fieri necessario, vt quæ parabolice dicta sint, simpliciter, & iuxta priam vocum significationem putet esse

Mat. 2.

Esai. 61.

Luc. 4.

esse intelligenda. Quæ res quot, quantasque hæreses gignere posse, prudenti lectori considerandum committo. Quid dicam de multis scripturæ locis, qui sibi inuicem repugnare videntur, in quibus conciliandis doctissimo, atq; diligente, & peracuto est opus interprete? Horum factiæ contra pugnantiam cùm vulgaris, & idiota legerit nesciens illa in cōcordiam redigere, cogetur, aut mendacium ad sacras literas admittere, aut alterum illorum locorum à sacris codicibus relegare, dicens illa verba non pertinere ad sacram scripturam. Quorum neutrum potest quis sine manifesta hæresis nota efficere. Deniq; quia B. Hierony. tam multas intellexit esse difficultates circa intelligentiam sacrarum scripturarum: ideo in epistola quadam ad Paulinum quæ est de omnibus sacræ scripturæ libris post multa, quæ illic de hac re dixerat, tandem propositum concludens, sic ait: Hæc à me perstricta sunt breuiter (neq; enim epistolaris angustia euagari longius patiebatur) ut intelligeres te in scripturis sacris sine præuio, & monstrante semitam non posse ingredi. Hæc ille. Et certè ex ipsamet scriptura sacra constat fuisse olim specialis aliquos eiusdē scripturæ interpretes, quorū munus

Mieron.
Act. 22. erat sacras literas interpretari. Nā Paulus dicit se legē dis
a. Tim. 3. dicisse ad pedes Gamalielis, & Timo. laudat, quod ab infantia literas sacras didicisset. Ex his omnibus apertissime cōstat, longissime Lutherū aberrasse à veritate dicentem scripturā sacram esse facillimā intellectu, ut à quoquis vulgarī homine possit intelligi. Nō potest enim verè aliquid facilē dici, ad quod assequendū multa difficultaria sunt necessaria. Præterea, ipsemet Lutherus velit, nolit, fateri debet se pluries deceptū fuisse in interpretatione sacrarū literarū: quoniā sēpe circa fidēi, & morum dogmata mutauit sententiā, nunc aliquā probans sententiā, nunc eādem reiiciēs, & illius contradictriacē admittēs. Idem etiā Erasmo Roterodamo contigisse cōstat, qui tamen etiā cū Lutherō sentit sacras literas esse in lingua vulgarē vertendas. Hic enim sēpe sententiā suā mutauit in annotationibus super nouū testamentum in posterioribus editionibus recentiās, quæ in priori docuerat. Consequēs igitur est, ut toutes vterq; istorū fateatur se fuisse deceptū, quoties ab una aliqua in oppositā, & illi repugnantē transiit sententiam.

*S*i scriptura sacra facillima erat intellectu (vt Lutherus & Erasmus dicunt) interrogare illos oportet, quo pacto in re facillima errauerūt. Non credo aliud ab eis responderi posse, quām q̄ sic excæcati tunc erant, vt res apertissimas videre non possent. Et sic etiam credo illos tunc ex cæcatos fuisse quando dixerunt scripturam sacram esse adeo facilem, vt à nullo non posset intelligi.

De Erasmo tamen valde miror, q̄ sit in hac parte tam parum sibi constans, vt secum apertissime pugnet. Nam in suo Ecclesiaste, siue de ratione concionandi lib. 3. dicie sacram scripturam multis in locis esse obscurā, & causas obscuritatis ostendit multas. Ut autem mēs illius oībus sit nota, verba quę illo loco dicit, hic citare volui, & sunt quæ sequuntur : Sunt qui fortiter negant in canonicis libris vllam esse obscuritatem, modo adsit peritia sermonis & sensus communis. Quorum opinioni hæc tenus certe faueo, vt oprarim esse verissimam, sed vna voce reclamant omnes Ecclesiæ doctores, & in his ii quoq; qui nec linguarum peritia, nec communi sensu caruerunt. Hæc Erasmus, qui continuò post hęc verba varias obscuritatis causas manifestat. Si scriptura sacra multis in locis est obscura, non igitur expedit illam in linguam vulgarem transferri, vt populo rudi & temerario legenda tradatur, qui illam pro suo arbitrio interpretetur, & sic necessario intelligendam esse contendat. Rursum doctissimi viri saepe circa scripturæ sacræ interpretationē errarunt, vt illorū tam multæ inter se dissonantiae apertissime conuincunt. Nam cū illi circa scripturæ intelligentiā pugnantes saepe & irreconciliables ferant sententias, eorum alterum errare est necesse. Si illi doctissimi viri, quos Deus introduxit in cellaria sua, post longam, & diuturnam examinationem, post feruentem, & prolixam orationem errauerunt in multis, qui fieri potest, vt vulgus īdoctum carni & sanguini deditum, multisque saepe vitiis mancipatum, sine vlla examinatione passim non erret in mille. Si tam facile potest vulgaris homo, & idiota errare in interpretatione sacræ scripture & ex falsa illius intelligentia (vt ex testimoniis Hilarii, & Augustini supra citatis constat) hęreses oriuntur, apertissime conuincitur, translationē sacræ scripture in lin-

guam vulgarem maximam præbere idiotis hominibus
hæresum occasionem. Nam illi legentes, quæ minime in-
telligere possunt, pro suo arbitratu, & non iuxta regulas
sanctorum doctorum, quod nunquā legerunt, scripturā
sacram interpretabuntur, & sic in mille incident errores.
Et pro hac re plura, q̄ vellemus, habemus exempla mul-
tarum videlicet hæresum, quæ ab hominibus idiotis fu-
scitatæ sunt, propterea q̄ sacras literas translatas in lin-
guam vulgarem legerunt, & non intellexerunt. Ex qui-
bus aliquas in medium proferam, quarum testimonia sa-
tis erunt ad rē hanc cōprobandam. Albigenses hæretici
surrexerunt olim tempore Innocentii Papæ huius nomi-
nis tertii, multis & nefandis impliciti erroribus. Sunt
autem sic appellari: quia ex comitatu Albigensi prope
Tolosam in Gallia orti sunt, qui hos errores suscitarunt.
Hi omnes fuerunt idiotæ, & quia legebant quæ non in-
telligebant: ideo in plurimos execrandoes errores lapsi
sunt. Post istos paucis aliquot transactis annis surrexe-
runt etiā in Gallia pauperes de Lugduno, à quibus ma-
ior harum hæresum pars, quæ nunc Ecclesiam oppugnat
originem traxit. Nam Valdo illorum Princeps, à quo
nomen sortiti, Valdenses etiam dicti sunt, omnibus suis
bonis distractis paupertatem plus iusto dilexit, & quia
idiotæ erat, aliquot libros tum sacros, tum etiam ex aliis
in linguam vulgarem sibi fecit transferri, quos legens,
& non intelligens in pestilentissimos lapsus est errores:
quos postea Vuiclefitæ, & deinde Husitæ tutati sunt, &
nunc tandem Lutherani tutantur. Post istos eodem se-
culo Begardi, & Beguinæ homines omnes idiotæ, orti
sunt, quorum octo hæreses in cōcilio Viennensi sub Cle-
mente quinto damnatae sunt. Deinde successere in Bohe-
mia Thaboritarū, & Oribitarū, & Adamirarum hæreses
pernitiosissimæ, quarum omnium historiā enarrat Aeneas
Sylvius in lib. de origine Bohemorū, dicitq; illarum
autores, & tutores fuisse homines idioras, quanquā non
dicit illos habuisse literas sacras in lingua vulgarē trans-
latas, tamen verisimile est illas habuisse, quoniā alias nō
patet via quomodo homines idiotæ illas suscipere potu-
issent, aut quomodo illas iā ortas, tot homines suscep-
sent. Tandem Lutheranorū hæresis, & si non fuerit ab hac
causa

causa orta, constat tamē per illam fuisse dilatatam, & vi-
 res maiores, vt populūm perderet, inde sumptuſſe. Nā po-
 pulus legens in sacris codicibus Germanicæ linguae redi-
 ditis, ea testimonia, quibus Lutherus suas hærefes proba-
 re cōtendit, facile persuasus est, vt Luthero consentiret.
 Deinde, ex consona omniū sacrorum docto:ū sententia
 docemur, nō esse populo rudi tradenda ea mysteria alta,
 & profunda, quæ ille intelligere nō potest, ne hac occasi-
 one labatur in errore: sed iuxta capacitatē audientium
 temperandum esse sermonem. Nam Paulus Corinthiis 1. Cor. 3.
 scribens ait: Et ego frātres non potui vobis loqui quasi
 spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquā parvulis in
 Christo lac vobis in potum dedi nō escam. Non dū enim
 poteratis, sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim car-
 nales estis. Quæ verba interpretans Anselmus in cōmen-
 tariis super epistolas Pauli ait: Non enim audientiū an-
 si sunt vltra vites tradendi: sed alia quæc & eminētia
 debent multis auditoribus cōtegi, & vix paucis aperiri,
 & in cohabitantibus quidē, vel infirmis non alta, & my-
 stica: sed quædam quæ capere possint, prædicanda sunt,
 perfectis vero profunda, & mystica sunt dicenda. Hæc
 Anselmus. Et B. Chrysostomilia. Anselmæ 51. super Matth. ait:
 Sicut infantibus esca mutatur secundum æratem, sic in
 populo secundum virtutē doctrina temperatur. Hæc ille
 Et Origenes homilia. Chryso- 27. super lib. Nume. ait: Sicut in nu-
 trimentis corporis multas paulo ante dedimus differēti-
 as, ita & natura rationabilis, quæ ratione, & verbo Dei
 (vt diximus) pascitur, non omnis uno, atq; eodem nutri-
 tur. Vnde ad similitudinem corporalis exempli est ali-
 quibus in verbo Dei cibus lactis apertior scilicet, & simi-
 plior doctrina, vt de moralibus esse solet, quæ præberi
 consuevit iis, qui initia habent in diuinis studiis, & pri-
 ma eruditiois rationabilis rudimenta suscipiunt. Hæc
 Orige. Idem etiā docet multo apertius, atq; vberius B
 Gregorius in moralibus exponens illud Job: Qui ligat
 aquas in nubibus suis, vt nō erumpant pariter deorsum,
 Quæ Gregorii verba, quia superius ca. 3. huius li. à nobis
 citata sunt: ideo nūc repetere nō fuit opus. Ex his oībus
 testimoniorū colligimus populo rudi non esse alta, & pro-
 funda mysteria prædicāda, quæ ille intelligere nō potest.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Et inde apertissime conuincitur sacram scripturam non esse populo rudi, vt ab eo legatur tradendam. Nihil enim refert verbo, an scripto aliquid tradatur: si neutro modo illud intelligere valet. Si populo rudi nō est tradendum verbum id, quod auditum intelligere nō poterit: consequens est, vt eidem populo non sit scriptura illa sacra tradenda, quam certum est illum intelligere non posse. Et certe hæc collectio, & argumentatio adeò (mea sententia) vrget, vt non sit, quod vere illi responderi possit. Nullum enim potest inter verbum, & scripturam dari verum, & euīdens discrimen, per quod innotescat, malum esse, vt verbum obscurum & difficile intellectu populo prædicetur, & econtrario bonum esse, vt scriptura obscura, & intellectu difficillima eidē populo legenda tradatur. Et hæc ratio ipsosmet Lectores coget, vt si idiotæ sunt, abstineant à lectione illorum librorum sacræ scripturæ, quos intelligere non possunt. Nam hoc ipsum si recte illi intelligere volunt, illis præcipit b. Petrus dicens, vt rebus intellectu facillimis sint contenti. Sicut

2. Pet. 2. modo geniti infantes (inquit ille) rationales, & sine dolore lac concupiscite: vt in eo crescatis in salute. Nomine lactis claram & intellectu facilem doctrinam siue illa verbo, siue per scripturam tradatur, significauit, & hanc solam concupiscere, rudibus, & incipientibus præcepit Petrus, vt per illam crescere possint ad salutem. Ut enim doctrina aliqua nomine lactis significetur, nihil refert, an illa scripta sit, an prolata: sed hoc solum considerandum est, an illa sit facilis, an difficilis intellectu. Sacra igitur scripura in illis locis, vbi difficulter intelligitur, non lac, sed solidus cibus censeri debet, & inde sequitur, vt idiotæ, qui illam legere contendunt, contra præceptū B. Petri agant, qui præcipit illis, vt sint lacte contenti, & fortiores nō appetant cibos. Nam dicens illis, vt lac concupiscant, hoc ipso videtur illis præcipere, vt ab aliis solidis cibis abstineant, quoniā (vt Paulus ait) omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae, parvulus enim est. Perfectorum autē est solidus cibus eorum, qui pro habitu, & consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionē boni, & mali. Quæ Pauli verba de lectio-

Hebr. 5. ne librorū sacræ scripturæ esse intelligenda, docet Theophylactus

phylactus, qui illa in commentariis super Paulum exposans hæc ait: Ut enim est moribus quisque & habitu stabilitus, sic & animi sensus habet in sacris literis exercitatos, ita, ut dogmatum celsitudinem queat, & humilitatem discernere, & sana a corruptis dijudicare. Non enim de vita hoc loco disserit. Nam bona discernere quisque valet, nos uitq; malam esse nequitiam, probam vero virtutem. Aduerte autem quemadmodum exercitatione, & experientia scripturarum sit opus, si nobis, quæ haeresim sapiant, & quæ minus, sunt differenda. Neque enim omnibus adhibendæ sunt aures, gutturi enim cibos degustat: anima vero probat sermones. Hæc Theophylac. Est adhuc aliud in verbis Petri consideratione dignum, vbi causam reddens, propter quam imperfecti, & infirmi debent sicut modo geniti infantes lac concupiscere. Ut in eo crescat (inquit ille) in salutē. Quibus verbis aperte innuit, solidum cibum non in salutem: sed in aegritudine modo genitis infantibus dari. Ex quibus aperte conuincitur eos, qui sacrā scripturam in lingua vulgarem translatam populo rudi legendā tradunt, non propicere saluti animalium populi: sed illarum potius cgritudinem procurare. Quia tradunt illis cibum, qui illarum exuperat vires. Accedit ad hæc omnia, quedam ecclesiæ prohibitio qua laicis hominibus interdicitur ne de fide Catholica quomodolibet disputare audeat. Nam in cap. Quicunq; paragra. inhibetur. de haeret. lib. & Alexader Papa sub excōmunicatio:nis pena prohibet omnibus laicis personis ne publice, aut priuatim de fide Catholica disputare audeat. Et metu to quidem hoc inhibuit summus Pontifex: quia perpendit quanti periculi res sit talē disputationem laicis personis sine ullo discrimine permettere. Nam licet sint aliqui laici viri docti, qui bene, & sine fidei periculo possint cum hereticis disputatione iura tamē, & decreta nunquam de his, quæ raro contingunt: sed semper de his quæ frequentius eveniunt, disponunt. Raro autem contingit, ut virti laici sint de altioribus fidei mysteriis plene edocti & ad disputationem de illis diserti, & ideo ne laici indocti in disputatione succumbentes sibi ruinę occasionem assumerent, aut aliis audientibus preberent: merito illis omnibus fuit talis disputatione interdicta. Ut autem hoc tā sanctum, & pium de-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

cretum id, quod infedit efficere valeat, opus est, ut à laicis
idiotis sacra auferatur scriptura, ne eā legētes, de secretis
ribus fidei mysteriis, cum magno religionis periculo co-
rū quilibet audeat disputare. Qui enim aliquid suis sub-
ditis prohibet, nisi illis laqueū parae velit, oportet, ut id
& iā prohibeat, quod magnā præbet agendi prohibitum
occasione. Quanta autē laicis indoctis disputādi de fi-
de præstetur occasio, cum illis in lingua vulgarem trans-
lata traditur sacra scriptura, ipsa rerū experientia apertis-
fime docet. Nā in illis prouinciis, in quibus sacra scriptu-
ra in lingua vulgarem trāslata passim omnibus laicis le-
genda cōceditur, ut sunt Gallia, Germania, Italia non so-
lum indoctissimi viri: sed etiā sc̄minē passim de fide Ca-
tholica disputāt & cum doctissimis viris de secretioribus
fidei mysteriis cōtendere nō verētur. Quā peruersitatē
summopere reprehēdit Hieron. in epist. ad Paulinū quæ
est de oībus sacre scripturæ lib. sic dicens: Quod medico-
rum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola

Hieron. scripturāiū ars est, quā sibi passim omnes vendicāt. Scribi-
mus indocti, docti q̄ poemata passim. Hāc garrula annus,
hanc delirus senex, hāc sophista verbosus, hanc vniuersi
presumunt, lacerāt, docent antequā discant. Alij adducto
superclio grandia verba trutinātes, inter mulierculas de
sacris literis philosophantur. Alij discunt, proh pudor, a
sc̄minis, quod viros doceat. Et ne parvum hoc sit, quadam
facilitate verborum: imò audacia edisserāt aliis quod ipsi
non intelligunt. Hæc ille. Et certè id, quod Hierony. suo
tempore fieri testatur, & dolet, in multis prouinciis (vt dī
ximus) nunc fieri videmus. Qui abusus nisi citissime ab
illis prouinciis tollatur non dubito, quin ille magnum
fidei Catholice dispendium sit præfatis prouinciis alla-
turus, præcessim cum iam tam magna huius rei initia in
his prouinciis videamus, vt iam quam oriri videamus id
malum, quod nunc prædiximus: & timemus. Est adhuc
alia urgentissima ratio quæ ecclesiæ præsules cogere de-
beret: ut translationem sacre scripturæ in linguam vul-
garem nullo modo facere, aut iā factam euulgari permit-
terent, ipsius videlicet sacre scripturæ reverentia, & æsti-
matio, quam quotidie minui si passim omnibus legenda
tradatur, nemo est, qui dubitet. Nihil enim est, quod ma-
gis ali-

q̄d alicuius rei pretium, & aestimationem augeat, quam illius raritas, & occultatio, & nihil econtrario magis illa omnia minuit, quam eiusdem ei multitudo, & nimia illius manifestatio. Et hæc est causa (vt omnes sacri do-
ctores docent) propter quam Deus veteris legis cerimo-
nialia mysteria occulta populo esse voluit, & non passim omnibus manifestari, ne ex facili eorum conspectu om-
nibus vilescerent. Nam ea, quæ in tabernaculo fœderis erant, cum castra mouebantur, ab Aaron, & ab his, qui in tabernaculo seruiebant, inuoluebantur, nec videban-
tur à populo, nec ab his etiam, qui in propriis humeris deferebant. Obuelandi necessitas tunc est at non modi-
ca, metus videlicet mortis. Si tanta reverentia tunc est adhibita vmbrae, multò magis eam decet exhibere cor-
pori, vt sacra scriptura, in qua multò apertius, quam illis ceremoniis nostræ fidei secretiora mysteria continentur,
non passim toti populo legenda tradatur. Alioqui ipsa scriptura, quæ esset in maximo pretio ab omnibus ha-
benda, cito erit in contemptum, & vilipendium. Propter hanc causam Greg. septimus huius nominis P̄tifex scri-
bens Vratislao Bohemorum duci (tunc enim Bohemia non Regē, vt nunc sed Dux habebat) in quadā episto-
la, quæ est in lib. 6. epistolarum suarū, noluit illi cōcedere,
vt diuinum officium posset in lingua sclauonica celebra-
ri. Sic enim post aliqua præfatus Grego. in illa epistola ait: *Quia verò nobilitas tua postulavit, quo secundum Sclauonicam linguā apud vos diuinū celebrare annuere mus officium, scias nos huic petitioni tuę nequaquam posse fauere.* Ex hoc nempe s̄æpe voluentibus liquet, non im-
merito sacram scripturā omnipotente Deo placuisse qui-
busdam locis esse occultā, ne si ad liquidum cunctis pate-
ret, fortè vilesceret, & subiaceret despectui, aut praeve in-
tellecta à mediocribus in errorem induceret. Neq; enim ad excusationē iuuat, quod quidā religiosi viri hoc, quod simpliciter populus querit, patienter tulerunt, seu incor-
rectum dimiserunt, cum primitiua ecclesia multa dissi-
mulauerit, quæ à sanctis patribus postmodum firmata charitate, & religione crescente subtili examinatione correcta sunt. Vnde ne id fiat, quod à vestris impruden-
ter exposcitur, autoritate beati Petri inhibemus. teq; ad

Num. 4.

Gregorius
septimus,

honorē omnipotentis Dei huic vanæ temeretati viribus
 omnibus resistere præcipimus. Haec tenus Greg. 7. Qui &
 si de officio diuino tātummodo loquatur expresse, idē ta-
 men de aliis scripturis diuinis esse dicendum, satis innuit
 aperte. Et certè necessarium est, vt idē sit de ut: oq; dicen-
 dum: quoniam major pars eorum, quæ in diuino officio di-
 cuntur ex sacris codicibus sumpta est, reliqua autē, quæ in
 de nō sumuntur, & si sancta sint, & debite reuerēda, non
 sunt tamen maiori reuerentia habenda, quā illa, quæ à sa-
 cra scriptura assumpta sunt. Et inde apertissime conuinci-
 tur, vt si sacra scripture in lingua vulgarem sit transferen-
 da, eadem etiā ratione officiū diuinum sit in lingua vul-
 gari celebrādum. Et si hoc de officio diuino denegatur:
 prout Grgo. septimus denegat, consequens est vt idem
 etiam sit de sacra scripture denegandum. Quoniam non
 minoris aestimationis & prij est sacra scripture quām ea
 omnia quæ in officio diuino dicuntur, & ideo nō minor
 sacræ scripture quām officio diuino est reuerentia exhi-
 benda, vt non in ea lingua tradatur in qua passim possit
 ab omnibus sine ullo discrimine legi. Et certè valde timē-
 dum est ne si sacra scripture in linguam vulgarem trāsla-
 ta populo rudi tradatur legenda, populus inde insolē-
 tior factus perat missam & reliqua officia diuina: in lin-
 gua vulgari celebrari, prout nunc apud Lutheranos in
 Germania fieri scimus. Quod si eis concederetur, in ma-
 gnū cederet, haud dubie, totius Christianæ religionis
 contemptum. Præterea, Innocentius Pontifex huius no-
 minis tertius in quadam epistola quam scripsit vniuersis
 Christi fidelibus tam in vrbe Merensi quām eius diœcesi
 constitutis, qui scripturam sacram in Gallicum sermo-
 nem sibi transferri fecerant, & ob hanc causam conuenti-
 cula occulta faciebant, in quibus homines vulgares eam
 interpretabantur & docebant, postquam illos de prefatis
 occultis conuenticulis reprehendit, & aliqua scripture
 Innocen-
 tius. sacræ aperta & clara illis permittit, hæc quæ sequuntur
 ait: Arcana verò fidei sacramenta non sunt passim omni-
 bus exponenda, cum non passim ab omnibus possint in-
 telligi: sed eis tantum qui ea fidi possunt cōcipere intel-
 lectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus:
 Quasi paruulis in Christo lac potū dedī vobis nō escam.
 Maiorum

Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat. Sapientiam loquimur inter perfectos: inter vos autem nihil iudicavi me scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Tanta est enim diuinæ scripturæ profunditas, ut non solum simplices & illiterati sed etiam prudentes & docti non plenè sufficient ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit scriptura. *Quia* multi defecerunt scrutates scrutinium. Vnde recte fuit olim in lege diuina statutum, ut bestia quæ montem teigisset, lapidatur, ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad sublimitatem sacræ scripturæ pertingere, vel eam aliis prædicare. Scriptū est enim: Altiora te ne quaesieris. Propter quod dicit Apostolus: Non plus sapere quam oporet sapere: sed sapere ad sobrietatem. Hactenus Innocentius tertius. Qui apertissime docet non esse laicis & idiotis plus de scriptura sacra tradendum quam illi possint intelligere. Denique cum Erasmus Roterodamus contrarium huic sententiæ sèpè docuisse, facultas Theologæ vniuersitatis Parisiensis illum in hac parte errasse per publicas censuras declarauit. Erasmus siquidem in quadam præfatione super Matthæum dicit haec verba: Sacras litteras cupiam in omnes verti linguas. De qua assertione vniuersitas Parisiensis suam dedit censurā per hęc verba. Quanvis in quamcunq; linguam vertantur facie literæ suapte natura sanctæ sint & bonæ, quanti tamen sit periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgarem traductarum absq; villa explicatione idiotis & simplicibus eis abutentibus, nec eas pīc & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, fatis indicarunt Valdenses, Albigenses, Turrelupini, qui inde occasione sumpta multos errores disseminauerunt. Quare hac tempestate, perspecta hominum malitia, periculosa ac perniciosa existit huiusmodi traductio, loquendo de omnibus scripturæ libris indifferenter. Nec sicubi paucis esset utilis, propterea temerē esset omnibus permittenda. In remanq; ad salutem non necessaria, potius consulendum est multorum profectui ipsam interdicendo, quam paucorum utilitati eam permittendo cum graui multitudinis incommodo. Vnde & iure damnata est huiusmodi translatio. Hactenus censura Parisiensis: Deinde in eadem

Eccle. 3.
Rom. 12.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

præfatione in Matihæum, hanc addidit propositionem Erasmus. Exclamant indignum facinus, si mulier vel co-
niarius loquatur de sacris literis. De hac etiam propositione suam dedit censuram vniuersitas Parisiensis, sic dices: Recte perspensa multorum huius temporis impudenti te-
meritate, indignum facinus existimadum est, quod idio-
ta & simplices suo iudicio sacras literas legant in suam
linguam conuersas, & de illis dissident, aut disceptantes
de earum facultatibus tractent. Nec tamē prohibetur per
hoc eis conferre inter se de iis quæ in concionibus publi-
cis audierūt ad morum correctionem, & ad compunctio-
nis & deuotionis excitationem: ut magis ac magis in ip-
sis charitas accrescat, humilitas solidetur, atq; opera car-
nis mortificetur. Haec tenus censura vniuersitatis Parisien-
sis. Scio tamen nonnullos esse qui sibi plus iusto arrogan-
tes, has Parisienses censuras subsannent dicentes, articuli
Parisienses non transeunt montes. Quibus verbis hoc
dicere volunt se nō esse addictos censuræ Parisiensi, quin
liberum sit illis aliter quam illi censuerūt sentire. Fateor
quidem nos non iurasse in verba vniuersitatis Parisiensis
atq; sub gehennæ p̄na ad suscipienda illius decreta mi-
nime esse obligatos: hoc tamen nō diffiteor, quod etiam
nullus sanæ mentis negare poterit, multo pluris æstiman-
dam esse illius vniuersitatis sententiam ad quam ferè cen-
tum conuenerere sacrae Theologiae doctores, qui rem ple-
nè (vt decebat) longa & exacta discussione examinatūt,
quam alterius cuiusvis doctissimi hominis de eadem re
iudicium. Et ob hanc causam prudentius quenq; factu-
rum censeo, illorum in hac parte amplecti sententiam
quam tot vñis doctissimis spretis, suæ tātum velle innitit
prudentia.

RESPONDE TVR OBJECTIONIBVS,
quæ fiunt ab iis qui contendunt sacram scriptu-
ram esse in linguam vulgarem transfe-
rendam. Cap. VII.

Quia sententiam aliquam tutari, & illam firme ve-
ritatis robore constantem esse, aliis palam facere
cupit non satis est illi rationes aliquot, quibus illam per-
suadeat, proferre: sed opus est vt etiam iis, quæ contra illam
obiiciuntur, respondeat. Qnod si recte (vt oportet)
fecerit,

fecerit, tanto fortius veritatem sententiæ, quam tuetur,
 confirmabit quanto ea quæ cōtra illam obiciuntur, nul-
 lius prosus roboris esse apertius ostenderit. Vix enim est
 aliqua tam certa & aperta veritas de his quæ ad fidem
 aut mores spectant, cui hostes desint, qui illam multis va-
 riisque argumentationibus oppugnare conentur. Nam
 pater ille mendacij, qui (ut saluator noster ait) in verita-
 te non stetit: sed ab humanæ conditionis initio mendax
 fuit, tam exosam habuit veritatem, & bello irreconcilia-
 bili adeò illam insectatur, ut semper milites contra illam
 perquirat & variis illos argumentationibus armet, qui-
 bus illi veritatem oppugnare possint. Hoc enim, & aliis
 in rebus & in hac de qua in præcedenti capitulo disserui-
 mus, ipsa experientia docente, verum esse cognoscimus.
 Nam & si re ipsa compertum sit malum esse sacram scri-
 pturam in linguam vulgarem transferri, vt à populo ru-
 di possit sine ullo discrimine legi, non desunt rāmen etiā
 Christiani & Catholici viri qui hoc bonum esse conten-
 dant, & varias pro hac re proferant rationes, quibus Lu-
 theri, Erasmique in hac parte sententiam persuadere co-
 nentur. Quibus omnibus sigillatim respondere decreui
 vt ostensa illarum omnium debilitate, vel inde nostræ
 sententiæ veritas clarior & firmior appareat. Primo qui-
 dam obiciunt nobis defectum pabuli spiritualis, hoc est
 verbi Dei quem totus populus Christianus non sine ma-
 gno suo incommodo patitur. Nam pastores animatum
 quibus Deus præcepit vt oves suas scientia & doctrina
 pascant, aut docere nesciunt, aut id facere negligunt.
 Cūn igitur pastores tam desides sint, vt oves, hoc est, ani-
 mas, suæ curæ commissas verbo Dei pascere cōtemnunt,
 necessarium aut saltē expediens esse videtur aliquibus,
 sacram scripturam in lingua vulgarem traductā populo
 præberi, vt in ea populus legēs cibum animæ suæ capiat,
 ne ille inedia pereat, aut summe periclitetur. Huic obie-
 ctioni nos respōdemus fatentes pessimam esse pastorum
 in hac parte negligentiam qui oves, hoc est, animas illis
 commissas tam segniter curant, vt balantes & pabulū ver-
 bi Dei petentes negligant: & quāuis illas fame perire in-
 teligant, nequaquam illarum miserae necessitati compa-
 tiantur. Nam & hanc pastorum desidiam supra cap. quarto
 huius

Ioan. 8.

huius libri ostendimus : & quantum in nobis fuit super illarum miseria doluimus . Huic igitur tantæ verbi Dei penuria subuenire oportet, non tamen ideo dandus est omnibus omnis cibus: sed ille solus qui est cuique necessarius, & qui nullum poterit sumenti damnum inferre: sed potius contra poterit illum ad vitam spiritualē nutriendam & fouendam iuuare. Nam (ut ex his, quæ proximè præce. cap. ex Origene & Chrysostomo & Anselmo citauimus, constat) iuxta qualitatem eorum qui sunt docendi, temperanda est doctrina siue illa verbo siue scripto tradatur. Sicut enim infanti quantumlibet esurienti nō est tradendus cibus durus quem ille cōminuere non possit, aut fortis quæ virtute sua digerere nō valeat, ita non sunt auditores aut lectors supra vires instruendi: sed illa tātum sunt illis tradenda quæ capere & intelligere possunt. Ob quam causam ego bonum esse existimo, vt in qualibet orbis Christiani prouincia aliquis haberetur in lingua vulgari illius prouinciae cathecisimus , qui breui quadam & aperta methodo optimè explicaret omnia quæ ad fidem Catholicam & mores Christianos pertinent, vt inde populus vel lectione sua disceret ea quæ sunt illi ad vitam æternam assequendā necessaria. Nec indignū facinus esse censerem, si etiam populo in lingua vulgari traderentur illæ Euangeliorum partes quæ per anni circulum dominicis diebus & aliis festis sancta mater ecclesia in missarū sacrificiis dicenda proponit. Hac tamen conditione, hoc licitum esse puto, vt Euangeliorum illorum in linguam vulgarem translatio sit prius per viros doctos & Catholicos recte (ut decet) ad ultimum usq; verbū examinata, ne ex prava traductiōne aliquis possit legentibus subrepere error. Nam multos scio in variis prouinciis seminatos errores ex literis sacris perperam & infideliter in linguam vulgarem versis. Deinde hæc ipsa Euangelia non sunt illis nuda tradenda : sed adhibere illis oportet aliquid breuem & claram expositionem, quæ nodos Euangeliorum siqui occurrerint dissoluat, & locos obscuros si deliter & apertissime explicit, vt omnis dubitatio quæ idiotæ lectori ex litera suboriri possit, per illā expositionem tollatur. In rebus apertis & quæ ad mores cōducere possunt, prout libuerit spatietur & excurrat: in rebus ve-

¶ difficultibus & minimè necessariis breuiter & succinctè agat. Et hæc satis erunt, ut populus inde pauci posse, & scire ea, quæ ad vitam æternam assequendam sunt necessaria. De epistolis vero Pauli apostoli non idem mihi licet videtur: quoniam (ut beatus Petrus ait) multa sunt in illis intellectu difficultia. De Apocalypsi vero Ioannis apostoli, non video quo pacto posse in lingua vulgaris garem translata populo tradi, quum viri doctissimi circa illius intelligentiam sçpè ob illius occulta mysteria hallucinentur. Testamentum autem vetus constantissime asserto non esse in linguam vulgarem transferendum ut populo rudi legendum tradatur: quia hæc ipsa traditio nulli populi necessitatibus sed soli illius curiositati deseruire potest. Nam ea quæ ad fidem & mores spectant, & ad beatitudinem adipiscendam sunt necessaria, multò apertius & vberius sunt in nouo testamento expressa quam in veteri, reliqua vero quæ ad iudicia & ceremonias in illa veteri lege pertinebant, omnia sunt per Christi mortem abrogata. Quo fit ut veteris testamenti lectio populo rudi & idiotæ ad nullam posse seruire necessitatem: sed ad solam curiositatem. Ex qua lectione cum multarum possit populus heresum occasionem sumere, legens id quod minimè intelligere valet, meritò dicimus hanc ipsam veteris testamenti lectionem non esse populo rudi permittendam præsertim cum non sit illi ad vitam æternam assequendam necessaria.

Secundò sic argumentantur ut probent sacras literas in linguam vulgarem esse tradendas. Sacra scriptura toti populo prædicatur, pari igitur ratione poterit illi tradi legenda. Nam parum refert an verbo an scripto illa populo tradatur. Huic argumentationi facillimè respondere quisque poterit per ea quæ in responsione ad proximè precedentem obiectionem diximus. Et, ut clarius patet quæ parum hæc argumentatio urget, in eos ipsos, qui illam contra nos mouent, retorquere illam decreui. Scriptura sacra pro ea tantu parte licite potest in lingua vulgarem transferri, ut populo legenda tradatur, quæ licite posset eidem populo verbo prædicari. Non sunt autem omnia, quæ in sacra scriptura continentur, populo rudi prædicanda, ut testimoniis, Originis, Chrysostomi, Gregorii, Anselmi

selmi precedenti capitulo probauimus. Inde ergo euidentissime colligitur non omnia quæ in sacra scriptura continentur, esse in linguam vulgarem transferenda, ut populo rudi sine vlo discrimine legenda tradantur.

Tertio nobis obiiciunt sacrarum literarum bonitatē, quæ (vt illi sentiunt) aperte conuincit literas ipsas nō esse populo denegandas. Intusū enim est (vt illi aiunt) ea quæ bona sunt in vniuersum populo denegare. Huic obiectio ni nos respondeamus multa esse, quæ absolute & in se considerata bona & utilia sunt. quæ tamen ad vnum aliquem particularem relata, illi nō bona; sed mala, non cōmoda; sed incomoda esse noscuntur. Bonum quidem est homicidas, sicarios, adulteros, fures, maleficos, & reliquos id genus homines punire. At homini priuato qui gladij potestatem non habet, non est bonum huiusmodi homines, quāuis sceleratissimos, punire. Homo enim priuatus non est Dei minister vindex in iram, ei qui malum agit: & ideo nec occidendi nec alio modo puniendi potestatiē

Rom. 13. habet. Omnis enim potestas (vt ait Paulus) à Deo est, unde sequitur vt potestas quæ à deo non est, tyrannis potius quam potestas dicenda sit. Priuato igitur homini & hac potestate carenti, qui sceleratum hominem puniet, merito dici posset id quod Paulus ait: Tu quis es qui iudicas seruum alienum? Multi etiā sunt cibī optimi & corporis naturae maximē conuenientes, vt sunt capones, perdices, vituli, hœdi, arietes, qui tamen infantibus nondū ablactatis boni non sunt, propterea quod virtus puerū tenuis illos concoquere non valet. Bonus quidem est gladius

Rom. 14. propter multas bonas operationes suas quibus humanæ seruit naturæ, præsertim in diuisione ea ī rerum quibus homo vesci solet, quæ sine gladio vix diuidi possunt, vt sint esui apia. Est etiā gladius ad punitionem malorū bonus. Nam ob hanc causam dicit Paulus nō sine causa gladium portat. Non tamen est huiusmodi gladius pueris

Rom. 13. bonus, propterea quod illi nescientes illo vti, sibi ipsi facile nocere possunt: nec est etiam dementibus & furiosis bonus, quia illi furia agitati mulris per gladium mortem inferre possunt. Ad hunc modū de sacris literis dicēdum esse censeo. Nam & si illę in quancunq; lingua vertantur, bonæ & sancte sint, hominibus tamen idiotis, & rudibus

& qui malis moribus sunt imbuti, bonæ non sunt, quia cum multa in illis sint intellectu difficillima, certum est illas non posse à talibus hominibus intelligi: sed quisque illorum iuxta id quod diligit, intellectu obedienti vo luntati, sacras interpretabitur scripturas, & iuxta illum sensum intelligendas esse pertinacissimè cōtendet. Sicut gladius in manu pueri aut furiosi, ita sacræ literæ in manibus hominis idiotæ præsertim male morigerati mihi esse videntur.

Quarto loco nobis obiiciunt multorum honorum minimum profectum, qui sacras literas in lingua vulgarem versas legentes, non modicam inde utilitatem hauserūr, quotidie in melius per illas ad salutem animæ proficien tes. Quod quum re ipsa compertum sit, inde colligere volunt, ut propter illos qui scripturis sacris abutūtur, bonis & humilibus qui ex illis proficere possent, non sint illæ prorsus denegandæ: sed potius econtrario ne tollatur honorum profectus, expediret eas omnibus concedere.

Hæc argumentatio, nullius prorsus est roboris, & ex me ra procedit ignorantia. Nam ut argumentatio illa alicuius esset momenti, hoc oportebat prius assumere, quod in omnibus rebus sine ullo prorsus illarum discrimine semper aliquorum paucorum profectus sit potius inspiciendus, quā ut evitet aliorum multorum incommodum. Alioquin enim si hæc vniuersalis propositio ab illa argumentatione tollatur, nihil per illam colligi poterit. Hæc autem vniuersalis propositio quantū à veritate absit, nemo est qui non videat. Quoniā & si res ad salutē animæ necessarias nullus omittere debeat, ut evitet per hoc aliorum multorum damnū, tamen ex concordi omniū Theologorum sententia, res quæ ad salutem animæ non sunt necessarie, quisq; tenetur omittere ut per hoc evitet dampnum spirituale quod illæ aliis inferre possent. Nam Alexander de Ales in secunda parte suæ summæ theologicæ quæst. 189. membro. 6. dicit omnem hominem esse obligatum ad diuītendum quancunq; rem quantumlibet bonam si non est ad salutem animæ suæ necessaria, ut evitet scandalum quod proueniet in proximo ex illius infirmitate, aut ignorantia. Idem docet beatus Thomas secunda secundæ quæstione quadragesimæ articulo septimo.

Eidem

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Eidem sententiæ subscriptit Richardus de media villa in
quarto sententiarum dist. 38. ar. 10. Videamus igitur an sit
cuicunq; vulgari & priuato homini res ad salutē animæ
eius necessaria, legere sacras literas. Nullū puto esse adeò
insipientem vt hanc necesitatem omnibus imponere velit
Nam sic sentiens omnes rusticos & omnes, qui prorsus li-
teras ignorant, damnaret. Si res hęc non est sic omnibus
necessaria: ergo quilibet homo bonus, ex plebe, quanuis
magnum ex traductiōe sacrarum literarum in linguam
vulgarem profectū hauriret, tenetur velle vt faciæ literæ
in linguam vulgarem nō transferantur, & ab illarum le-
ctione abstinere, si conspicit alios multos ex illarū tran-
slatione & lectione scandalū animarum suarum sumere:
Si quisq; in re hac ad salutem animę suę nō necessaria te-
netur suum postponere profectum, vt per hoc euitet spiri-
tuale proximi nocumentum, apertè colligitur inde, vt is
cui totius populi moderatio incumbit, possit iustè imo-
teneatur impedire particularem aliquorū profectum ta-
lem traductionem in linguā vulgarem prohibēdo, vt per
talem prohibitionem euitet spirituale nocumentū, quod
multis aliis ex tali translatione prouenire posset. Deinde
cōsiderandum est etiam quod multorum commodum sem-
per est præferendum paucorum vtilitati. Constat autem
multò plures esse illos quibus translatio sacrę scripturę in
linguam vulgarem nocere potest, quam sint illi qui ex ea
proficiunt. Stultorum siquidē multo maior est numerus
quam prudentiū, & peccatorum etiam maior numerus
quam iustorum. Consequens igitur est vt potius cōsulen-
dum sit multorum commodis huiusmodi traductionem
sacrę scripturę in linguam vulgarem prohibēdo: quam
paucorum profectui eam omnibus sine ullo discrimine
cum multoruī incommodo permittendo. Et hoc optimē
annotauit Parisiensis academia in illa sua censura quā de
hac re contra Erasmi assertionem protulit, quā in fine præ-
cedentis capitulo citauimus. Nam inter alia quae in illa
censura habentur, prædicto aduersario ū argumento ta-
citè respōdet sic dicens: Nec sicubi paucis esset vtilis, pro-
pterea temerē esset omnibus permittenda. In re nanq; ad
salutem non necessaria, potius consulendū est multorum
profectui ipsam interdicēdo, quam paucoruī vtilitati eam
permit-

pēmittendo cum graui multitudinis incommodo. Vnde & iure damnata est huiusmodi translatio. Hæc ex censura Parisiensi. Quinto loco obiiciunt hæreticorum multitudinem intra ecclesiam nunc existētum qui viros Catholicos & fideles quotidie variis rationibus oppugnant, & viros simplices & idiotas diversis argumentationibus fallacissimisq; suasionibus ad se trahere nituntur. Ex quo loco hi qui partem oppositam tuentur, colligere volūt, vt saltem hoc misero tēpore in quo tanta est hæreticorū inundatio, bonū sit imō necessarium sacram scripturam in linguam vulgarem vertere, vt populus ipsas literas legens inde discat quid hæreticis respondere possit. Hæc argumentatio tam parum nos urget, vt fortius nos contra eos illam retorquere possimus his verbis. Non est bonum vt populus habeat scripturam sacram in linguam vulgarem translatā, ne in illa legens arma inde sumat quibus possit cum hæreticis de fide certare. Nam (vt proxime præcedenti capitulo diximus) huiusmodi disputatio est laicis & vulgaribus hominibus à iure interdicta in cap. Quicunq; paragrapho. Inhib. de hæret. lib. 6. Si illis disputatio de fide interdicitur, iustum est vt non permittatur illis id quod maximam poterit disputationis occasionem præbere. Ne igitur, totus sine discrimine populus cum hæreticis possit de fide certare, necessarium est vt sacra scriptura ex qua disputationis arma sumenda sunt, ab illo profus tollatur. Sexto & vltimo loco contra nos sic argumentantur. Scriptura sacra olim fuit tradita in lingua vulgari. Nam linguam Hebræam in qua testamentum vetus conditum est, omnis populus Hæbræus cui soli lex illa data est, optimè intelligebat: quoniam lingua illa erat qua totus ille populus tunc vtebatur. Lingua etiam Græca, in qua totum testamentum nouum, præter Euangeliū Matthæi & epistolam ad Hebræos scriptum est, vulgaris tunc erat, quippè quam omnes ex vulgo intelligebant. Si tunc in eis linguis sacrae literæ traditæ sunt in quibus ab omni populo possent legi & intelligi, videtur iis qui oppositam partem tuentur, inde evidenter colligi, iustum esse imō necessarium vt cuique populo in ea lingua sacræ literæ tradantur, in qua possit illas legere & intelligere. Hanc argu-

temptationem tanti faciunt nostri aduersarij, ut per illam solam de nobis se triumphare putent. Sed nos Deo adiutorie ostendemus illam nihilo plus roboris habere quam reliquæ omnes illorū argumentationes. Si hæc argumentatio aliquam vim haberet, eodem argumentationis modo probaretur non esse lege naturæ prohibitū vt aliquis sororem suam sibi matrimonio copularet. Nam quum genus humanum, à Deo conditum est, tale ab illo factum est, vt viri sorores suas in cōiuges acciperent. Cain enim sororem suam in cōiugem accepit. Si in tali statu, à Deo conditum est genus humanum in quo illi hoc nō solum licebat: sed facere fuit necessarium: ergo idem etiam nūc hominibus licebit, præsertim his qui non sunt ad leges ecclesiæ adstricti, vt sunt Pagani, & Sarraceni, & Iudæi. His enim omnia illa matrimonia sunt licita, quæ lege naturæ non sunt prohibita. Si quis autem concedat tale matrimonium fratri cum sorore esse legitimū inter Paganos, oportebit illum fateri, vt si aliquis Faganus qui cum sorore sua matrimonium contraxerat, ad fidem Catholicae conuerteretur, nō sit ab eadem sorore per matrimonij dissolutionem postea separandus. Quoniam matrimonium quod semel legitimo fecdere fuit contractū, nō potest ab ecclesia dissoluī. Nam ipse Deus hoc illi prohibuit dicens: Quos Deus coniungit, homo non separat. Ecclesia tamen, huiusmodi matrimonia ante baptismum contracta, postea baptismo suscepto dissoluenda esse censet, vt patet capi. Gaudemus, de diuortiis. In illo enim capitulo Pontifex decernit vt infideles ad fidem Catholicae cōuersi in solis illis matrimonii manere permittantur, quæ in secundo aut tertio gradu ante conuersionem suam illi contraxerant. Si quis autem querat, quare matrimonium fratri cum sorore sit nunc, omni lege humana seclusa detestabile, quod tamen olim quando Deus genus humanum instituit, fuit licitum: huic quæstiōni responderet beatus Augustinus, lib. 15. de ciuitate Dei cap. 16. sic

Mat. 19.

August.

inquiens: Cūm genus humanum post primam copulam viri facti ex puluere, & cōiuges eius ex viri latere, mariū sc̄eminarumq; coniunctione opus haberet, vt ḡnendo multiplicaretur, nec essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas cōiuges acceperint

Quod

Quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente. Et paucis interiectis, per quæ docet, alias à sororibus accipiendas esse vxores, postea subdit. Sed vnde hoc fieret tunc non erat, quando nisi fratres & sorores ex illis duobus primis, nulli homines erant. Fieri, ergo debuit quando potuit, ut existente copia vnde ducerent uxores, quæ non erant iam sorores, & noui solum illud ut fieret nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset.

Hæc Augustinus. Ad eundem modum nos etiam respondemus superiori argumentationi nobis obiectæ, pro translatione sacrae scripturæ in linguam vulgarem. Quando sacra scriptura condita fuit, in lingua vulgari fuit tradita quia non erat tunc alia lingua in populo illo in qua tradidi posset. Nam & si post constructionem turris Babylonis, linguae fuerint iuxta diuersitatem prouinciarum diuisæ, non tamen fuit in eodem populo diuersitas linguarum, ita ut altera esset vulgaris, quam totus populus intelligeret, & qua totus populus vteretur, altera esset quam soli viri docti intelligerent. Hæc enim lingua Latina, quæ nunc arte à paucis discitur (ut doctorum virorum consors tenet sententia) olim toti populo Romano erat communis, nec alia tunc populus ille vtebatur. Sed quia populus ille variis imperauit prouinciis, quibus omnibus suam curauit tradere linguam, & variæ etiæ nationes Italiam postea occuparunt: ex hârum mixtione linguarum, illa Romanæ linguae puritas & proprietas paulatim corrupti cœpit, & ex tali corruptione diuersæ emiserunt apud Latinos populos lingue: quæ omnes ab illa antiqua lingua Latina quæ olim erat populo cōmunis & nūc arte discitur, longissime distant. Idem etiam contigit populis Græcis, quibus omnibus olim notus erat ille Græcanicus sermo qui nunc arte à paucis discitur, à quo longè distat sermo ille quo nūc Græcorum populi vtuntur. Tunc igitur datum fuit testamentum nouum in lingua vulgari, quia nulla erat tunc in eodē populo linguarum distinctio, ita ut altera toti populo esset cōmunis, altera solis viris doctis esset nota. Sacram ergo scripturam trādi in lingua vulgari (vt Augustinus de matrimonio inter fratres contracto dicit) quāto est antiquius necessitate compellente,

tanto postea factum est damnabilius, experientia ipsa docente. Si quis autem obiciat Deum potuisse tunc aliam condere linguam, quæ solis viris doctis esset nota, in qua sacram traderet scripturam, ut non esset toti populo communis. Fateor Deum hoc potuisse: sed cur nos fecerit, non est nostrum inquirere. Nam alias, idem etiam posset obici contra Augustini sententiam de matrimonio fratris cum sorore, quod ille olim necessitate cogite licitum esse dixit: quum tamen illud modo dicat esse damnatum Poterat enim Deus à principio alium marem & aliā femininam procreare præter Adam & Euam, qui filios generarent, quos filiæ Adam acciperent maritos, & filias quas filii Adani acciperent uxores. Quo facto nulla fratres compelleret necessitas ut sorores suas acciperent uxores. Quis tamen de hac re Deum reprehendere audebit, aut illum interrogare cur ita fecerit? Iustius quidē est ut hū militer & reuerenter quisq[ue] fateatur ignorantiam suam,

Psal. 35.

& dicat cum propheta, iudicia Dei esse abyssum multum. Sed hac dimissa præfatæ argumentationis principalis responsione, aliter adhuc eidem argumentationi respondere decreui: ut vel inde palam omnibus fiat debilissimā esse argumentationem illam, per quam aduersarij nostri de nobis triumphare se putant. Fateor scripturam sacram in ea lingua primum conditam esse, quæ tunc erat vulgaris & materna. Ipsa tamen scriptura non omnibus patebat, ut ab omnibus sine ullo discrimine legi posset: sed soli sacerdotes & legis periti eam apud se tenebant. Nam (ut habetur in Deuteronomio) postquam scripsit Moyses verba legis in volumine atq[ue] compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcā fœderis Domini dicens: Tollite librum fœderis & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimoniu. Et certe non est credendum literas sacras esse tunc omnibus tam communes, ut modò sunt, quod vel ex eo facile concilii potest, quod in quarto libro Regum, tempore Iosiae Regis contigisse sacra narrat historia. Nam vigesimo secundo illius libri capite resertur, Helchiam sacerdotem inuenisse librum legis in domo Domini, quem per Saphan Scribam idem sacerdos misit ad Regem Iosiam. Hunc autem librum legis cum legisset Saphan coram Rege, &

Deut. 31.

audisset Rex verba libri legis Domini scidit vestimenta sua: quia videlicet libro legis auditio apertissimè conspexit nihil eorum, quæ Deus in lege sua præceperat, obseruari. Hoc autem Rex non bene intelligebat antequam liber legis inueniretur ab Helchia sacerdote: propterea quod erat liber alius, per quem Rex fidelissimus, & sanctissimus de lege Domini doceri potuisset. Si liber legis, hoc est, Pentateucus tunc esset toti populo communis: ita ut quilibet vulgaris homo illum penes se habere posset, vix contingere potuisset, vt liber legis apud omnes, etiam apud Regem periret, & nemo esset, qui illum haberet, aut de illo rationem reddere posset. Sed quia soli sacerdotes Leuitici generis, & Scribæ tota Domini legem penes se habebat, inde factum est, vt sacerdotibus, & scribis à vero Dei cultu ad idolatriam deficientibus, & legem Domini contemnentibus liber legis nullibi inueniretur: nisi in templo Domini, in eo fortè loco vbi Moy: ses illum reponi mandauerat. Epistolas Pauli, quas ad ciuitates ille scripsit, credendum est illas non toti populo: sed Episcopo soli, & clero illius ciuitatis datas esse, vt illi postea populo manifestarent ea, quæ Paulus illis per epistolas suggesterat. Hoc autem vel ex eo facile coniici potest, quod ipse Paulus in priori ad Thessalonicenses epistola, capite ultimo ait: Adiuro vos (inquit ille) per Dominum, vt epistola hæc legatur coram omnibus fratribus. Si epistola toti populo dabatur, quos ergo Paulus adiurat? Episcopum certè, & clerum, cui illa dabatur, adiurat ut illam coram omnibus fratribus, hoc est coram omnibus Christianis, qui in illo populo erant, legeretur. Verum hoc speciale fuit in hac epistola, vt coram omnibus illam legi præceperit: quoniam quæ in illa scripsit Paulus clarissima erant, & quæ ab omnibus intelligi poterat. De epistolis ad Romanos, & ad Galatas, & ad Hebreos nihil tale præcepit Paulus, vt coram omnibus legeretur: quia multa in illis difficultia erant, quæ non nisi à viris doctis intelligi poterant. Si pro certo, & indubitate habuisset Paulus epistolas suas, quas ad ciuitates mittebat, esse coram toto populo legendas, non erat opus, vt speciale de hac re daret Thessalonicensibus mandatum. Sed quia optimè ille nouerat epistolas illas, quæ ad ciuitates mit-

1. Thes. §

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tuntur, solis ciuitatum Principatibus solitas esse dari: ideo speciale de illa voluit facere mandatum, vt coiam omnibus legeretur. Deinde, & si scriptura sacra tunc per omnium manus, vt nunc, volitaret, non tamen adeo populus de illius intelligentia tunc præsumebat, vt nunc neq; tam temerè, & procaciter de illa populus disputare audebat: sed plebs à sacerdotibus docebatur iuxta id,

Mal.2. quod Dominus per Malachiam prophetam ait: Labia sa-
cerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ma-
nu eius: quia angelus Domini exercitum est. Si dubita-
tio aliqua oriebatur, sacerdotes interrogare oportebat,

Deut.17. quorum responsis omnes obedire tenebantur, iuxta preceptum Domini quod de hac re per Moysen in Deuteronomio dederat. Nunc verò procaci temeritate populus sacræ scripturæ intelligentiā sibi vendicat, & de illa cum doctissimis viris contendere non veretur. Et ob hanc causam, & si olim sacras literas toti populo traditas esse con-
staret, vt à quolibet vulgari homine sine ullo discrimine legi possent, quod ego constantissimè nego, nunc tamen aliter fieri expediret, propter impudentem populi teme-
ritatem, atque arrogantiam. Multa enim scimus olim fu-
isse licita, quæ nunc minimè expediunt, & si quis ea nunc facere tentaret, non solum, vt cunq; malus: sed impius, & infidelis censeretur. Olim enim corpus Domini dabatur cuique petenti in manus, quod quisque secum domum portabat, vt cùm ei libuisset domi sua accipere posset.

Quæ res ex libro historiæ Ecclesiastice Eusebii, cap. 33, facillimè colligi potest. Quod tamen olim licuit, hoc se-
culo facere non expediret: quia experientia docente me-
rito timetur, vt aliqui sint, qui tractent indignè, & ad ma-
gicas artes abutātur. Non igitur omnia, quæ olim licuisse constat, nunc licere, aut expedire est necesse. Non est igitur consequens, vt literæ sacræ in linguam vulgarem translatæ nunc populo legendæ tradantur, quanvis illas olim in lingua vulgari toti populo traditas esse cōstaret. Hæc sunt quæ contra nostram sententiam ab aliquibus obiici intelligo, quibus omnibus abundè satis respondi-
se me puto. Cætera verò si quæ sunt, indigna esse opinor ut illarum responsione tempus teramus, & chartas im-
pleamus.

DE VLTIMA HÆRESVM CAVSA,
quæ est assidua, & incauta in libris genti-
lium hominum lectio.

Cap. VIII.

VLTIMA se mihi iam offert (ex his, quas Principes fa-
cile tollere possunt) hæresum causa: quæ est assidua,
& indiscreta, siue incauta lectio librorum hominum gen-
tilium, præsertim si à teneris annis quis illorum lectione
studuit, & totam in illis expedit operam. Nam quod hæ-
res sit potens ad hæreses varias procreandas, inde cōstare
potest, quod quidquid ad Christianā spectat religionem
siue ad mores, siue ad credendorum fidem referatur, id to-
tum apud gentiles autores reiicitur, & deridetur. Quo-
niam si eorum aliqui virtutes doceantur, hi tamen, qui ratif-
simi apud illos sunt, ea firmissime sentiunt, & totis viribus
persuadere conantur, quæ cum fide Catholica velut ex
diametro pugnant. Et circa ipsarum virtutum, quarum
se amatores profitentur, doctrinam præstandam, hi, quos
pro miraculo ipsa gentilitas suspicunt, & quasi sapientiae
fontes venerantur, miserrimè errarunt, ea docentes, quæ iu-
xta veritatem Euangelicā ab assecutione felicitatis æter-
næ, quam illi cœcutientes quærebant, omnino auertunt.
Multi enim ex illis virtutem, & hominis ultimam felici-
tatem ex suo affectu statuerunt, id docentes esse virtutem
& felicitatem, quod ardentissimè appetebant. Nam Epic-
urus pecora imitari volens, bonorum omnium finem
dixit esse voluptatē, hac sola ratione ductus, quod illam
solam (vt ille ait) appetant belluae. Alij diuitias, alij ho-
nores, summum bonum esse dixerunt. Aristoteles, quem
tota recentium Philosophorum schola tanquam magi-
strum recepit: & si multo melius, quam illi sapuit, non pa-
rum tamē hac in parte errauit. Nam licet felicitatem ille
in cognitione constituit, hāc tamen in præsenti vita dicit
habendam, nihil alteri vitæ relinquens, in qua nullā pu-
tat esse operationem. **Qua** in re adeo errauit, vt Paulus
censeat nos miserabiliores omnibus hominibus, si in hac
tantum vita felicitatem assequi speramus. Quis enim nō
videt neminem sine miseria aliqua, aut indigentia, aut
infelicitate in hac vita vñquam vixisse, aut viuere posse?
At eum, qui miseriam patitur, aut aliquo indiget bono,

1. Cor. 12

Aristoteles pluribus in locis fatetur non esse fœlicē. Et inde de argumentationē colligentes facile Aristotelem suo ipsius gladio configemus, probantes neminem in hac vita posse esse felicē: ac proinde supremā felicitatem nō in hac vita: sed in alia esse expectandam. Sic enim argumentari possumus. Felicitatem omnes appetūt: est ergo naturalis hic appetitus, & inde sequitur talem appetitūt nō esse inanem, & frustra. Nulli autē (vt res ipsa docet) in hac vita, quā constat esse mille miseris plenā, felicitatem affequuntur: in alia igitur vira est illa speranda. Deinde multa ad felicitatem pertinere dixit, quæ ad illā minime spectat, vt sunt nobilitas, diuitiae, boni liberi, senectus commoda, & corporis bona, vt sanitas, pulchritudo, vires, proceritas, robur ad certandū, gloria, honor, prosperitas, potentia, & fortuna. Hæc autē omnia (vt sacræ nos docet literæ) à vera illa, & plena, quam speramus, felicitate longissimè absunt. Et si hic Philosophorū omnium maximus tā miserè cirea felicitatem errauit, quid de aliis multò minoribus sperandū erit? Ideo merito Salomon de Philosophis lo-

Eccle. 10. quens ait: Labor stultorum affliget eos, qui nesciūt in vrbem pergere. Quæ verba interpretas Hieronymus in cō-

Hieron. mentariis super Ecclesiastē ait: Lege Platonem: Aristote- lis reuelue versutias: Zenonē, & Carneadē diligentius intuere, & probabis verū esse, quod dicitur: Labor stultorum affliget eos. Veritatem quidē illi omni studio quæfie- runt: sed quia nō habuerunt ducē, & præium itineris, & humanis sensibus rati sunt se cōprehendere posse sapien- tiā, ad ciuitatē minimē peruererunt: de qua in Psalmo

Psal. 72. dicitur: Domine in ciuitate tua imaginē ipsorū dissipabis Omnes enim umbras, & diversas imagines, atq; personas quas sibi in variis dogmatibus induerunt: in vrbē sua do-

Psal. 45. minus dissipabit, de qua & alibi scribitur: Fluminis impe- tūs lætificat ciuitatē Dei. Hæc Hieron. Præter hunc com- munem illorū omnīū errorem, quo tā falso de felicitate disseruerūt, de virtutibus, & vitiis tractantes multos alios docuerunt errores. Nam fornicationē simplicem nullus illorū damnauit. Honores appetendos esse, & nō fugien- dos, omnes illi docuerunt. Diuitias eorū aliqui adeo esti- marunt, vt in illis felicitatē constituerent, de quibus pro-

Psal. 143. pheta Regius ait: Beatum dixerunt populu, cui hæc sunt.

Alt (ex quibus est Aristoteles) & si felicitatem in diuitiis non constituerunt, illas tamen pluris fecerunt, quam paupertatem, & plus ad virtutem professe posse, quam paupertatem dixerunt. Et credo certe inde suā hæreſim traxisse, Vigilantium, Ioannem Vuiclef, & Ioannem Hus dicentes paupertatem voluntariā nullius prorsus esse apud Deum meriti; quin tamen ipse veritatis magister Salvator noster dixerit: Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia, quæ habes, & sequere me. Alt videlicet Stoici (è quorum numero est noster Seneca, & quibus in hac parte se connumerari voluit in Paradoxis Cicero) docent omnia peccata esse paria, nec unum altero esse grauius. Sed Philosophis dimissis, qui etsi in multis errauerunt, multa tamen alia vera, & honesta de virtutibus docuerunt, ad Poetas eorum veniamus, publicos omnium virtutum hostes & omnium vitiorum acutissimos diligenter, subornatores. Vix enim ullum est vitiū, quod nō fuerit summopere à Poëtis laudatum. Quoniā nulla maior potuit dari vitiis laus, quam illa diis suis tribuere, quos oportebat esse summe bonos, & omnium virtutum parentes, & alumnos. Nam cum gesta illorum, quos populous pro diis colebat, narrant, illorum describunt tyranides, parricidia, adulteria, incestus, raptus, fraudes, mendacia, & scelera nefanda adeò ut inter honores reputent puerum Ganymedem à Ioue deorum maximo ad amplexus nefandos fuisse raptum. Illa deniq; suis diis tribuunt vitia; quæ nullus homo sapiens pateretur de se dici.

Quum autem hæc diis inesse dicunt, eo ipso hominibus persuadent, ut eadem faciant, quæ Deos fecisse audiunt. Nam exempla maiorum, multum ad persuasionem valent, ut eleganter Claudianus docet sic inquiens:

Claudiz.

Scilicet in vulgus manant exempla, regentum.

Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Si exempla hominum mouere possunt aliorū animos ad virtutia, aut virtutes luce clarius est, id posse multò facilius praefare exempla Deorum. Nec solis exemplis ad voluptates, & lascivias lectorum animos prouocant poëtæ: sed etiam verbis, quæ tanto animo affectant esse obscena, & turpia, ut poëta ab illis non censeatur, qui verba pudica habet. De qua re unum ex illis, Catullum videli-

Catullus.

cet, qui hanc tulit de carminibus poëtarum legē, profero,
 Nam castum esse dect pium poetam
 Ipsum, versiculos nihil necesse est
 Qui tum denique habent salem, & lepōrem,
 Si sunt molliculi, & parum pudici.
 Ridenda quidem est hēc Catulli sententia, & ab omni vī
 ro prudēte merito exhibāda, & explodēda. Quis non ri-
 deat castum dici poetā, qui de libidine cogitat, obscenā
 meditatur, lasciuias, & impudicitias scribit, & loquitur,
 atq; cantillat? Qualis quisq; est, talia loquitur, & scribit.
 Propter hēc malorū incitamēta, quē poetæ auditoribus,
 & lectoribus prēbēt, Plato grauisim⁹ philosoph⁹ cēsuit
 illos esse procul à bona ciuitate abigendos, ne suo cōmer-
 cio totā prorsus inficerent ciuitatē. De moribus haec tenus
 diximus illos apud gentiles scriptores esse vitiatos : sed
 opus est, ut pergamus dicere, quā male de his, quæ crede-
 re oportet, illi sentiat, & quā aperite fidē Catholicā illi op-
 pugnent. Omnia, quæ credere tenemur, duas Christi na-
 turas respiciunt, diuinā videlicet, & humānā: ea oīa gentil-
 les nō solum oppugnat, sed rident, & subsannant. Deum
 trinum, & vnuin nō agnoscunt; sed multos secumq; pug-
 nantes deos adorāt. Deum omnium creatorem nō intelli-
 guunt: quia ex nihilo nil fieri posse credunt, & ita mūdum
 sine principio fuisse, & sine fine futurū esse docent. Deum
 esse bonorum remunerat, malorumq; punitorem, ma-
 ior eorū pars ignorat, nihil post hāc vitam reliquum esse;
 sed animā simul cū corpore' perire credit. Etsi qui illorum
 animam immortale esse credūt, ea de præmiis bonorum,
 & malorum suppliciis dicunt, quæ longissime à Christia-
 na pietate absunt. Humanī generis casum, & perditionē,
 illiusq; originē: neq; vñquā cogitarunt, ac proinde illius
 reparationē per Christum saluatorē nostrum factā intel-
 ligere nō valent. Deum pro nobis ē cælo descendisse, hu-
 manāq; sumpfisse naturā, & in illa pro nobis famē, sitiū,
 dolores, variōsq; corporis cruciatus, mortem deniq; in lis-
 gno crucis pro nostris peccatis pertulisse, non solum cres-
 dunt: sed eos, qui talia docent, & prædicāt, stultos esse pus-
 tant: Prædicamus (inquit Paulus) Christum crucifixum,
 Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

Ecce totā Christianæ religionis summā à gentilibus, &
 prophætis

prophanis scriptoribus ignoratā, & à multis illorū oppugnatā, & irritam. Et inde apertissime conuincitur, astiduā illorum lectionē valde nocere posse viris Christianis præsertim incautis, & infirmis. Ideo Paulus optime cognoscens plurimū venenī esse in his prophanis scriptoribus, admonet, vt circa illorum lectionē cauti simus. Videte, inquit, ne quis vos seducat per philosophiā, & inanem fallaciam secundum traditionē hominum, secundū elementa mundi. Quæ verba interpretans Ambro. in cōmentariis super epist. Pauli ait: Philosophiā dicit terrenam, per quā solent seduci, qui cupiūt prudētes iudicari in mundo. Et aliquibus interpositis subdit: Detinetur enim verisimilius causis, & cōmentitiis rebus nihil tā verum estimans, quām cōspicitur & intelligitur in elemētis. Et quia quę ad præsens sunt & cernuntur oculis, suauia & oblectabilia vidētur, aliquantos seducunt, qui spiritualē rationem despiciendam, & ridendam putant desperatione futuri, omnem vim astris assignantes, carnali rationi obnoxij, ne grauia credēda sint sustolli in cœlum posse, neue leuia venire ad terras, aut aliquid corporeū sine rerum admixtione generari, repugnantes potentiae, ac prouidentiæ Dei. Sciunt enim legi in diuinis veteribus Hebreorū voluminebus, multa gesta per Moysen, quę humana ratio nō capiat, similī modo, & in nouis libris facta à Domino, aut per Apostolos, quę tractatus carnis prohibet credi. Hāc ergo traditionē, vel philosophiā fallacem, & inanē appellat: quia nō à potentia Dei ordinata est: sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quę potentiam Dei intra scientiam Dei coarctat, ne aliter credatur facere: quām carnis se continet ratio: quia singulis elementis diuinis tatis diuersitatem deputant ad culturam, vt obligent animos imperitorum ne se ad Detum verū extēdant. Quam ob rem cauendā monet traditionē istā: quia mundi cultrix est, nō Dei qui vñus est, nec ad Christū: sed à Christo abstrahit, in quo perfectio diuinitatis est. Hactenus Ambro. Est adhuc in libris gentiliū, & aliorū prophanorū hominū aliquid aliud falsę illorū doctrinę adiunctū, eloquētia scilicet, quę illis magnas ad nocēdū vires præstat. Nā ea, de quib⁹ differunt, nō ruditer, & impolite tractat: sed magno artificio poliūt, magna verborū elegātia exornat, adeo ut si res ipse, quas tractant, anios legētiū fortè deterreāt: ipsi

Colo. 2,

Ambro.

splen.

Splendor orationis, & verborum ornatus alicere valeat. Et inde euenit, vt doctrinæ venenum tāta verborum dulcedine permixtum, tanto facilius incautis nocere possit, quanto libētius ab illis bibetur, cum illi non quod intus lateat: sed solā exteriorem verborum dulcedinem cōsyderent. Quanta autem sit eloquentiæ vis & potestas: si quis fortè ignorat, legat Valerii Maxim. lib. 8. cap. 9. ubi multis, variisq; exemplis probat tātam esse illius potentiam, vt sāpe hominum animos quamlibet distantes ad se trahere, & duros flectere, & mollire possit. De qua re, cū multa possint proferri exempla, vnum tamen solum idq; efficacissimum offerre volo, quod narrat Cicero lib. primo Tusculanarum quæstionum, & post illum Augustinus libro. I. de Ciuitate Dei. Cap. 22. Plato in quodam libro qui dicitur Phædon eloquentissime disputat de Immortalitate animæ, probatq; illam esse immortalem. Hunc librum quum legisset Cleombrotus quidam Ambraciota, nulla molestia pressus, statim se præcipitem de muro dedit, vt ex hac vita mille miseriis plena, migraret ad aliam quam credidit esse multo meliorem. In eum extat Epigramma Callimachi Græcum, quod nescio quis in latinam linguam vertit sic dicens:

Vita vale, muro præceps delapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciota puer

Nullum in morte malum credens, sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Certè vel ex hoc exemplo facilè constare potest, quā potens sit eloquentia ad flectendos hominum animos, quæ potuit flectere hominem nulla angustia vallatum, vt sibi ipsi vltro inferret mortem, quam omnes natura horrent. Ideo Paulus hāc eloquentiæ vim, & potestatē optime agnoscens: admonet fideles, vt diligēter attendat, ne incauti ab illa decipiātur. Videte (inquit ille) ne quis vos seducat in sublimitate sermonis. Nouerat quippe Paulus illā sermonis sublimitatē esse potentissimā, ad quiduis persuadendum. Ne quis igitur causetur se per sublimitatē sermonis à Christo Salvatore nostro, aut Apostolis eius fuisse deceptum: ideo Christus salvator noster noluit doctrinā Euangelicā in multo orationis ornātu cōstituere: sed thesaurum suū (vt alibi Paulus ait) in vasis cōtilibus posuit,

Colo. 2.

2. Cor. 4.

Ut sublimitas sit virtus Dei. Hinc est, quod Christus ipse, qui est Dei sapientia, recens natus inter duo animalia positus est; & vilibus est pannis inuolutus. Ponitur Dei sapientia inter bouē & asinum: ut erudiret rudem, moneret tardum. Qui autē vilibus pannis inuolui permisit, idem etiam humilibus verbis à suis prædicati voluit. Et ideo non politos oratores, aut artificiosos rhetores, aut vehementes disputationes in Apostolos assumpsit: sed quę stulta sunt mundi (ut idem Paulus ait) elegit, ut sapiētes confunderet. Quantum posset gētilium scriptorum eloqua*tia*, viro Christiano nocere occasione sumpta ex figura veteris Testamenti, aperte declarat Origenes homilia. z. super Hieremiā, vbi exponens illud eiusdem Hieremiæ: Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, sic ait: Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, nō miscuit in vase fictili, quod parabat potari: sed neq; in paulo meliore, & æreo vase, vel stanno; & quod ista præcellit argenteo: verum eligens vas aureum, in eo poculum temperauit, ut quis videns decorum auri, dum radiantis metalis pulchritudine delectatur, & totus oculis hæret in specie, nō consideret quid intrinsecus latitet, & accipiēs calicem bibat, nesciens calicem Nabuchodonosor. Intelliges autem calicem aureum in p̄fæsenti nominatum, si animaduertas pessimorum dogmatum verba mortifera qualē habeant compositionem, qualem decorum eloquentiæ, qualem rerum diuisionem, cognosces quomodo vnuſquisq; poëtam, qui putantur apud nos disertissimi calicem aureum temperauit, & in calicem aureum venenum iniecerit idolatriæ, & venenum turpiloquij, venenum eorum, quæ anima hominis interiūnunt dogmatū. venenū falsi nomis scientiæ. Et aliquibus interpositis postea subdit: Sēpe vi di aureum calicē in pulchro sermonis ornatū, & dogmatum venena consideras deprehēdi calicē Babylonis. Ha-
stenus Origenes. Et B. Hieron. in cōmentariis super Ionā prophetam circa finem .z. cap. de eloquentia gentilium loquens hēc ait: Quid valeat apud homines seculi eloquentia, & sapientia seculi: testes sunt Demosthenes, Tulli⁹, Plato, Xenophon, Theophrastus, Aristoteles, & ceteri oratores, ac philosophi, qui velut Reges habentur hominum,

1. Cor. i.

Hiere. 5.

Origen.

Hieron.

&

DE IVSTA. HÆRET. PVNIT.

& præcepta eorum, nō vt præcepta mortalium: sed quasi oracula accipiuntur deorum. Et multis interpositis postea subdit. Vnde & de Babylone in Hieremia dicitur: Calix aureus Babylon inebrians oīnne terram. Quem nō inebriabit eloquentia secularis? cuius non animos cōpositio ne verborum, & disertitudinis suæ fulgore perstrinxit. Hæc Hiero. Ex his iam apertissime cōuineitur, vnam ex potissimis causis vnde hæreses oriuntur esse asfiduam, & incautam gentilium scriptorum lectionē. Nam si, quæ illi docent, aperte fidem Catholicam oppugnant, & ad persuadendum ea, quæ docent, magnam (vt diximus) habet vim eorum eloquentia, non est cur merito aliquis dubitare posse, asfiduam, & indiscretam illorum lectionem valde posse nocere Christianis, præsertim si à pueritia sine magna discretione illis incumbant. Tunc enim setas illa tenera est velut cera ad facile recipiendum cuiuslibet rei impressionem: & quæ tunc recipit diutius retinet, & difficile omittit. Optime enim dixit Horatius:

Horatius.

Pro. 22.

Quo semel est imbuta recens seruabi odorem Testa diu. Cui cōsonat, quod Salomō in prou. ait: Adolescens iuxta viam suam etiā cūm senuerit, nō recedet ab ea. Et certè ipsa cōpertum est multos ex illis, qui libris gentilium à te neris annis dediti sunt, in varias hæreses incidisse, aut magnam hæresis suspicionē dedisse. Et vt hanc meam sententiā certiorē, & firmiorē reddam, aliqua volo imprese: tiarū exēpla tum antiqua, tū noua referre, quibus aperte probatur asfiduam gentilium scriptorum lectionē multarum hæresum fuisse parentē. Hæreticorum omnium primus, qui post Euāgelij prædicationem ortus est, fuit Simon ille Magus, de quo in Act. Apost. fit mētio. Hunc à Philistio: ne quodā vetustissimo poeta comico suarum hæresum agmēta desumpsisse testatur Epiphanius in suo illo opere, quod fecit cōtra oēs hæreses. Idem etiā de gnosticis hæreticis refert, illos ad imitationē eiusdē Philistionis poetæ suarū hæresum fabulas cōposuisse. De Valentino idē Epiphanius refert illū fabulosa gētium poesi fuisse deceptum, vt ad Hesiodi imitationē triginta ccllos, totidēq; deos es: se diceret. Deniq; Tertul. in li. de præscriptionibus hæreticorū, multos ex illis vetustissimis hæreticis refert, qui à gētilibus philosophis suas hæreses hauserūt sic inquiens:

Ipsæ

Ipsæ hæreses à philosophia subornantur. Inde cōnes, & for-
mæ nescio quæ, & trinitas hois apud Valentini, Platonici
fuerat. Inde Martionis De⁹ de trāquillitate, à Stoicis
venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis obser-
uatur. Et ut carnis restitutio negetur, de vna omniū phi-
losophorū schola sumitur. Et vbi materia cum deo cōqua-
tur, Zenonis disciplina est. Et vbi aliquid de igneo Deo
allegatur, Heraclitus interuenit. Eçdē materię apud hære-
ticos, & philosophos volutatur: iidē tractatus implican-
tur. Hæc Tertull. Sed pergamus vltra, & aliorum hæreti-
corum, qui post Tertul. fluxere, exēpla proferamus. Pri-
scilliani hæresis docens homines esse fatalibus stellis alli-
gatos, à philosophorum gentilium errore descēdit. Nam
(vt Grego. Nissenus in lib. de Fato refert) Chrysippus, &
Philopator Stoici, & multi ali⁹ præclarí philosophi, nihil
aliud demōstrant, quām omnia secundum Fatum fieri.

Priscilli.

Quū Iouinianus dicit omnia peccata esse paria Stoicos Iouinia,
philosophos, qui hæc docent, est imitatus. Quum autem
ieiunia nullius esse meriti dicit, & nuptias matrimonio
equat, Epicurei discipulum (vt B. Hieron. illi exprobat)
aperte se esse demonstrat. Julian. ille Cæsar, qui ob fidem
Catholicā à se omnino reiectā, Apostata nomen usq; ho-
die sustinet, ex lectione, & conuersatione, quā habuit assi-
duam cum Paganis philosophis venenum hausit, quo in-
fectus fuit, vt non solum hæreticus: sed Apostata fieret, &
Christianorum persecutor acerrimus. Plurimum nocui-
se Apollinari Laodiceno artis rhetorice peritia, & longa
deinde conuersatio cum Epiphanio Sophista, constat ex
lib. 1. historiæ Ecclesiasticae tripartitæ cap. 44. Ioannes
Vuiclef, & quotquot illum in hac parte sunt imitati di-
centes nihil cōtingenter euenire: sed omnia ex absoluta
necessitate procedere, ita vt quæ facta sunt, aliter fieri non
possint, vnde, quæso, hæc traxerunt hæresim? Nōne ex Ari-
stotelis, & aliorum philosophorū doctrina? Nā hi omnes
ignorantes Dei potentiam ex cuius arbitrio omnia pen-
dent, & solum ordinem causarum naturaliū consyderan-
tes, nihil voluntati diuinę: sed omnia necessitatē tribuerūt.
Qui autem apertius ostendit à philosophorū doctrina se
fuisse deceptum fuit Petrus Abailardus, qui dixit nihil est Petrus
se credendum, quod ratione naturaliū probari non posuit. Abailard.

Iulianus
Apostat.Ioannes
Vuiclef.

Et

DE IVSTA. HÆKET. PVNIT.

Et unde hoc nisi à philosophis oritur? Nā hi omnem doctrinam ex sola sui intellectus capacitate metiri volunt, & quæ suo iudicio non conueniunt, statim reiiciunt: nil deniq; recipere volunt, quod intellectus ratione naturali comprehendere nō possint. Et inde euenit tāta inter philosophos diuersitas: quia cū nullus alterius iudicio se subdere, neque aliquid admittere velit, quod suo iudicio non conueniat: fuit necesse euenire, vt tāta esset doctrinam, quanta iudiciorum varietas. Hæc autem censendi libertas, & inde deducta varietas aperte repugnat fidei

2.Cor.10.

Lutherus.

tholicę, quā oportet esse omnium vnam, & in qua (vt Paulus ait) opotet captiuare intellectum in obsequium Christi. De Martino Luthero, qui hac nostra ætate prodiit, nō est, cur putemus eum à lectione gentilium scriptorum suæ hæreses venenum hausisse. Nam quum primum ille suas hæreses, aut verbo, aut scripto effundere coepit: nihil prorsus Græce nquerat, Latine parum, vt priora illius scripta indicant. Et suas hæreses non linguarum peritia: sed dialectica, & sophisticis quibusdam argumentationibus, tuebatur: cū tamen ipse omnibus scholasticis Theologis hoc exprobret crimen, eos omnes sophistas appellans. Multi tamē alij se Lutheranæ familiae inseruerunt, quos non dubito multum nocumenti ex lectione gentilium scriptorum sumpsiisse ad hæreses facile suscipiendas. Certe Philippus Melancton vir est utriusq; linguae Græcæ, & Latinæ callentissimus, & in literis, quas vocant humanas, valde eruditus, & longa gentilium philosophorum lectione (vt scripta illius indicat) valde occupatus. Vnum tamen in illo valde admiror, quomodo potuit arbitrii libertatem negare, cū tantam in seipso experiatur dicēdī libertatē, vt quidquid libuerit, nunquā reformidet docere, & quod semel placuit, adeo sibi postea displicere senserit, vt non fuerit veritus reuocare. Alij sunt apud Lutheranos, paucissimi tamen, similes Philippo Melancton, qui ex lectione poëtarum, & aliorum gentiliū oratorū, & philosophorum plurimum veneni (vt ille) sumpserūt.

Ecce quā multa protulimus exempla, quibus apte probatur assiduam, & incautam prophaneorum scriptorum lectionem multis occasionem multarum hæsum præbuuisse. Sunt adhuc præter hos omnes, multi alij, qui

qui & si nō sint tanq̄ hæretici declarati, & velut tales ab omnibus æstimati, non modicam tamen de se dederunt hæreleos suspicionē, propter multa, quæ iuxta doctrinā gentilium scriptorū, quibus nimiū à pueritia dediti fuerunt, locuti sunt, & ictipserunt. Pomponius Lætus, Dominicus Calderinus, Codrus Vrceus, & quidā alii eiusdem farinæ, qui nunc sunt superstites, à multis male audiunt, eo q̄ magnā dederint hæreleos suspicionem. Quantam dederit hoc nostro seculo hæreleos suspicionē Erasmus Roterodamus, vir quidem Græce & latine longe doctissimus, nō est opus nunc referre, cū sit toti orbi notissimū Nam & si nō sit hac tenus ab aliquo idoneo iudice de hæresi damnatus, & velut hæreticus declaratus, multi tamē scriptores ipso viuente illum de hoc criminē notarunt. Et vniuersitas Parisiēs multas illius assertiones per censoriam publicā damnauit, quarū alias hæreticas, alias de hæresi suspectas, alias scandalosas esse censuit. Cuius censuræ Erasmus respondens, quāuis in multis ostendat se Catholicū animū habuisse, in quibusdā tamen aliis suspicionē, quæ de illo habebatur, non plene (vt multi existimant) purgauit. Quod malum inde illi euenisse constat, q̄ à teneris annis fuit circa Poetas, & Oratores Græcos & Latinos diu versatus, à quibus tantā dicendi libertatem accepit, vt quidquid placeret, statim in publicum effudisset. Quis nō agnoscit in illo Luciani libertatem omnīū irrisiōnē, & subsannationē? Adeò Lucianē mentē & stylum imbibit, vt à multis etiam suæ nationis hominibus atheos, hoc est, sine Deo quemadmodū Lucanus appellatus sit. Vir quidē fuit optimo ingenio à Deo donatus, ac proinde fœlix, si sua sorte contentus fuisset, & ea sola tentasset, quæ suis viribus erant paria. Sed post virilem ætatem, quā fermè totā Poetis & Oratoribus derat, ad sacras literas, quas sine magistro prævio didicerat, interpretandas accessit. Et in illarum interpretationibus, & annotationibus multa inseruit, quæ si præterisset, multō consultius egisset. Sæpe enim contingit, vt qui palatum ac linguā ex multo esu amarissimorum ciborum habent amaritudine infectam, quicquid deinde biberint aut ederint, eis amarum sapiat: & qui diutius ad solis radios steterunt, iis quicquid deinde viderint eō

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Ise offerat colore quē ipsi secum in oculis glaucomate vitiatis circuinferunt. Ita qui magnā viræ partem in Po etis & Oratoribus prophanis, præfertim in Æthnicis philosophis consumpletunt, iis quam apud illos dicendi libertatem didicerunt, tenacissime reticentibus, diuinæ li terè nō sapiunt id quod sunt, sed quod illi secū adferunt.

Hieron Deniq; in confirmationem eorum, quæ diximus, professo testimonium B. Hieronymi, qui in cōmentariis super Ionam Prophetā, circa finem. 3. cap. de seculari eloquen- tia differens, hæc ait : Difficile homines potentes, & nobiles, & diuites, & multò his difficilius eloquentes credunt Deo: obcœcatur enim mens eorum diuitiis, & opib; atq; luxuria, & circundati viiis non possunt videre virtutes, simplicitatemq; scripture sanctæ non ex maiestate sensu, sed ex verborū iudicat vilitate. Hæc Hiero.

DE REMEDIO CONTRA PRÆ- fatam hæresum causam. Cap. IX.

Multis rationibus, multisq; exemplis manifeste iam (vt existimo) probauimus, assidua, & incavatam prophanorum scriptorum lectionem esse apertam multarum hæresum causam. Sed opus est, vt huic occurramus, & antidotū tam potenti veneno paremus: cautetamen, ne forte hanc causam prorsus tollere volentes, aliam multo pluriū malorum causam suscitemus. Nam sicut assidua, & indiscreta prophanorum librorū lectio, multarum potest esse hæresum causa, ita econtrario, omnino à libris Gentilium abstinere, multas poterit hæreses generare. Quoniā scientiæ liberales, quæ vix ab aliis quam à Gentilibus scriptoribus disci possunt, sunt ad sc̄ræ scripture intelligentiā adeo necessariae, vt illarū ignorantia multas valeat hæreses procreare, sicut re ipsa comprobatum est plerasq; hæreses ab illa processisse. Est enim in primis necessaria grāmatice cognitio, & nō levius sed plena, & consummata, vt sciat plenā vocū significatiōnem, & illorū compositionē, & structurā. Ex cuius rei ignoratiā constat multos in variis hæreses fuisse lapsos. Et ne ob defectum exemplorū, verbis meis quis defroget fidē, volo aliqua in præsentiarū exempla proferre unde constet verum esse, quod dico. Eluidius eō q; ignorauit, vim & potestatē harum vocū, primogenitus, ante l.

Eluidius.

donec aduersus puritatē sacratissimā Virginis blatera-
 uit dicens illam non fuisse perpetuo Virginem, sed post
 Christū natū fuisse à Ioseph sponso cognitā. Manichæi
 oēs ex ignorātia diuersitatis istarū præpositionū, ex, &
 de, dixerunt Deum de substantia sua produxisse animas
 nostras. Dialectica lēpe est in sacris literis necessaria.
 Quoniā illa est, quæ dissinitionū, diuisionū, consequen-
 tiarum formā præscribit, sine quarum rerum notitia vix
 illa potest grauis scriptura plene intelligi. Ex ignorātia
 aut fortè inaduententia huius disciplinæ multi magni
 nominis viri in vera sacræ scripture intelligentia errarūt
 Origenes nō bene aduertens quomodo sint intelligēdæ
 multæ vniuersales elocutiones quæ sunt in sacra scriptu-
 ra, dixit oēs homines tandem fore saluos, motus ex ali-
 quibus locis sacræ scripture, male ab eo intellectis. Effun-
 dam (inquit Deus per Ioelem prophetā) de spiritu meo Ioelis. 2.
 supra oēm carnem. Et Paulus ad Rom. Conclusit Deus Rom. 2.
 omnia in incredulitate, vt omniū misereatur. Quæ om-
 nia & si quæ sunt alia, nō ideo sunt dicta, q̄ Deus oībus
 hominibus tandem parcat, & neminē pērpetuo damna-
 bit: sed per omnes intelligit omnis generis homīnes,
 vniuersē ætatis, vniuersi gradus, & dignitatis, tā ex Gen-
 tilibus, q̄ ex Iudæis. In quibus locis illud nomen vni-
 uersalitatis omnes (vt Dialecticorū more loquamur) nō
 distribuit pro singulis generum, sed pro generibus sin-
 gularū. Erasmus Rotero. nō intelligens vim argumen-
 tationis, & discursum illius, per quam Christus saluator Ioan. 10.
 noster aduersus Iudæos probare nititur, neminem posse
 rapere oves suas de manu sua, per hoc, q̄ nemo potest ra-
 pere de manu patris lui, & per hoc, q̄ ille, & pater vnum
 sunt: errauit dices in illis Christi verbis illā vocē, vnum
 posse solā animorū vnitatem significare. Quæ vox si iu-
 xta illā significationē (vt Erasm. ait) illuc caperetur, male
 Christus colligeret, et argumētatio nullius prorsus esset
 valoris, prout ego in illo opere, quod aduersus oēs heré-
 ses ædidi, in titul. de Deo, heresi. 6. aduersus Eras. aperte
 probauit. Gentilium historiarū notitiā esse summe necessa-
 riā ad sacræ scripture intelligentiā testatur Augustinus
 libro. 2. de doctrina Christiana capit. 28. vbi ostendit alii
 quos ex illarū ignorantia circa sacras scripturas errasse.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Rerum proprietates, & virtutes cognoscere oportet, vt
inde mysticum sacræ scripturæ sensum qui per similitu-
dines illarum inuestigandus est, capere possumus. Haris
tamen rerum notitiam soli Physici docent, prout sunt
Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Dioscorides. Habent
ergo libri Gentilium sicut multa noxia, ita etiam multa
utilia, & necessaria ad plenam sacrarum literarum intel-
ligentiam. Non est igitur bonū, vt oēs Gentilium libri
ab omnibus Christianis reiiciantur, quū multis sint ne-
cessarii, & possint, quotquot velint, multum proficere ex
illis. Deinde ille splendor orationis, & verborum orna-
tus, qui ab illis capi potest, & si non sit viro Christiano
necessarius: ad multa tamen utilis est, his præsertim, qui
verbo, aut scripto alios docent. Est enim eloquentia ex
numero earum rerum, quæ ex se nec bona nec mala sunt
sed ex bono, aut malo earū vsu bona, aut mala reddun-
tur. Sicut enim eloquentia viro gentili, aut heretico ma-
la est, propterea q̄ per illam vterq; istorum facilius suos
errores audientibus, aut legenti bus persuadebit: ita etiā
Catholico doctori, aut prædicatori bona est: quia per
illam vterq; potentior fit ad flectendos animos auditos
rum, aut lectorum. Sunt tamen aliqui tam malignantis
naturæ, vt omne, quod assequi non possunt, damnent: &
inde evenit, vt eloquentiam, à qua longissime absunt &
quā se assequi desperant, abhorreant, & tanq; hostem in-
secentur. Quid graculo cum fidibus, aut sui cū ambra,
vel musco? Propter hos igitur, qui mē fortè arguere ten-
tabunt, propterea q̄ eloquentiā non sim (vt illi) execras-
tus, Augustinus in meæ sententiæ testimoniū profero,

August. qui lib. i. contra Cresconium Grammaticum, cap. i. hæc
ait: Eloquentia facultas dicendi est, conguenter expli-
cans, quæ sentimus, qua tunc videntur est, cùm recta senti-
mus. Hoc modo ea nō vni sunt heretici. Nā vtiq; si recta
sensissent, nō solum nihil mali, verū & boni aliquid esset
quod eloqueretur explicare potuissent. Frustra igitur istorum
exemplorū cōmemoratione accusasti eloquentiam.
Neq; enim pro patria nō est miles armandus: quia cōtra
patriā nōnulli arma sumpererunt. Aut ideo vti nō debet
boni, doctriq; medici ferramentis medicinalibus ad salu-
tem: quia his ad petniciem etiam indocti pessimis abu-
tuntur.

tuntur. Quis enim nescit sicuti vtilia, vel inutilia fuerint ea, quæ quæruntur, ita eloquentiam, hoc est, peritiam, facultatem, q̄ dicendi sic esse vtilem, vel inutilem, vt fuerint vtilia, vel non vtilia quæ dicuntur? Quod nec te arbitror ignorare. Hæc Augustinus. Et libro. 2. de doctrina Christiana cap. 37. idem docet. Ex cuius verbis satis aper-te conuincitur, longissime à veritate distare eos, qui eloquentiam expresse accusant, quam constat non ex se: sed ex male vtentium vitio malā esse, quippe quæ ad multa vtilis esse possit, si quis ea bene vti velit. Potest adhuc ad aliam non contemnendam vtilitatem Christianis viris præsertim doctis prodesse gentilium scriptorum lectio, vt videlicet eorum secreta rimantes facilius eos disputa-tione vincere possumus. Et sic suo ipsorum gladio illos configemus, prout David fecit contra superbum Go-liath proprio illius gladio illum interficiens. Nam ita fieri præcipit beatus Damascenus lib. 4. de fide ortho-doxa, cap. 18. sic inquiens: Si autem ab iis, qui foris sunt decerpere quippram vtile valuerimus, non asperna-bile est. Efficiamur probati trapezitæ, legitimum, & pu-rum aurum aceruantes, adulteratum autem refutantes. Sumamus sermones optimos, deos autem ridiculos, & fabulas alienas canibus proiciamus. Nam plurimam ex ipsis contra se ipsos fortitudinem habere valebimus. Hęc Damascenus. Ex propriis enim gentilium sententiis, quas de diis suis asserunt, fortissima sumuntur contra ipsos ar-gumenta ad conuincendum vanum illorum errorem.

Nam cum de Ioue illo, quem Virgilius Deorum, patrem, hominumque Regem appellat, talia referunt supra, ad-ulteria, raptus, fraudes, mēdacia, qualia quęuis respública bene instituta abhorret, prohibet, & punit, facile inde colligere possumus, illum nō Deum: sed flagitosissimum hominem fuisse. Deinde Mercurij furta, technæ, doli: Iu-nonis præterea iniqua in Troianos ira: Deorum insu-per inter se pugnantium rixæ, quorum aliqui Troianis, alijs Græcis fuisse dicuntur, aperte arguunt, nihil illos veri numinis habuisse, cùm huiusmodi mores, non mo-do Socrates, aut Pythagoras, aut Diogenes; sed quicunq; alijs homo prudens & virtutis amator respueret, & ab-e-minaretur. Cūm autem vir Christianus & doctus con-

1. Reg. 17.

Damasc.

Virgilius
libro. 1.
Aeneid.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

tra Gentiles Philosophos & poetas disputans, armis ab illis sumptis, eos deuicerit, magnam inde gloriam ad Dei honorem reportabit. Pulchra quidem victoria est, contrariam partem testimoniorum suorum vocibus confutare, & hostem suis armis vincere, & disputationis argumenta probare tuæ potius, quam illius sententiae fauere. His namque armis aduersus gentiles pugnarunt,

Iustinus. & de illis triumpharunt multi ex illustribus illis veteris scriptoribus. Iustinus philosophus & Christi martyr, librum pro fide Catholica contra gentes scripsit, quem Admonitorium appellavit, in quo ex dictis ipsorum gentilium conuincit falsum & vanum esse illorum errorem. Hoc idem fecit Tertullianus in suo Apologetico contra gentes. Idem fecit Origenes contra Celsum.

Tertulli. Eisdem armis pro fide Catholica certat Eusebius Cæsarriensis Episcopus, in opere illo quod fecit de præparatione Euangelica, & in alio cui titulus est, de demonstratione Euangelica. Ad eundem modum pugnat **Cyrillus.** Cyrillus Alexandrinus Episcopus in decem libris, quibus Juliani apostolæ blasphemias quas cōtra Christi Salvatoris nostri Euangelium ille effuderat, confutat & conuincit. Eo dem modo causam agit pro fide Catholica contra gen-

Theodo. tes Theodoritus Cyrensis Episcopus in opere illo cui titulum præfixit de curatione Græcarum affectionum.

Lactantius. Denique Lactantius Firmianus qui in libris diuinarum institutionum huiusmodi armis pro Christiana religione contra gentes pugnauerat, tandem in libro de officio Dei capite ultimo, hæc ait: Statui enim quam multa potero, literis tradere, quæ ad vitæ beatæ statum spectent: & quidem contra philosophos, quoniam sunt ad perturbandum veritatem perniciosi & graues. Incredibilis enim est vis eloquentiæ, & argumentandi differendique subtilitas quemvis facile deceperit, quos partim nostris armis, partim vero ex ipsorum inter se cōcertatione sumptis reuincemus, ut appareat eos induxisse potius errorum quam sustulisse. Hæc Lactantius.

Iulianus apostata. Ob hanc causam, Julianus Cæsar apostata (vt Eutropius in vita illius refert) studens paganitatem in omni sua dictione dilatarī, & Christianitatem exterminari, primum quidem Christianis præcepit, ne poetarum, aut philosophorum legerent discipli-

disciplinas. Propriis (dicebat ille) pennis vulneramur,
 secundum prouerbium : ex nostris enim armati conscri-
 ptionibus, contra nos bella suscipiunt. Ex his omnibus
 aperte cōsiat, valde noxiū esse posse, si omnes gentium
 scriptores ab ecclesia relegētur & omnes viri Catholici,
 ab illorum lectiōne abstineant, cū illi sēpe (ut proba-
 uimus) ad sacræ scripturæ intelligentiam sint necessarii.
 Verum, quia illos alia ex parte plurimum nocere posse
 diximus, præsertim incautis & infirmis opus est, ut cau-
 telam aliquam ostendamus, quo citra omne nocumen-
 tum, ex lectiōne gentilium scriptorum proficere possi-
 mus. Hæc autem cautela in dupli ci consideratione (ut
 ego existim) consistit, quarum altera est de ipsis libris
 qui legendi sunt, altera de rebus quæ in eisdem libris con-
 tinentur. Et quantum ad libros attinet, non puto eos
 omnes esse legendos, multoq; minus pueris esse traden-
 dos : sed eorum aliquos censere in ex toto orbe Christia-
 no esse relegandos, ita ut à nemīne legi possent, quoniam
 vix prodesse possunt, & sēpe legentibus, tam facile & cito
 obesse solent: ut præsentaneum videantur in se continere
 venenum. Tales sunt aliquorum poetarum libri tam ob-
 sceni, tam lascivii, tam mollia verba in se continent, ut
 legehtium præsertim puerorum teneros animos, facile
 ad libidines & lascivias flestant. Talis est Catullus ille
 cuius censurā de versibus componendis proximè præ-
 denti capite citauimus. Tales sunt per omnia Tibullus
 & Propertius. Talis est Ouidius in multis operibus suis,
 omnium poetarum lascivissimus. Nec ego illi iniuriā
 facio, talem illum existimans, cū ipse propria consciē-
 tia vrgente idem de se ipso censuerit, sic dicens:

Eloquar inuitus, teneros ne range poetas,

Submoueo dotes impius ipse meas.

Callimachum fugito, non est inimiçus amorī.

Et cuin Callimacho tu quoque Coe noces

Me certè Sapho meliorem fecit amorī.

Nec rigidos mores Teia musa dedit.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?

Vel tua cuius opus Cinthia sola fuit?

Quis potuit lecto durus discedere Gallo?

Et mea nescio quid carmina tale sonant,

Ouidius lī.
2. de reme-
dio amoris

Si hoc gentilis & lascivissimus poeta sentit & suadet, era
bescere deberent Christiani puerorum præceptores, qui
tales libros pueris legendos tradunt, quorum mollibus
verbis & obscenis sententiis imbuti, facile ad lascivias
& turpitudines appetendas eorum animi flectuntur.

Neque aliud de Terentio, quem ferme omnes præcepto-
res pueris tradunt, dicendum censeo: Nam apud hunc nil
aliud inuenies nisi amatoria quasdam narrationes, &
his admixtas parentum obiurgationes, filiorum inobe-
dientias, seruorum fraudes, meretrici blanditias. Quid
autem aliud sunt cordi adolescentis amatoria narrationes,
quam flamma stupis proxima? Hæc sunt verè collo-
quia illa de quibus Menander versiculo illo à Paulo apo-
stolo consecrato, dixit: Corrumpt bonos mores col-
loquia prava. Res ipsæ sine verbis puerorum animos in-
uitassent, & attraxissent: verba sine rebus ad se pellexis-
sent: eloquentia ergo istorum talibus rebus accommo-
data, nihil aliud est, quam dulci veneno dulce additum
condimētum Inter multa Lacedæmonum instituta, quæ
illi optima ad suam reipublicam bene regendam statue-
runt hoc vnu (vt Plutarchus refert) est, quo tragœdiarum,
& comœdiarum actiones districte prohibuerunt, vt nec
serio nec ioco quidquam repugnans legibus eorum ciues
audirent. Leges enim prohibent, stupra, incestus, adulte-
ria, raptus: prohibet dolos, iniurias, publicas inimicitias,
rupta fœderia, furta, quæ omnia poetæ suis Diis tribuere
solent. Ob hanc causam Archilochum poetam quum in
Lacedæmoniā venisset, eadem hora expulerunt, quia acce-
perant illum in carminibus scripsisse, melius esse abiicere
arma, quam mori. Si tanta diligentia Lacedæmoniæ prin-
cipes gètiles curarunt à sua republica comœdias, & tragœ-
dias, abigere, ne suis prauis verbis bonos ciuium mores
peruerterent, in multo iustius esset, vt Christiani Principes,
quibus maior debet esse bonorum morum cura, non so-
lum comœdiarum & tragœdiarum actiones: sed ipsarum
etiam lectiones, profus inhiberent, potissimum ne te-
meris puerorum animis traderentur. Fortè aliquis isto-
rum poetarum aduocatus, illos tueri cupiens, dicet pro-
pter linguæ latine notitiam & vocum proprietatē discen-
dam tales libros pueris esse tradendos. Sed qui sic dicet,
nimium

nimum falletur. Quoniam illa verborum proprietas, plus ab oratoribus & aliis qui soluta oratione scriperat, sumenda est: quam à Poëtis, qui ut legibus carminum plene satisfaciant, sèpè ipsis vocibus, aliter quā oportet, vntur. Et ita leges Grammaticæ prætereunt: ne leges carminum dimittant. Deinde, si Poëtas pueris tradere necessarium esset, alios multo meliores qui minus moribus & religioni obesse poterant, tradere oportebat. Habent illi Virgilium poëtarum principem, qui & si multa de Diis nefanda referat, in reliquis tamen, non est adeò pestilens ut alij. Habent Lucanum, potius oratoribus (ut Quintilianus ait) quam Poëtis imitandum. Habent Horatium Poëtarum castissimum. Habent Persium & Iuuenalem vitiorum obiurgatores. Habemus & nos etiam Christianos Poëtas, viros eloquentissimos, Iuencum, Sedulium, Prudentium, Aratorem, Lactantium, Victorinum, Paulinum: qui multorum virorū doctorum iudicio, in multis rebus cum gentilibus Poëtis certant, & in aliquibus eos vincunt. Habemus etiam ex recentioribus Baptistam Mantuanum, Syncerum Sannazarium, Antonium Flaminium, qui nuper plerosque Dauidis psalmos camine Heroico digesit. Hos Christianos Poëtas pueris impensis tradendos censeo, à quibus illi linguae Latinæ peritiam, pietati religionique coniunctam, discere poterunt. Reliquos vero gentiles Poëtas, si quando illi legèdi sunt, ab illis solum, qui iam in virtute & religione profecerūt, legendos esse puto. Et quod de lasciuis Poëtis dixi, de aliis qui soluta oratione similes lasciuias & obscenitates scripserunt, qualis est in suo Asino aureo Apuleius, idem prorsus dicendum esse puto. Neque ab hac lege & censura excludendo eos libros qui de mendaciis, & falsis amotibus in linguis vulgaribus scripti sunt, qui adeò legentibus placent, ut illos multis rerum seriarum & veterarum scriptoribus præferant. In quibus id nunc euenisce videamus, quod Paulus longè ante futurum prædixerat.

A veritate quidem auditum auerrent, ad fabulas autem conuertentur. Parum quidem refert quo idiomate sit liber scriptus, si in uno æque ut in altero ea scribantur, que nec ad mores nec ad religionem conducere possunt.

Circa reliquos omnes gentilium scriptores, hanc censeo

2. Tim. 4.

YY 5 haben.

habendam esse discretionem, ut illi potissimum eligantur, quos constat minus religione Christianæ & bonis moribus repugnare. Quapropter ex gentilibus omnibus Ciceronem potissimum vellem, illis qui linguam Latinam discunt tradi. Quoniam sicut est Romani eloquii maximus autor: ita est ad animos hominum in bonis moribus instituendos, valde proficuus. Post Ciceronem secundum locum tribuo Plinio Iuniori. Sed ante hos omnes vellem, ut pueris traderentur aliqua opuscula Christianorum virorum, qui in lingua Latina fuerunt eloquentissimi, ut fuerunt, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambrosius, Paulinus. Ab his enim pueri eruditæ, ea quæ ad religionem Christianam & bonos mores spectant, simul cum recta dicendi scribendique ratione, discere poterunt. Cum iam pueri adoleuerint, & fuerint in fide fundati, & de Christianis moribus satis instructi, tunc expediret illis liberam cōcedere per gentiles oratores & historiographos spaciandi licentiam, ut ab illis vberius de lingua Latina doceantur. Quod ad Philosophos attinet, bene actū esse puto, ut Aristotelem quem potissimum velut Principem imitaretur: tota recentium Philosophorum schola suscepserit. Is enim pauciora continent quam cæteri, quæ Christianæ religioni repugnant, & melius quam alij ea, quæ ad mores & ciuilem politiam pertinent docet. Plato nanque & si plus (vt Augustinus ait) Christianæ religioni approximet, ea tamen quæ tradit, non ita aperte & distinctè (vt Aristoteles), sed per quasdam figuræ & ænigmata, quæ vix intelligi possunt, differit. Deinde, per dialogos disputat. Quæ res non paruæ difficultatis causam præbet: quia sæpè nescitur quam duorum disputantium partem tenere velit. Ob quam causam ego censeo illum non à pueris: sed à solis viris doctis esse legendum. De Mathematicis scriptoribus eos in uniuersum reiiciendos esse puto, qui de Astro nomia præsertim iudiciaria differunt. Nam eorum fermè omnia sunt plena mendaciis & multa docent, quæ à viro Christiano longissime abesse oportet. Alios Mathematicos qui Arithmeticam, aut Geometriam, aut Perspectivam, aut Cosmographiam, docent: legendos esse puto. Quoniam multa continent, valde humanis usibus pro-

ficia, & nihil in illis docetur, quod cum fide Catholica
 pugnet. Hoc remedium cōtra hæreses ne orientur, facile
 Christiani principes præstare possunt, præcipiendo in ter-
 ris sibi subiectis, vt puerorum præceptores, eos solum gen-
 tilium libros illis tradant, qui minus illos lædere & ma-
 gis ad pietatem & mores prodesse possint. Habita iam cir-
 ca libros gentilium necessaria discretione, ita vt illi eligan-
 tur qui minus nocere & magis prodesse possunt, altera
 superest circa ipsos libros iam selectos habenda de rebus
 consyderatio, ita vt falsis dogmatibus reiectis, ea solum
 probeimus, & in nostrum usum recipiamus, quæ Chri-
 stianæ religioni magis seruire possunt, aut quæ illi non
 sunt contraria. Cui electioni, vt rectè fiat, duo genera
 personarū seruire possunt, videlicet præceptores qui alios
 docent, & ipsi qui à magistris audiunt, aut per se ipsos si-
 ne præceptore discunt. Primi qui fauere debent & pos-
 sunt, sunt præceptores & magistri, qui gentilium libros
 aliis interpretantur. Hi enim quotiens aliquid fidei Ca-
 tholice repugnans inuenient in libro quem interpretan-
 dum suscepérunt, debent velut cęcorū ductores, diligenter
 & doctè discipulos suos admonere: vt ab illo tanquā à pe-
 ricolosissimo lapsu abstineant. De qua re extat necessariū
 & vere Christianum decretū æditum in concilio Latera-
 nensi sub Leone decimo sessione 8. cuius verba sunt hæc:
 Insuper omnibus & singulis Philosophis in vniuersitatib-
 us studiorū generalium & alibi publicè legentibus di-
 strictè præcipiendo mādamus, vt quū Philosophorū prin-
 cipa aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare nos-
 citur, auditoribus suis legerint, seu explanauerint, quale
 hoc ēe mortalitate animæ: aut vnitate, aut mādi eternit-
 atē, ac alia huiusmodi, teneātur eisdē veritatē religionis
 Christianæ omni conatu manifestā facere, & persuadēdo
 pro posse docere: ac omni studio huiusmodi Philosopho-
 rum argumenta, cū omnia solubilia existant, pro viribus
 excludere, atq; resoluere. Hęc ex concilio Lateran. Dein-
 de, post præceptoris diligentibus admonitiones oportet vt
 ipsimēt qui præceptores audiunt, aut qui per seipso sine
 magistro præcio gentilium libros legunt, sibi ipsis consul-
 ent & diligenter attendat, vt errores deuident, & sola ea
 que sunt aperta & religioni Christianæ conuenientia, re-
 cipient, à reliquis autem tanquam à veneno abstineant.

Concilium
Lateranense.

Vnde

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

Basilius. Vnde Basilius nepotes suos edocens, quo pacto gentilium libri sunt legendi, ait: Velut enim apes non omnibus floribus infiduli, neque ex eis ad quos accedunt omnia auferre conantur: sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprehendentes reliquum dimitunt. Nos etiam ut sobri sapientesque, quantum congruum nobis propinquumque veritati ex ipsis fuerit, persequamur: reliquum pretereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus quidquid est utile capientes, noxiū vitemus. Hæc Basilius. Ut autem hoc Basilius consilium lectores recte exequi possint: tria (ut ego existimō) illos facere oportet. Primum est: ut cum ad gentilium libros legendos accedunt, firmi & stabiles in fide Catholica accedant, & illam semper præ oculis habeant: & plus sacræ scripturæ & ecclesiæ Catholicæ credere proponant: quam bis mille Philosophis oppositam sententiam docentibus. Nam ob hoc solum animi propositum, sperandū est in Deo, quod non permittet illos, à gentilium librotu lectione decipi. Si autem quis nurans, aut dubius, ad illorum lectionem accesserit: facile ab eis ad suum errorem trahetur. Alterum illis necessarium est humilitas, qua nolit soli sue prudentiae inniti: sed agnoscat se hominem esse, qui facile decipi possit, & si aliqua argumenta fidem Catholicam pugnantia, quæ ipse forte soluere nescit, apud illos legit, suam non vereatur ignorantiam fateri, potius quam scripturam dicere mendacem, aut ecclesiam errare. Et sic scripturam sacram & ecclesiæ sententiam semper suo iudicio præferens, quanvis validissimis argumentis ex gentilium lectione oppugnetur, nūquā succumbet. Nam

Prou. ii. (ut Salomon ait) ybi humilitas ibi sapientia. Tertium denique necessarium est, ut cum gentilium libros legerit, plus sensus quam verba consideret, plus quid, quam modo dicatur, attendat. Nam qui solum verborum ornatum & non res ipsas considerauerit: facilè à gentilibus, qui nimio verborum splendore fulgent, decipietur. Qui hæc omnia recte peregerit, facilè Deo adiutore verum à falso discernet, spetiosum à vili, & sanctum à prophano separabit, & sic tutus ad gentilium lectionem accedet, ut ex illa proficiat, erroribus illorum rejectis veritatem sc̄ dei Catholicæ conuenientem in suum usum cōuertens;

quemadmo

quemadmodum olim vir Israelita mulierem ex gentibus
 captam, quae sibi pulchra videretur, lege permittente ma-
 trimonio sibi copulare poterat: Si egressus fueris (inquit
 lex Mosayca) ad pugnam contra inimicos tuos, & tradid- Deut. 21.
 derit eos dominus Deus tuus in manu tua, captiuosque du-
 xeris, & videris in numero captiuorum mulierem pul-
 chram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem, in-
 troduces eam in domum tuam, quem radet cæsariem, & cir-
 cuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est: se-
 densque in domo tua silebit patrem & matrem uno men-
 se: & postea intrabis ad eam: dormiesque cum illa, & erit
 vxor tua. Ad hunc modum ego de gentilium doctrina,
 si eam vir Christianus sibi copulari voluerit: faciendum
 esse censeo. Nam beatus Hieronymus in epistola quam
 scripsit Magno oratori Romano: cuius initium est. Sebe-
 sum nostrum: de eadem gentilium doctrina interpreta-
 tur ea quæ de muliere gentili capta lex Moysi facere pre-
 cepit, antequam illa caperetur in vxorem. Nam cum ar-
 gueretur, quod libris ecclesiasticis admiseret literas Ethni-
 corum, & sacra prophani contaminaret, ostendere vo-
 lens id sibi licere, & multorum sanctorum exemplo id fe-
 cisse, Paulum inter alios in exemplum producit, qui ali-
 quoties Graecorum poëtarum versus ad suæ sententiae con-
 firmationem citauit. Et tandem de eodem Paulo loquens, Hieron.
 haec ait: Ac ne parum hoc esset, ductor Christiani exercitus
 & orator inuitus pro Christo causam agens etiam inscri-
 ptionem fortuitam, arte torquet in argumentum fidei. 1. Reg. 17.
 Didicerat enim à vero David, extorquere de manibus
 hostium gladii, & Goliæ superbissimi caput proprio mu- Deut. 21.
 crone truncare. Legerat in Deuteronomio voce domini
 præceptum, mulieris captiuae radendum caput, supercilia,
 omnes pilos & vngues corporis amputandos, & sic eam
 habendam in coniugio. Quid ergo mirum, si & ego sapien-
 tiam secularem, propter eloquij venustatem, & membro-
 rum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Israelitidem
 facere cupio? Et si quicquid in ea mortuum est, Idolola-
 triæ voluptatis, erroris, libidinis vel præcido vel rado, &
 mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero do-
 mino Sabaoth? Hactenus Hieronymus, qui illam Deu-
 teronomij legem de sapientia seculari, aut de veritate inter
 gen-

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

gentiles nata & nutrita, & à Christianis capta, nō tam interpretatur, quām innuit posse de illa interpretari. Ideo ego operæ precium me facturum existimauī, si illius legis singulas partes explicans, huic proposito accommodarem, vt inde aliqua ex parte discamus quatenus liceat genitilium libros legere. Ad pugnam contra inimicos suos egressi sunt doctores ecclesiastici, quando ad subuertendam mundanę sapientię dogmata processerunt. Arma quibus instruti sunt ad pugnam, inter alia Paulus dicit esse gla-

Ephc. 6. dium spiritus quod est verbum Dei. Huiusmodi gladiis armati erāt sancti illi, de quibus regnis propheta ait: Gl

Psal. 148. dij ancipites in manibus eorum, ad faciēdam vindictam in nationibus, increpationes in populis. In hoc bello, ali-

quando capitulū mulier pulchra: quia viri docti & fideles gentilium libros perscrutātes, inter falsa illotū dogmata quae subuertere conantur, pulchram aliquam veritatem, & decoram sententiam repēriunt, quae illis mirum in modum placet. Et hanc si quis in domum ecclesiæ Catholice traiicere, & eam sibi velut vxorem marito copulare voluerit, nō prohibetur; hac tamen conditione vt prius puelle cæsariē rādat, vngues abscindat, vestemq; in qua capta fuerat deponat. & sedens apud nos, fleat patrē & matrem suam vno mense. Capilli & vngues, nō sunt necessarii ad corporis humani vitam, nec ad perfectam illius subsistēti am costituendam: sed sunt illi omnino superflui. Radere ergo puellæ cæsariē, vnguesq; illius circuncidere, hoc significat, vt quidquid in illa pulchra veritate apud gentiles reperta superfluum fuerit, & nullius prorsus utilitatis, recesset. Et quia uestes s̄epius ad iactantiam & vanam gloriam, quām ad tegumentū seruiunt, hinc est quod uestis depositio, in qua puella captā fuerat, significat vt veritas illa inter gentiles reperta, inflatione nudetur & tumoris superficie qua apud gentiles vestita inuenitur, qui dicentes se esse sapientes & apud semetipſos prudentes, nunquam humiliter loqui nouerunt: sed cum fastu & gloriæ ambitione. Sub alia ergo ueste est nobis mulier ista coniungenda: quia eam ipsam quam ab illis didicimus veritatem non cum ea pompa eoq; fastu, quo illi: sed cum sobria gravitate & fine ullo supercilios scribere & proferre debemus. Illa tamen apud nos sedens fieri debet

pārem

pátreū & matrem suam, eos videlicet à quibus genita est. Flere illa dicitur, non quia ipsa flet: sed quia eos qui illam apud gentiles legunt, prouocat ut tantorum virorum, qui talia scribere potuerunt, perditionem doleant. Hac enim locutionis figura in communī prouerbio vtī solemus, lātam epistolam dicentes quæ lātos facis legentes, & domum tristem quæ habitatores illius prouocat ad tristitiam. Eadem etiam figura sāpe sacræ vtuntur literæ. Nam Paulus ait: Spiritum sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Postulare dicitur & gemere: quia quos ipse sua gratia repleuerit, postulare facit & gemere. Et beatus Petrus de Iuda Schatioth in actibus apostolorum loquens inter alia dicit: Et possedit agrum de mercede iniquitatibus. Possedisse illum dicit: quia fuit causa ut posideretur ager ille, quando projectis ab illo argenteis in templo, sacerdotes preceperunt, ut illa pecunia emeretur ager siguli, in sepulturam peregrinorum. Nam quod ipse Iudas non possedebat, constat ex Matthæo, qui refert agrum illum fuisse emptum postquam Iudas se laqueo suspenderat. Nihil igitur obstat ut nos eadem locutionis figura vtentes, dicamus veritatem à Christianis apud gentiles repartam, flere parentes suos: quia nos prouocat, ut pro illis qui illam scripserunt dolentes ploremus. Nam ea prouocante sāpe quorum miramur ingenium dolemus perditionem. Sed hunc fletum mense uno complendum esse præcipit lex: quia scriptores illi gentiles, cum nihil boni in vita sua egerint per quod iram Dei sempiternā euadere possent: tota vita sua illos fuisse honorum operum steriles, doleat oportet. Quis nō merito compatiatur Socrati, Platonis, Aristoteli, Plutarchi, Ciceroni, Senecæ, Plinio Juniori, quos omnes cōstat multa ad virtutem spectantia dixisse, plurimasq; sententias grauiissimas scripsisse? Dolendum certe est, eos qui tāto ingenio valuerunt, & tam grauiissimas sententias ad aliorum profectum scripserunt, nescisse viam inuenire, qua à gehenna declinantes: ad gloriam peruererent sempiternam. Hanc rerum gerendarum imaginem & umbram in Deuteronomio scriptam, placuit tam late explicare, ut sub illo literæ cortice latētē manifestarem, quæ docet nos, quō pacto veras senten-

Rom. 3.

Act. 1.

Mat. 27.

DE IVSTA HÆRET. PVNIT.

sententias in gentilium libris repertas nostris vñibus
accommodeare debemus. Iuxta hunc modum, multi do-
ctissimi viri & sancti, tam Græci, quam Latini, quorum
cathalogum Hieronymus texit in epistola supra citata
ad Magnum oratorem, ex lectione gentilium scriptorum
profecerunt: & multas inde grauisimas sententias in
vñsum fidei Catholicæ transstulerunt. Nec soli homines
isti, qui & si doctri & sancti, vt homines tamen scripserunt
sed illi qui spiritu sancto inspirante loquuti sunt, quo-
rum lingua fuit calamus. Scribæ velociter scribentis, ex
gentilium libris aliqua tanquam male ab illis retenta, in
suos ysus conuerterunt. Nam beatus Hieronymus testa-
tur, quædam esse in Prophetarum voluminibus de libris
gentilium sumpta, & Salomonem philosophis Tyri non
nulla proposuisse & aliqua respondisse. Sed his dimisis,
de quibus non tam aperte, quod dicimus constat, ad Paulum
veniamus mirificum Euangelij præconem, de quo
negari non potest illum gentilium Poëtarum versibus
fuisse vñsum. Nam in priore ad Corinthios epistola, hunc

1. Cor. 17.

Menandri versum adducit: Corruerpunt bonos mores
colloquia prava. Et in Epistola ad Titum, Epimenidis
poëta, quem gentilium prophetam appellat, versiculum

Tit. i.

citat, sic dicentem: Cretenses semper mendaces, malæ be-
stia, ventres pigri. Et apud Athenienses disputans, par-

Act. 17.

tem versiculi exametri ex Arato citat, his verbis. Ipsius
enim & genus sumus. Hos igitur viros sanctitate & do-
ctrina clarissimos imitantes, à gentilium libris non om-
nino abstineamus: sed quod satis, & quandiu licet, illos
legamus, non tamen omnes: sed eos solum qui nimium
nocere non possunt, ne præsentaneum valent propinare
venenum, & à quibus aliquā possumus capere utilitatem.
Quos si cautē (vt oportet) legerimus, illorum auxilio
facilius sacras intelligemus scripturas, & sic tanquam ve-
ri Israelite, ex auro & argento ab Aegyptiis, tanquam ab
iniustis possessoribus, ablato, Theologiae tabernaculum
construimus, in quo veri Dei notitiam assequuti, illum
(vt tenemur) colamus, fide & spe & charitate in illum
tendentes.

ADHOR.

Adhortatio

AUTORIS AD PRIN-
cipes Christianos.



ÆC sunt antidota omnia, quæ contra
hæresum venena, ego toti Christianæ
reipublicæ consulere optans, magna
cum solicitudine excogitare potui.
Forte aliis maiori ingenij acutumne præ-
ditis, plura occurserent remedia, his ta-
men, quæ per me nunc enarrata atque digesta sunt,
non puto fore meliora. Ego hactenus quod potui præ-
stisti, & ut talentum mihi creditum Deo à quo accep-
ram, cum usurpi redderem, Ecclesiæ Catholicæ ruinam
minanti ea qua potui parte manum dare tentaui, omnes
hæresum radices prodens, vt illis sublatis facile omnibus
hæresibus catur obuiam, ne amplius illæ oriantur.
Reliquum est, vt vos omnes Christiani orbis rectores,
quocunque dignitatis aut magistratus nomine censeamini,
diligentissime curetis has quas nunc ostendimus hæ-
resum radices prorsus euellere, & sic facile Deo adiutore
poteritis populum vobis commissum ab omni hæreses
veneno illæsum seruare. Si verò hoc onus in solos Epis-
copos & alios Ecclesiasticos rectores reiicere velitis, di-
centes hanc curam illis solis fuisse iniunctam: audite
quid de vobis & de sancta matre Ecclesia toto terrarum
orbe diffusa, Deus per Esaiam prophetam dicat: Erunt
(inquit ille) Reges nutriti tui. Nutrix Infantem lacte
nutrit, pānis inuoluit, ablactatum cibo fortiori alit, blan-
diciis fouet, canticis demulcit. Quæ tamen sunt neces-
saria alimenta, & si nutrix porrigit atq; ministrat, ea nu-
tritius puero prouidet atq; perquirit, perinde ac illius nu-
trici. Si quis puerum offendere, aut quoquis modo illi
nocere tentauerit, illius tutela est nutritio commissa, pros-
pterea quod ille puerum fortius portegere valet atq; de-
fendere. Si nutrix eam, quam tenetur, pueri curam habe-
te neglexerit, nutritio incumbit illam adhortari, obse-
crare,

ADHORTATIO

erare, increpare, vicariam denique puero operam im-
pendere. Fateor quidem Episcoporum & aliorum Eccle-
siasticorum rectorum proprium munus esse, vt tanquam
communes populi Christiani nutrices illum lacte verbi
Dei nutriant, & fortiori, quum opus fuerit, cibo alant.
Imperatoribus autem, & Regibus, aliisque omnibus se-
culi principibus incumbit: vt populum sibi commissum
a publicis fidei hostibus pro viribus defendere, & ipsos
hostes, qui populo nocere tentant, punire conentur: vt
pœnarum metu illi coerciti, sibi & aliis sapere discant.

Rom.13. Agnoscite igitur seculi Principes vos ministros Dei esse,
in hoc ipsum (vt Paulus ait) illi seruientes, vt qui male
egerit, potestatem timeat. Aliud præterea vos o Reges
& Principes agere oportet, vt vos veros ecclesiæ nutri-
tios iuxta Dei præceptum exhibeat. Hoc est, vt apertis:
simæ nutricum socordiæ & ignauiaæ mature subueniatis,
illas adhortando, obsecrando, in omni patientia, sicut
debet ministros Dei, increpando, vt ea quæ populo Chri:
stiano debent, diligenter illæ præstare conentur. Id de:
niq; potissimum curare debetis, in quo huius rei puppis
(vt dicitur) & prora constituta est, vt eos solos patiam:
ni institui animarum Rectores, quos sciueritis posse
optime suo respondere officio. Alioqui Deus
animas pereentes de manibus vestris requiri-
ret, propterea quod oues his, quos no:
ueratis esse lupos, commisisti,
aut committi per-
misisti.

FINIS TOTIVS OPERIS
de iusta haereticorum
punitione.

Testimonium exami-

NATIONIS, ET APPROBA-

tionis huius operis factæ per Or-
dinarium Salmantini-
censem.

C V M Huius Libri, de Iusta hæreticorum punitione
Inscripti, censuram, admodum Reuerendus Doctor
Quodorniga, huius Salmantinæ diœcefis Vicarius, &
Officialis ordinarius, meæ concrediderit Fidei, ac proin-
de eundem Librum viderim, perlegerim, ac plenè excus-
serim, affirmo, testimonioq; meo declaro omnia in eo tra-
dita pia esse, orthodoxam Fidem stabilientia, atque con-
trarias hæreses stirpantia, mores insuper synceros insti-
tuentia: oppositos verò radicitus euellentia. Quæ omnia
ad hunc maxime scopum miro sunt ingenio perfecta, at-
que diligentia industria elaborata. Vnde tantum abest
quidquam in eo esse Catholicæ fidei, Christianæve reli-
gionis pietati, aut sanctis moribus, vel repugnans, vel
dissonum: vt ab omnibus probandus sit iure optimo lis-
ber iste, & accipiendus: quippè qui & in fide constantes,
& firmos teneat, & firmiores reddere valeat, vacillantes
verò, ac deuios confirmat, ad rectumq; iter reducit: ma-
ximè tamen eis, quibus veræ fidei est demandata inquisi-
tio, vtilis est, ac plane necessarius. Nempè eosdē instruit,
necnon qua ratione officium suum iuxta diuinæ regu-
las peragendum sit, singulari quadam dexteritate, & per-
spicuitate eis indicat, & velut digito demonstrat. Eccle-
siasticos etiam Principes, pariter & omnes animarum
curam agentes, instituit, insuper & eorum graue, & ma-
ximum onus ob oculos ponit, modum deinde, quo ple-
nè suo possint satisfacere officio, apertè docet. His adde,
quod & concionatores verbi Dei grauiter, & sapienter
admonet, quo pacto officio prædicationis illis commisso

(prout iuxta saeras regulas tenentur) respondere possint, vt animarum saluti, quam potissimum optare debent, Deo adiutore prospicere possint. Quod sane testimonium, quoniam verum est, subscriptione manus meae confirmare decreui. Datum Salmanticæ tertia die mensis Iunij. Anno Domini. 1547.

Magister Franciscus Sancho, Cathedraticus
Salmanticensis,

Testimonium exami- NATIONIS ET APPROBATIO- nis huius operis factæ per Ministrum Ge- neralem Ordinis Minorum

IN C H R I S T O S I B I charissimo, venerando Patri Fratris Alfonso de Castro, ordinis minorum, Observantiae regularis, prouinciae diuini Iacobi, prædicatori, ac lectori eruditissimo, Patrique probatissimo, Frater Ioannes Caluus totius eiusdem ordinis generalis Minister, ac seruus, Salutem in salutis ipsius Authore, Domino Iesu Christo.

Tanta est ingenij tui facunditas, & vbertas, vt continuis lucubrationibus, studiis, ac compositionibus vacans, noui iudies aliquid in lucem ædere studeas. Cum igitur volumen quoddam, tres libros complectens, quos de iusta haereticorum punitione inscripsisti, insuper compilaueris, ipsumque ad Dei optimi maximi honorem, Christianæ totius reipublicæ, ac nosiræ Franciscanæ religionis decus, ac communem legentium utilitatem, typis excusum in lucem prodire cupias, Nos, qui præfatum volumen venerando Patri Fratris Andreæ de Vega, prælectori Salmanticensi doctissimo, examinandum dedimus, ipsumque (vt ipse nobis retulit) in omnibus, & per omnia

omnia Catholicæ, ac orthodoxæ patrum doctrinæ cont:
sonum ac conforme comperimus, tantum thesaurum ha:
ctenus absconditum, diutius latere nolentes, ut nobis
ipsis ac tibi morem geramus, harum serie literarum,
cum salutaris obedientiæ merito, copiam tibi facimus ut
memoratum volumen impresioni tradere queas. Vale
in Domino, ac ipsum pro nobis deprecare. Datis Tri:
denti, Die. 27. Iulij. Anno. 1546.

Frater Ioannes, qui supra manu propria.

Lectori. S.

OBSECRETE, candide Lector, ut nolis de ope
re hoc ex sola illius superscriptione censere, pu:
tans res solas vulgares, & forenses in illo tractari, quales
sæpe ab aliis de eadem re differentibus tractari solent.
Multo enim plura habet hoc opus in recessu, quam in
fronte promittat. Quoniā non soli Jurisperiti, sed etiam
Theologi multis in locis ex eo proficere possunt, prout
Author in operis Praefatione admonet. Si periculum
feceris, non dubito, quin opus ipsum probes, & maiori:
bus, quam ego laudibus, extollas. Lege ergo sœliciter,
& nostris laboribus faueto.

3	6	3	9
2	8	7	3
<hr/>			
8	5	1	2

7		
5	1	8



Documentos

3 6 9 6
3 4 3 6
2 4 3 6
693 1396

1948

3 1 6 7 9
9 1 8 3 4
4 9 3 1 6
6 4 8 9














1.616